Vide Calvinus Justus

Calvinus

IVSTI BARONII

VETERACASTRENSIS

SS. TH. ET I.V.D. ILL^mo. ARCH^po. Moguntino à consilijs.

PRÆSCRIPTIONVM ADVERSVS HÆRETICOS PERPETVArum ex SS. Orthodoxis potissimum Patribus

TRACTATVS VI.

ITERVM EDITI, AC VINdicijs aduersus IOAN. RAINOLDVM Anglo Caluinianum auсti.

S. Ambrosius Epist. 31. ad Valent. Imperat.

Non erubesco cum toto orbe longæuo conuerti, verum certè est, quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Non annorum canicies est laudanda, sed morum. Nullus pudor est ad meliora transire.

MOGVNTIÆ

APVD IOANNEM ALBINVM.

Anno M.DCV.

S. Auguſt. Soliloq. cap. 33.

GRatias tibi ago illuminator & liberator meus, quoniam illuminaſti me, & cognoui te. Serò cognoui te Veritas antiqua, ſerò te cognoui Veritas æterna.

ILL^mo. ET REV^mo.

D. OCTAVIO PARA-VICINO S.R.E. CAR-dinali amplissimo

IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS. S.

NIL pestilentius ab hæreticis huius temporis excogitari, vel potius è priscorum errorum palude resorberi potuit, ILLVSTRISSIME CARDINALIS, quàm falsa de Ecclesia DEI doctrina, [a] *congregationisque malignantium* cum familia CHRISTI confusio: quæ nouis glossematis & corruptelis obscurata, fontem præbuit præsentium malorum omnium, & tum pacis vinculum in animis hominum soluit, tum fidem miserè in pluribus attenuatam corrupit & extirpauit. Enimuerò cum [b] *Ecclesia do-* [a] Ps. 25.5.

[b] 1. Tim. 3. 15. *mus Dei* ſit, *columna & firmamentum veritatis*, [c] ad quam in omnibus dubijs & controuerſijs tanquam ad ſacram quandam anchoram & certiſſimam fidei magiſtram, inſuperabilemque cœleſtis veritatis arcem cõfugiendum eſſe, hi ipſi libri quaſi ex inſtituto demonſtrabunt: fieri aliter non poteſt, quam vt muro hoc ſubruto, & propugnaculo fidei deſtructo, venti liberè in domini fideles incurſent, & hoſtes pleno agmine [d] *in vineam* Dei irruant, & flumina flagitiorum omnes virtutum agros proſternant. Qua de cauſa nihil tam è fidelium re & ſalute eſt, quàm paribus hoſtiũ molitioni conatibus obuiam iri, obſcuratamque Eccleſiæ gloriam in priſtinum nitorem reſtitui. Quo vno capite rectè conſtituto, cætera omnia promptius inde conſequuntur, & tum doctrina Catholica firmius addiſci, tũ hæretica perfidia felicius euitari: Imò facilius tolli atque exſcindi poteſt. Quemadmodum enim ad arborem exſcindendam nihil ſingulo-

[c] Deu. 17. 8. Matth. 18. 17.

[d] Matth. 20. 1. 2.

rum foliorũ, singulorũ ramusculorum, & frondium amputatione op' est, sed [e] *securis radici apposita* compendiũ laboris facit, & funditus lignũ inutile tollit: sic ad concidẽdas pestiferas hæreses nihil attinet, accurato semper opere singularũ blasphemias & deliramenta quasi ad viuũ resecare, nefarijsque hominibus integræ actionis honorẽ deferre: sed vnica Ecclesiæ Præscriptio, Vnica *Cathedræ Petri* appellatio omnes omnium hostium conatus plenissimè fortissimeque repellit. Vt libenter huc accomodem illud M. Ciceronis pro Cæcinna. *Non solum* inquit, *impulsu scutorum, neque conflictu corporum, neq; ictu cominus, neque coniectione telorum, sed sæpè clamore ipso militum magnas copias pulsas esse & vidimus & audiuimus.* Ac sane quotquot pro salute Ecclesiæ vel in excubijs stant, vel arma capiunt, nunquid castris semper egredi, ac cominus cum hoste ferro decertare debent? Nihil minus. Imo verò eminus quasi longa hasta, aut iactu teli [f] *etiam sine retractatu doctrinarum,*

[e] Matth. 3.10.

[f] Tertul. l. 5. aduers. Marcio.

narum, quod hoc sint de praescriptione Nouitatis, hæreticos omnes conficere possunt: quemadmodum hanc pugnandi rationem aduersus capitales illos Ecclesiæ hostes *Donatistas, Luciferianos, Arianos, Montanistas, Nestorianos, Eutychianos, Melchisedecianos, Eunomianos, Millenarios*, & huius farinæ quam plurimos, summos illos atque auspicatissimos veritatis Catholicæ promachos *Augustinum, Hieronymum, Athanasium, Nazianzenum, Origenem, Tertullianum, Irenæum, Leonem Magnū, Epiphanium, Basilium*, quin imò ipsos quoq; Apostolos & probatissima Cōcilia adhibuisse, à [g] nostris euidenter demonstratū est. Fac igitur præsentes nunc esse omnes *Caluinianorum* ac *Lutheranorum*, phalanges, superbe cum [h] incircumciso isto exercitui Dei insultantes sibiq; præ nobis omnē veritatis ac castimonię laudē vindicantes. Quid Ecclesia? Num quāprimum *Ianum* aperire, saga sumere, hastas, Clypeos, tela, falces, variamq; armaturam peditatus & equitatu sconuocare debet? Minimè gentium. *Non-*

[g] *Thom. Staplet. praef. princip. doctri. fidei.*

[h] *1. Reg. 17. 4. 5. & seq.*

——[i] *Nondum defenſoribus iſtis* [i] *Virg. 2. Æneid.*
Cauſa eget.

Nudo capite, inermi manu, leuis tantum armaturæ excurſione vtatur: quærat ex iſtis, quinam ſint? quam cauſam factionis, quos duces militiæ habeant? Ipſine veritatis Dei hactenus tot annorum centurias ſepultæ vindices? Ipſine ſacrorum teſtamentorum hęredes? Atqui (ilicet referat) [k] *hæretici eſtis, non Chriſtiani.* [k] *Tertul. de præſcr. ca. 14. 16. 37.* Quomodo ergo Chriſtianarũ literarũ ius capitis? [l] *Nos ab Apoſtolis & Apoſtolicis Eccleſiis traducē fidei & ſemina doctrinæ accepimus.* [l] *Ibid. ca. 20. 37.* Veſtra falce nihil indigemus. [m] *Habet Eccleſia promiſſionem ſpiritus ſancti, qui eam deducat in omnem veritatem: habet Dei villicum Chriſti vicarium, qui non ſinit Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quam ipſe per Apoſtolos prædicauit.* [m] *Ibi. cap. 28.* [n] *In omnibus veritas antecedit imaginem, poſtremò ſimilitudo ſuccedit. Poſterior res noſtra non eſt, imo omnibus prior eſt: hoc erit teſtimonium veritatis vbiq; occupantis principatum.* [n] *Ibid. ca. 29. 35.* [o] *Voſque ipſi in Catholicam primo doctrinam apud Romanenſem Eccleſiã credidiſtis.* [o] *Ibi. c. 30.*

ᵖ Ibid. c. 31 *didistis.ᵖ Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse dominicum & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit aduersus posteriores quasque hæreses, quibus nulla cōstantia de conscientia competit ad defendendā sibi veritatem.*

ᑫ Ibi. c. 32. *ᑫ Edite igitur origines Ecclesiarum vestrarum, euoluite ordinem Episcoporum vestrorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolicis perseuerauerint, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne Conlocatum refert. Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtique & cætera exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingite tale aliquid hæretici: Quid enim vobis post blasphemiam illicitum est? Ipsa enim doctrina vestra cum Apostolica comparata ex diuersitate & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicuius auctoris esse, neque*

Aposto-

Apostolici: quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter pdicauerunt, Atq; hæc [t] *consanguinitas* vestra cum hæreticis maxima est. quædam enim iam olim ab Apostolis reprehensa, & à concilijs damnata docetis. Quædam finxistis noua, [s] *quæ sola ætate præiudicantur, tanto magis adultera, quanto nec ab Apostolis nominata.* [t] *Romanæ Ecclesiæ statu felici totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.* [u] *Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Venite fratres si vultis, vt inseramini in vite. Dolor est cum vos præcisos videmus ita iacere. Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo patrum quis cui successerit, videte.* [x] *Hæc est hæres Apostolorum. Sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita tenet. Vos certè exhæredauerunt semper & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos.* [y] *Vos instrumenta doctrinæ adulterastis. Alius manu scripturas, alius sensu expositiones interuertit. Neque si quis integro instru-*

[r] *Ibi. c. 32. 33.*

[s] *Ibi. c. 34.*

[t] *Ibi. c. 36.*

[u] *August. psal. cont. part. Donat.*

[x] *Tertul. de præscri. cap. 37.*

[y] *Ibi. c. 38.*

mento vtitur, non callidiore ingenio manus infert veritati. Hic exertè & palam Machæra, hic stylo cadem scripturarum conficit. [z] *Homerocentonas & Virgiliocentonas pro sanctissimis Dei eloquiis supponitis.* Tandem & [a] *de genere conuersationis qualitas fidei* vestræ *æstimari potest: doctrinæ index est disciplina.* En *quàm* [b] *futilis cõuersatio* vestra, *quàm terrena, quàm humana, sine grauitate, sine auctoritate, sine disciplina, vt facilè ex fructibus pateat arbor.*

[z] Ibi. c. 39.
[a] Ibi. c. 43.
[b] Ibi. c. 49.

Hæc Ecclesiæ arma, his similia multa affatim suppetunt, quibus à longè hæreticorum conatus tanquã iniecta torpedine remoretur, arietesq; ipsorũ à contingendis *Hierosolymæ* muris prohibeat. Verũ quia tãta [c] *perfidorum hominũ dementia est, vt cum ipsi ingenti dissensionis & schismatis in crimine constituti, & ab Ecclesia separati sint, sacrilega tamen temeritate non dubitent in nos sua crimina retorquere: cumq; sint à semetipsis facti immundi, sordidis sacrilegiis inquinati, hoc nos esse contendant: & cũ scriptum sit,* [d] *canes foris remãsuros, & Apostolus hoc eosdẽ canes docuerit*

[c] Cypr. lib. contr. Nouatian.
[d] Apocal. 22. 15.

cuerit esse vitandas sicut legimus,[e] *videte canes, videte malos operarios: rabiem suã non cessent latratibus excitare, luporum more tenebrosam caliginem optare, qua facile possint ferina sua crudelitate oues à pastore direptas spelunca tenebrosa laniare:* In alteram nobis curam incumbendum est, vt hac larua lupis detracta, quis Deus sit, quis Satan, quis[f] *Iacob*, quis *Esau*, quis *Paulus*, quis [g] *Hymenaeus & Philetus*, perspicuè sine vllius coniecturæ imbecillitate testibus omni exceptione maioribus demõstretur & cognoscatur. Nam quę Catholici suo quasi ore differunt, & argumentis quibuscunq; stabiliũt, gẽs hęc ferrea [h] ἀναιδὴς προσώπῳ, vt sophistica & suspecta refugit, contẽnit, & pedibus etiam turpiter conculcat. Quocirca omninò meretricia hæc frons in re præsenti malleo vetustatis contundenda est, vt quid CHRISTVS de Ecclesia sua prodiderit, quid Apostoli promulgarint: quid patres crediderint, quid fideles tenuerint, & tẽpora tandẽ longa ad nos vsq; propagarint, nõ à suspectis, sed

[e] Philip. 3. 2.
[f] Gen. 27. 19.
[g] 2. Tim. 2. 17.
[h] Dan. 8. 23.

ſed certiſſimę fidei doctoribus & authoribus coram vel inuitis animis audiant, cernant, & palpent, quotquot non planè omnes verecundiæ pietatiſque fines exceſſerunt.

Hanc ad rem cogitanti mihi AMPLISS. DOMINE, quinam Sanctorum Patrum commentarij vtiliſſimi forent (omnes enim quotus quiſq; illorum legerit?) inciderunt ex omni ætate prima, media, & vltima *Tractatus ſex aurei, à fronte libri pnotati.* Vnde quanquam in omnibus paſſim diſputationibus & Colloquijs *pleno horreo* ſententiæ depromuntur: tamen quia ſunt veluti membra à corporo auulſa, quorum cum capite connexio manifeſtè non liquet, neq; eam habent vel euidentiam vel firmitatem, quàm ſi integra atque indiuulſa totius corporis compage in arenam producerentur: Conſultum putaui, quo friuolis aduerſariorum tergiuerſationibus, & putidiſſimis ineptiſſimiſq; exceptiunculis tempeſtiue occurreretur, integros Patres integro orationis habitu in ſcenam

nam

nam producere, atque eorum voce suffragijsque hanc diu multumque agitatam de Ecclesia litem dirimere: vt quid Ecclesia sit, quàm latè dispersa, quàm firmiter fundata, quàm arctè capite vno colligata, quàm perspicuo indiscissoq; filo continuata, & ad finem vsq; seculi, in medijs etiam [1] *Antichristi* furoribus continuanda, miserorum hominum stupor vel palpando tangeret, & tangendo resipisceret. Sed hanc rem cum non parum iuuatura videretur perspicua singulis libris & capitibus asscripta ANALYSIS, qua rudioribus minusq; attentis grauiora rerum momenta quasi intento digito demonstrarentur, vel inuitis hanc gratiam pręstare volui, vt admirabilis priscorum nouorumque hæreticorum similitudo illustrius omnium oculos feriret, ac pleniorem intelligentiam plenior sequeretur obedientiæ fructus. Qua de causa in hanc cum primis curam incubui, vt ipsosmet hæreticos suæ causæ proditores facerem, prolatis in medium proprijs eorundem assertio-

[1] *Luc. 1. 33 August. 20. de ciuit. Dei cap. 8.*

ſertionibus & ſcriptis, quibus veterum Hæreſiarcharum mores, dicta, facta, vniuerſamque diſciplinam ita expreſſerunt, vt *nec ouum ouo, nec lac lacti poſſit eſſe ſimilius*.

Iam huic lucubrationi meæ cum paſſim recepta conſuetudo, multoque magis virulentiſſimæ quorundã in me exertæ liguæ, Patronum quęrere iuberent, habita aliquandiu deliberatione, non melius me hoc munere defunctorum putaui, quam ſi nouitius Catholicus Veteranũ Catholicum, Romanæ fidei aſſertor, Romanum ciuem, Germanus Germaniæ operam nauans, Germanicæ gentis Ampliſſimum Protectorem, cliens denique patronum fideliſſimum & beneficentiſſimum eligerẽ. Quem? OCTAVIVM PARAVICINVM, Apoſtolicæ aulę principem, Catholicæ Eccleſiæ lumen, purpuratorum Patrum decus, in quo eſſet ſumma dignitas generis, induſtriæ, doctrinæ, ſapientiæ, magnitudinis animi, ſanctitatis, cęterorumq; ornamentorũ omnium: de quo nihil

hil nisi hoc vnum ambigere liceret, fortius ne hunc laborem clypeo auctoritatis suæ aduersus maleuolos defensurus, an humanius tesseram graditudinis à me accepturus esset. Quam spem de Ex^tia T^a cæterisq; Illustrissimis Romanæ curiæ Principibus cur concipiam, quia tenebrecosi errorum coloni non vident, nimis familiariter me in sumorũ Principũ Palatia irruere calumniantur: Ipsi haud vlli limini Catholico pedẽ admouentes, vel stulto contagij metu, vel sapiente errorũ suorũ ac [k] stigmatũ hæreticorũ recordatione: quæ tamen iterũ vel suæ tegunt integritatis, vel nostræ expungũt falsissima persuasione vanitatis. O viri, quibus furijs vos exagitandos dedistis? ROMA filios suos agnoscit libẽter, fideique magistra, fidei tutelam nunquã recusat: quin obuijs potius vlnis amplectitur ac suscipit: [l] *Vrbs potens, vrbs sancta, vrbs orbis Domina, vrbs Apostoli voce laudata, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione deleuit:* [m] *Cui totam doctrinã Apostoli cum*

[k] *1. Tim. 4. 2.*

[l] *Hieron. in fine lib. post. aduers. Ioui.*

[m] *Tertul. de præscr. cap. 36.*

tum sanguine suo profuderunt. Hinc authoritas vniuerso orbi *præsto est.* Hæc vos in Christo parturit, quemadmodum me iam peperit. Ingemiscite precibus, turgescite lectione, mitescite obedientia, maturescite fide; enitimini fortes, non fictum ad calumniam *Iudam*, sed sincerum ad constantiam *Paulum*: non æris auidum vel auræ, sed salutis cupidum, atque æterni cunctorumque vindicis Dei obsequentissimè timentem. Neque alios vestrâ semper regula metimini.

[n] *Virg. 1. Æneid.* [n] *Nō obtusa adeò gestamus corda* Latini,
Nec tam auersus equos Latiâ *sol iungit*
ab vrbe.

Colimus & nos Catholici Deum, & soli quidem καρδιογνώστην colimus, [o] *Ibidem.* [o] *memorem fandi atque nefandi*: nec pluris facimus [p] *Mammonam* quàm *Christum.* [p] *Matth. 6.24.* Docuit Entheus ille spiritus, quid aurum sit, quid gloria huius mundi, euanescens instar fumi, ac miserè cultores suos supplantans. Æternitatis pondus firmius insedit mentibus nostris, quàm vt horribi-

les

les inferni torturas vilissimo luto promercemur. O pestilens suspicio, quas trabes interiicis fortissimis populis, quo minus nobiscum vinculo pacis coalescant, ne sempiterno miseriæ claustro vincti lancinatiq; detineantur? Sed quo delabor ILLVSTRISSIME PARAVICINE? cœperam pro eo ac debui quàm humillime qualescunque has lucubratiunculas meas Excellentissimo nomini Tuo consecrare, atq; aduersus *Theoninos dẽtes* cõmendare. Quod Patrocinium si pro eminentissimo dignitatis tuę fastigio ęgrius me obtenturum putarem, vberioribus ác neruosioribus id verbis cõtenderẽ. Sed nimirum spectatissima animi tui facilitas, & humanissima iã olim causæ meæ apud S^m^.D^m^.N^m^.promotio, planè me labore isto perfungi non sinũt. Quin & ipsa causæ pietas grauissimaque Sanctorum Patrum fulgetris verborum in perduelles detonantium authoritas, non leue petitionim eæ pondus addit. Accipe igitur *Amplissime Mæcenas* hoc paruũ

opusculum, lucubratum his iā longinquioribus per hyemem noctibus: donec maiorum Vigiliarū munera in nomine tuo appareant. Nos interea, quod muneris nostri est, Deum Optimum Max. summum Ecclesiæ custodem quotidianis precibus lacessere non desistemus, nostris pro Ecclesia laboribus vt clementer benedicere, tuæque ac omnium Romanæ Ecclesiæ Præsulū Amplissimorum: inprimis verò Sanctissimi ac vigilantissimi Pōtificis N. CLEMENTIS VIII. (Cuius diuinæ virtutes & admirabilis erga me indignū iam plurimis signis testata propensio faciunt, vt non possim non Sacrosanctū habere nomen eius, omniq; posteritati tanquā diuinū suspiciendumq; prædicare) lōgissimū vitæ ac prosperrimū cursū tribuere dignetur. [a] *quo lucere pergant tāta in tātis malis nostris solatia in hac generatione tortuosa ac peruersa, tā ardenter accēsa de sūmo lumine lumina, suscepta humilitate sublimia, & comtēpta claritate clariora.*

[a] *August. Epi. 227. ad Albinum.*

Moguntiæ. Idib. Mait. M.DCII.

AD

AD LECTOREM.

AVLVS[a] *Gellius* coronidem *Noctibus* suis *Atticis* impositurus, *multos* ait, *in insigniendis libris miras sequi inscriptionum festiuitates.* Et[b] C. Plinius plerosq; inqt ita in hac pompa excellere, *vt multos ad vadimonium deserendum compellant*: seu vt[c] Senecæ verbis vtar, *patri obstetricem parturienti filiæ accersenti moram iniicere possint.* Non nos hoc modo, *Amice Lector*: sed cōtractioribus hisce per hyemē diebus operi præsenti ad vtilitatē tuā seligundo illustrandoq; incūbentes, cū tandē ad vmbilicum pduxisse conatū videremur, partim ab argumento, partim à primo *Tertulliani* tractatu tanquā à ianua nomen mutuati, totū hoc opus PRÆSCRIPTIONVM nomine indigitauimus, & quidem PERPETVARVM:[d] iustissima vt putam⁹ de causa, quod vis nominis cū ratione instituti nostri apprimè cōueniret. PRÆSCRIPTIO enim (vt[d] Iure consulti, quorum hæc vox propria, tradunt) inter

[a] *Gell. lib. 20. cap. 11.*

[b] *Plin. præfat. Nat. histor.*

[c] *Senec. Epist. ad Lucil.*

[d] *Instit. ff. & C. de vsucap. & longi temp. Præscript. Ext. de Præscrip.*

inter modos ciuilis acquisitionis numeratur, definiturq; *Adiectio dominii per continuationem possessionis tẽporis lege definiti.* Qua ex re quia EXCEPTIO nascitur, qua rem quampiam petens, possessione eiusdem prolixa & iusta ab agendo repellitur, fit vt [e] Præscriptio frequentissimè apud veteres pro exceptione vsurpetur, definiaturque, *Exceptio ex tempore substantiam capiens, quæ actioni personali vel in rem opponitur.* Quę nostræ causæ opportunissima est hic significatio. [f] *Præscriptiones* enim vocamus, generales Ecclesiæ defensiones & exceptiones, quibus ad frustrandos hæreticorum impetus, eorumque iniustissimas contra domũ Dei actiones repellendas *etiam sine retractatu doctrinarum* vtitur: quemadmodum vocis huius ἐνέργειαν optimè expressit [g] Tertullianus. *Alius* inquit *libellus hunc gradum sustinebit, aduersus hæreticos, etiam sine retractatu doctrinarum* (id est sine speciali singularum quæstionum discussione,) *reuincendos, quod hoc sint de præscriptione nouitatis.* Cæte-

[e] *L. pen. & l. fin. C. de Excep. l. qui agnitus. 11. ff. de Excep. Facit Ru. in ff. & C. de Excep. seu. præscript.*

[f] *Adde Cuiac. de diuers. Temp. præscript. in Proœm.*

[g] *Tertul. libr. 1. aduers. Marc.*

Cæterum PERPETVAS vocamus has Præſcriptiones, quod non vni tantum ſeculo, non Patrum aut noſtrę ætati, ſed vniuerſo ſeculi decurſui ſeruiant: vbi quemadmodum eadem ſemper eſt & permanet Eccleſia, licet à diuerſis eodem ſtudio oppugnata: Ita vno ſemper armorum genere ſe tuetur & victrix eſt, vel eminus coniiciendo Præſcriptionũ tela, vel cominus ſingularum quæſtionum capita decidendo.

Iam ſtudium noſtrum quod attinet, Præſcriptionum tractatus ex Sanctis Patribus depromere, quàm priuata commentatione nouos cudere maluimus, quod antiquitatis pondus multum videbatur rationibus ſingulis allaturum momenti. Noſtra autem voluntas eò præcipuè propendit, vt quæ antiquitus pro Eccleſia contra *Hermogenem, Valentinum, Apellem, Manem, Nouatianum, Donatum, Neſtorium*, & ſimiles peſtes valuiſſent, eadem hodie contra *Lutherum, Zvinglium, Caluinum, Mēnonem, Seruetum*, & vniuerſum ab

inferis resuscitatum Nouatorũ gregem valerent, cum omnia habeant inter sese ad amussim similia: eadem origine orti, eodẽ successu progressi, eodẽ furore ijsdemq; armis contra eandẽ Catholicam Apostolicã Romanã Ecclesiam præliati. Quã rem vt Lectori euidentius probarem, de meo Patribus lumen ANALYSEOS adieci: pręfixo singulis libris & capitibus argumento, partitioni subnexâ exegesi, vspiam etiã, in *Tertulliano* pręsertim, *Cypriano* ac *Vincẽtio*, qui obscuriorem dicẽdi rationẽ sequũtur, ex *Pamelio* & *Costerio* quas inueni annotationib' aspersis. Quibus vbi quid Notarum ex proprio penu interiicere visum, signũ duarum literarum I. B. (sic enim deinceps scribendum, non vt hactenus I. C. cognomine prisco,[h] vt Epistolæ testabũtur, grauibus à me causis abiecto) appositum inuenies, quo à *Iacobo* pśertim *Pamelio*, cuius hæ indices literæ I. P. distinguerentur.

[h] *Vide inf. Epist. 2. & 3. Vindic. meis præfixam.*

Hanc opellam meam, *Amice Lector*, vt vsibus tuis studiosè nauatam æqui-

æqui boniqueconſulas, per pietatem & honeſtatem tuam obſecro. Nouum iſtud Prophetarum genus, qui contemnendis noſtris, ſugillanda fama, & omni fortuna mendaciſſimè traducenda nunquam ſibi ſatisfaciunt, adeò non curo, vt ne ſtomachi quidem vel memoriæ honorem illis deferam. Mentiantur ſtrenuè, calumnientur audacter, conculcent pedibus omnes literas meas, nullam mihi plagam vel minimam omni conatu ſuo inferent. Hîc verò Sanctorum Patrum manibus, ætate grauium, pietate illuſtrium, doctrina clarorum, miraculis admirabilium, omni deniq; ornamento ad mundi Magiſterium inſtructorum, ſi quid iniuriæ afferre cogitant, ſciant [i] *anathema nobis eſſe quotquot euangelizant aliud, præter quã ab iſtis accepimus.* Hi .n. ſunt, quos poſt primæuam ætatem Dominus Eccleſiæ ſuæ dedit ſatores, nutritores, paſtores & Doctores, [k] *ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis* CHRISTI,

[i] *Gal. 1. 8. 9.*

[k] *Epeſ. 4. 12.*

donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quod votum meum si impleueritis, calumniatores, tum demum piorum virorum ac verorum Christianorum loco à me habebimini. Nam quod singulis me concionibus traducitis, & quem antea bonum, honestum, literatum sponte agnouistis, nunc inuidia inflati odiosissimis passim dicterijs incessitis, scitote impotentis animi vestri argumentum esse; scitote stultissimæ hoc præsumptionis à bonis haberi; *quam* (vt cum[1] *Augustino* meo hunc locum concludam) *non curat Catholica Ecclesia, cuius causam contra vos ago: cui tot diuinis testimoniis præsidenti, nulla humana de quo quam homine testimonia seu vera seu falsa, qua gaudet auferunt veritatem. Desinite igitur talibus: vnus homo sum, Ecclesiæ inter nos agitur causa, non mea. Ecclesiæ inquam, quæ in nullo homine spem ponere à suo didicit redemptore. Quanquam nec de me ipso vobis, etiam si meam conuersationem nosse-*

[1] *Libr. 3. cont. Cres. Gram. c. 80.*

nossetis, rectè crederetur inimicis mihi. Ad existimationem hominum [m] magna testium, qui me nouerunt, suppetit copia, ad Dei verò conspectum sola conscientia: quam contra vestras criminationes cùm intrepidam geram, non me tamen sub oculis omnipotentis iustificare audeo, magisque ab illo effluentem misericordia largitatem, quam iudicii summum examen expecto, cogitans quod scriptum est, [n] cum Rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato?

[m] *Hic triumpho ô honor.*

[n] *Prouerb. 20. 8. 9.*

ROBERTVS BEL-
LARMINVS POLITIA-
NVS S. R. E. CARDINALIS,
Archiepiscopus Ca-
puæ

*IVSTO BARONIO VETE-
RACASTRENSI S.*

LITTERÆ tuæ die 30. Iunij *Romæ* scriptæ, vnà cum libro *Præscriptionũ aduersus hæreticos*, quas dudum periisse arbitrabamur, Ecce mihi de improuiso ex PROCHITA insula à quodam mei amantissimo Episcopo adferuntur. Vbi latuerint tamdiu, vnde ad Insulam appulerint, nemo qui sciat. Ac ne quidem ipse Episcopus referre potuit, quis is sit, qui ei literas & librum deferendum dedit. Inscriptio nominis mei, præsertim cum in ea insula sacerdotium possideam, fecit, vt literæ non perirent. Itaque hac ipsa die, qua literas tuas eruditissimas, & suauissimas accepi, gratulandum tibi esse duxi,

duxi,quoniam *filius tuus mortuus erat,* Luc.15.
& reuixit,perierat, & inuentus est. De 16.
literario tuo labore nihil habeo quod dicam, cum librum nondum perlegerim, spero talem me inuenturum, qualia cætera sunt, quæ à te prodierunt,in quibus neque sermonis elegantia, neque sententiarum grauitas desideratur. Vale mei memor,& sarcinam meam Episcopalem precibus tuis subleua. Datum Capuæ. die 8. Nouemb. M. DCII.

AD

AD IVSTVM BARONIVM VETERACASTRENSEM, FIDEM Catholicam Aduersus hæreticos Ex SS. Patrum scriptis propugnantem

Ἐπιβατήριον.

Rursus Gigantes, monstri ferum genus,
Diuos in ipsos bella redintegrant,
Cœlumq; miscentes Profundo,
In sua fata Polum lacessunt.
Ex quo LVTHERVS, *more* T*yphoëi,*
Contaminato cum grege complicum
Per bella calcatasq; leges,
Teutonicas inimicat vrbes,
Ex quo, è Lemano prosiliit lacu
Mystes gehennæ, stigmatias ferox,
Cui dulce, dementes ruinas
Francigenis dare luctuosis.
Seu styx, & inuisi horrida Tartari
Sedes, in auras miserit, vt sacra
Palam profanent, & per orbem,
Innumeros cieant tumultus;
Vexentq; diris seditionibus,
Opinionum erroribus ebrii
Bellantur, ac si essent Ceriti, aut
Anguibus Eumenidum furentes.
*Hæc bella (*DIVIS FATA *regentibus)*
Te IVSTE *poscunt. Tu lituos cape*
Ad arma, conclames; ad arma;
Classica rauca sonent fragore.

Si

Si aures minaci murmure personent,
Ingens virûm vis Mercurialium,
Plenis maniplis aduolabit,
Ad creperi fremitus duelli.
Tu tantum in hostes spicula dirige,
(Prompta è vetustis spicula PATRIBVS)
Fidensq; distringas reclusum, in
Hereticos, atheosq; ferrum:
Vixêre pridem. ast nunc melius, DEO
Viuunt propinqui; spirat & in sacris
Doctrina libris, quam tuenti
Auspiciis aderunt secundis.
His euge telis, his ducibus potens
Confide cœlo; desine languidi
Timoris: hæc sint æstuoso,
Ceu Helice, ac Cynosura ponto.
Decreta MAIORVM *catus aspice*
Tritam irretorto lumine semitam;
Ne cede dextrâ, neu sinistrâ:
Regula sint tibi scripta PATRVM.
Hæc arma Nato Ecclesia contulit
Magnusq; ab alta te specula excitans
Hortatur en PASTOR, *paternisq;*
Alloquiis animos ministrat.
Cum laude victor prorue in hosticum,
Mentesq; lymphatas subito metu
Confunde, da in veros timores
Bella supercilio minantes.
Belli secundos ducet ad exitus,
Dux ille belli: Tu calamo fidem
Testare, scriptisq; hanc probare
Sanguine purpureo paratus.

Labora

Labora IESV *sub duce & auspice;*
Qui omnes corusca fulmine dexterâ
Perdet gigantes, hæresinq;
Terribili involuet ruina.
Sic te beatâ mactet adoreâ,
Merentem ad arces ætheris euehens,
Quo clara defigas tropæa, &
Hostibus è domitis triumphos.

P. B.

ALIVD.

PRÆSCRIPTIONES *qui legis hæresum*
Si te salutis cura coquit tuæ,
Si veritas cordi est, fidesq;:
Per propriam, rogo te, salutem;
Per veritatis, per fidei sacra,
Per quicquid vsquam est carum, & amabile;
Depone formatum antè, mente
Iudicium, mediusq; sistens;
Accede Iudex æquus, & arbiter,
Remq; irreflexo pondere iudica:
Non parua, non vilis, sed à quâ
Pendeat ipsa fides, salusq;.
En IVSTVS *Orbi (nec sine Numine)*
Quos litterato perpolit otio;
Vulgare, diuino libellos
Deproperat stimulatus æstu;
In queis renidet cana fides Patrum;
Ecclesiæq; æterna, DEI *sono,*
Collata per PETRVM *potestas*
Ceu speculo in nitido refulgẽt.

Hinc

Hinc purioris fons sapientiæ;
Dimanat orbi; de melioribus
Doctrina deriuata venis
Cum flueret locuplete cornu;
Cum clara virtus, pectus & integrum,
Deoq; plenum, curaq; peruigil,
Hausere diuinos calores,
Sole animos subeunte; PATRES:
Hinc veritatis lumen, in vltimas
Sparsêre terras, laudibus inclyti
Heroes, effudêre in orbem,
Perpetuis memoranda seclis.
En QVINQVE TESTES, *vt fidei suæ,*
Sic Christianæ gentis, & vnicam
Testantur omnes veritatem,
SEDEM ET APOSTOLICAM *verentur.*
Qui cum priores Hæreticos premunt,
Eodem NOVANTES *vulnere sauciant,*
Ecclesiæ, vt quisq; vnitatem
Astruit, Hæreticos refellit.
Hos IVSTVS *acri iudicio, notis*
Illustrat, optans porgere opem malis;
Recentibusq; addens vetustos,
Luce nouatâ animosus ornat;
Ceu scriba doctus, qui vetera & noua
Depromit, alti dotibus ingenî,
Paruisq; concludit libellis,
Diuitias operosiores.
Tantos labores, LECTOR, *habe tibi,*
Voluas, reuoluas, omnia discute,
Quid fronte promittant, Vel imo
Abdita quæ lateant recessu.

Tum

Tum te mouebunt (sat scio) si modo
Mens æqua, recti Iudicii potens,
Momenta rerum ponderarit,
Ac penitus biberit medullis.

INDEX

TRACTATVVM PRAESENTIS operis.

PRÆ-

PRÆSCRIPTIONVM ADVERSVS HÆRETICOS PERPETVARVM

TRACTATVS PRIMVS.

Qui est

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI LIBER, EODEM TI-tulo insignitus, de præscriptionibus aduersus hæreticos.

ARGVMENTVM ET PARTITIO LIBRI.

PRIMVM inter præscriptores locum ætatis & doctrinæ merito TERTVLLIANO dabimus: qui secundum Vincentium Lirinensem & S. Hieronymum *primas inter latinos Ecclesiasticos obtinet*: & Lactantio teste, *omni genere litterarum præditus fuit, quanquam in eloquendo parum facilis, minus comptus & multum obscurus*: & quemadmodum Hierony-

Tertullianus quis quantusque fuerit.

Vincent. in commonit. c. 4.

Hieron. in catalogo.

Lactant. li. 5. institut. cap. 1.

Hieron. de

Hieron. de Institut. monach. ad Paul. mus addit, *creber in sententiis, sed difficilis in eloquendo.*

Tom 6. de Heres. ad Quoduultdeum heres. 86. *Augustinus* opuscula eius eloquentissimè scripta censet: quanquam inter hæreticos eum numerat, non quòd *animam immortalem effigiatum corpus esse dixerit, quemadmodum etiam Deum corpus non effigiatum*: id est, Augustino interprete, *substantiam realem, nō inanitatem* dixit: *sed quia transiens ad Cataphryges, quos antè destruxerat, cæpit etiam secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam tanquam stupra damnare, & postmodum etiam ab ipsis diuisus, sua conuenticula propagauit:* nempè Tertullianistas, qui vsque ad Augustini tempus *paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt, in vrbe Carthaginiensi: eoque ibi posito omni ex parte consumpti sunt.* *1. Tim. 4. c. 3.*

Vita Tertulliani ex S. Hieron. Sed totam TERTVLLIANI vitam *Hieronymus* in Catalogo breuiter cōplexus est. TERTVLLIANVS, inquit, PRESBYTER *nunc demum primus post Victorem & Apollonium latinorum ponitur, Prouinciæ Africæ, Ciuitatis Carthaginiensis, patre Centurione*

Procon-

Proconsulari. Hic acris & vehementis ingenii, sub Seuero Principe & Antonino Caracalla floruit, multaque scripsit volumina: quæ quia nota sunt pluribus, prætermittimus. Vidi ego quendam Paulum Concordiæ, quod oppidum Italiæ est, senem, qui se beati Cypriani iam grandis ætatis notarium, cùm ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referreque sibi solitum, nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione vnam diem præterisse, ac sibi crebrò dicere, da Magistrum Tertullianum videlicet significans. *Idem habet Epistola ad Pammach. & Ocean.* *Hic cùm vsque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ permansisset, inuidiâ posteà & contumeliis clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus, in multis libris nouæ Prophetiæ meminit. Specialiter autem aduersum Ecclesiam texuit volumina de pudicitia, de persecutione, de ieiuniis, de Monogamia, de Ectasi libros sex, & septimum quem aduersum Apollonium composuit. Fertur que vixisse vsque ad decrepitam ætatem, & multa quæ non extant, opuscula condidisse.*

Atque hæc causa est, cur Gelasius Papa I. scripta Tertulliani inter Apo- *Tertul. scripta quatenus apocrypha.*

Apocrypha numerauerit: non quòd nullo modo legi vellet, ſed quòd publicè & in templis recitari nollet, quemadmodum hæc vis eſt vocabuli ἀπόκρυφος, & decretum ipſum manifeſtè oſtendit.

Alioqui præſens liber præſcriptionum, quemadmodum & reliqui pro Eccleſia ſcripti, eam ſemper apud eruditos authoritatem meruerunt, vt ne ipſi quidem Sectarii ab eorum fide abhorruerint: quod variis ipſorum allegationibus patet. Calu. 1. Inſtitut. cap. 10. §. 3. & 2. Inſtit. cap. 14. §. 7. & 3. Inſtitut. cap. 20. §. 48. Philippus in corpore doct. pag. 145. 305. Beza vol. 2. p. 74. &c.

Partitio libri. Argumentum eius, tum ex iis, quæ ſupra generatim de inſcriptione huius operis dicta ſunt, tum ex partibus cognoſcetur: quas conſtituo tres.

Prima eſt Exordium quinque diuerſas propoſitiones continens. I. Neutiquam mirandas eſſe hæreſes cap. 1. 2. 3. II. Non tantùm non mirandas, ſed omni etiam ſtudio tan-

tanquam noxias & peſtilentes vitandas hæreſes, cap. 4. 5. III. Quid ſit hæreſis, & vnde dicatur, cap. 6. IV. De cauſis hæreſeon duabus, Philoſophia cap. 7. & curioſitate. cap. 8. 9. 10. 11. 12. V. Quæ ſit regula fidei, & quàm ſanctè illa ſine diſceptatione tuenda. cap. 13. 14.

Altera pars à cap. 15. ad 45. vſque complectitur 10. præſcriptiones aduerſus hæreticos: quas ſuis locis ordine annotatas inuenies.

Tertia pars inde ad finem vſque libri Catalogum veterum hæreticorum in ſpecie enumerat.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI

DE PRÆSCRIPTIONIBVS ADVERSVS HAERETICOS LIBER VNVS.

CAPVT I.

Exordij thesis prima: quòd mirari super hæreses non oporteat.

Ratio 1. à prædict. Domini.
a Matth. 7. & 15. Matth. 24. & 4. 11. 23. 24
b 1. Cor. 11. & 19.
Ratio 2. à vi hæreseon interna.

CONDITIO præsentium temporum etiam hanc admonitionem prouocat nostram, non oportere nos mirari super hæreses istas, siue quia sunt; [a] futura enim prænunciabantur; siue quia fidem quorundam subuertunt; *adhoc enim sunt*, [b] *vt fides habendo tentationem habeat etiam probationem.* Vanè ergo & inconsideratè plerique hoc ipso scandalizantur, quòd tantùm hæreses valeant, quantum sint: quum quid sortitum est, vt omni modo sit, sicut causam accipit, ob quam sit, sic vim consequitur, per quam sit, ne esse non possit.

ANALYSIS CAP. I.

Diximus supra in argumento huius libri, Exordium quinque diuersas theses complecti: quarum prima

prima suprà in argumento capitis prænotata, tribus prioribus capitibus absoluitur, atque 8. rationibus comprobatur.

Prima est talis hoc capite. Aut miramur hæreses, quòd existunt, aut quòd fidem quorundam ab recta linea dimouent. Neutrum faciendum est, quia & futuras hæreses salutis nostræ instauratores sæpius præsignificarunt: & esse ea non sine singulari Dei consilio sinuntur: sed *vt qui probati sunt, manifesti fiant in nobis.* Et quemadmodum S. Augustinus scribit, *vt inter inimicos erudiamur, ac sic & fides & dilectio nostra possit esse probatior. Fides vtique ne ab eis decipiamur: dilectio autem vt etiam ipsis corrigendis quantum possumus consulamus, non solum instantes, ne infirmis noceant, atque vt ab errore nefario liberentur, sed etiam orantes pro eis, vt aperiat Dominus illis sensum, & intelligant scripturas.* *Hæreses cur non miranda.* *Rationis 1. Explanatio.* *1. Cor. 11. v. 19.* *Epist. Lit. 50. ad Bonifac.*

Altera ratio itidem hoc capite, est vel à forma hæreseon interna, vel ab operationibus formam illam consequentibus. Nam quia ex Logicorum præceptis *dans formam rei, dat simul consequentia formam.* Seu quod alii dicunt: *posita forma ponuntur tria.* I. Esse rei, quia forma est οὐσία τοῦ πράγματος. II. Distinctio rei, quia per formam quodque non solum est quod est, sed ab omnibus etiam aliis essentialiter distinguitur, & in certo entium gradu constituitur. III. Operatio quæ in quoque composito ex forma tanquam fonte profluit, quemadmodum contra materiæ sunt passiones. Fieri non potest, quin cum hæreses causas suas habeant efficientes, per quas sunt, de quibus infra cap. 7. 8. 9. 10. 11. causas etiam finales, ob quas sunt, tum probationem piorum, vt frumenta dominica solidâ fide ponderosa à leuissimis paleis & arundinibus, quæ ad omnem doctrinæ ventum mouentur, quasi ventilatione habita distinguantur, tum pœnam impiorum, *vt per operationem erroris credant mendacio, & iudicentur omnes, qui caritatem* *Rationis 2. Explanatio.* *Arist. 1. de Gener. animal. cap. 1.* *Idem de gener. text. 55.* *2 Thes. 2. v. 10 11.*

veritatis non receperunt, vt salui fierent: Fieri inquam non potest, quin & vim suam habeant internam, per quam sint, & formæ connenientes actiones edant. *Vnumquodque enim est propter suam operationem. Et omnis actio perficit agentem, si cum vltimo eius fine conuenit.* Notandum autem non frustra Tertullianum hanc admonitionem in frontispicio libri sui statuisse. Est enim illa præpostera malorum admiratio perniciosa, *Et dum mirantur homines, in scandalum subministrantur.* Vnde Horatius:

2. de cælo cap. 3.

Causa primæ huius admonitionis redditur.

Tertull. infra cap. 2.

lib. 1. epist.

> *Nil admirari propè res est vna Numici,*
> *Solaque quæ possit facere & seruare beatos.*

Et quia secundum Aristotelem ὁ θαυμάζων οἴεται ἀγνοεῖν, intellige causas rerum, *per quas solas vera perfectaque cognitio gignitur:* prudenter Tertull. à causarum explicatione hoc negotium aggreditur, &c.

1. Metaphys. 2.

Scire est rē per causam nosse

1. post. ca. 2.
2. poster. 11.
2. physic. 3.

ANNOTAT. IN CAP. I.

Q. Septimij.] Vitam Tertull. vide suprà in argumento.

Titulus præsentis libri.

De Præscriptionibus.] Præscriptio quid sit, vide suprà, præfatione ad lectorem. Malè autem quidam breuitatis gratia titulum contraxerunt DE PRÆSCRIPTIONIBVS HÆRETICORVM, quia ille argumento libri contradicit, in quo præscriptiones afferuntur, non hæreticorum, sed aduersus hæreticos. I. P.

Aetas Tertull.

Præsentium temporum] Sub Seuero videlicet & Antonino Caracalla Imperat. Sub quibus Tertull. vixit: vigente potissimum hæresi Nigidii & Hermogenis, infra cap. 30. Nos ad præsentem ætatem referamus, vbi non solius Tertulliani, sed *omnium* [a] *qui aliqua scribendi facultate pollent,* admonitionē vberrima hæc hæreticorū seges flagitat? [b] Quā non ipsi tantum fatigantibus se mutuo erroribus deplorare, præcipuasque huius gentis familias enumerare,

[a] *Aug. 1. Trin. c. 3. contra mēdacium c. 6*

[b] *Schlusselburg. Catal. lib. 1. p. 1*

merare coguntur: [c] fatentes ſponte, *turpiſsimos & impudentiſsimos veterum hæreſiarcharum errores: hodie interpolatos per fanaticos homines ab inferis reuocari:* [d] ſed Catholici quoque viri à Lutheri tempore huc vſque ad 300. ferè ſectas notabiles in vna particula Europæ excreuiſſe tradunt. O quis hoc hydræ caput exſcindet. I. C.

Tantum hæreſes valeant] id eſt: quòd quam primum hæreſes natæ ſunt, vires habeant & ſenatores. nihil enim vnquam tam abſurdè dici potuit, quin aliquos inueniret aſtipulatores. I. C.

[c] *Beza Vol. 3. 190. & 255. Hypor. Method. p. 5.*

[d] *Caluino Turciſ. lib. 4. cap. 22. p. 1019. ex Prateolo in Elencho alphabet. & Genebra, Chronol. li. 4. p. 526.*

CAPVT II.

Adhuc probat hæreſes mirandas non eſſe?

FEbrem denique inter cæteros mortiferos & cruciarios exitus erogando homini deputatam, neq; quia eſt miramur: eſt enim, neque quia erogat hominem, ad hoc enim eſt. Proinde hæreſes ad languorem & interitum fidei productas, ſi expaueſcimus hoc eas poſſe, prius eſt, vt expaueſcamus hoc eas eſſe; quæ dum ſunt, habent poſſe, & dum poſſunt, habent eſſe. Sed enim febrem vt malum, & de cauſa & de potentia ſua, vt nótum eſt, abominamur potius quàm miramur, & quantum in nobis eſt præcauemus, non habentes abolitionem eius in noſtra poteſtate. Hæreſes verò mortem æternam, & maioris ignis ardorem inferenteis, malunt quidam mirari quod hoc poſsint, quàm deuitare ne poſſint: quum habeant deuitandi poteſtatem.

Ratio à ſimilitudine febris.

πόρισμα nō tam mirandas, quam deuitandas hæreſes.

Ratio 4. ab Effectis.

Cæterum nihil valebunt, si illas tantum valere non mirentur. Etenim *dum mirantur, in scandalum subministrantur*: aut qui scandalizantur, ideo mirantur, quod tantum valeant, quasi ex aliqua veritate veniant. Mirum scilicet vt malum vires suas habeat: nisi quod hæreses apud eos multum valent, qui in fide non valent. In pugna pugilum & gladiatorum, plerunque non quia fortis est, vincit quis, aut quia non potest vinci, sed quoniam ille qui victus est, nullis viribus fuit: adeo idem ille Victor bene valenti postea comparatus, etiam superatus recedit. Non aliter *hæreses de quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes si in bene valentem fidem incurrant.*

Ratio 5. à subiectis. Hæreses infirmos tantum deiiciunt.

Confer in fine Cypri. de Vnit. Ecclesiæ cum. vltimo.

ANALYSIS CAP. II.

Ratio 3. admonitionis explicatur

Perstat in stabilienda admonitione prima, eiusque tres alias rationes affert. Vnam à similitudine febris, quæ per se satis perspicua est, & infra comparatione imparium amplificatur: Cuius sensum eleganter expressit Ouidius:

1. De Remedio amor.

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec sitiens ora leuabis aqua.
Vt valeas animo quicquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Ratio 4. explicat.

Altera ratio, quæ in ordine quarta, desumpta est partim ab effectu noxio admirationis, qui est Scandalum: partim ab eius causa mala, reciprocè, quæ itidem est scandalum; nemo enim nisi offendiculum passus miratur ἑτεροδιδασκαλίας. Aristo-

Aristoteles 1. Metaphys. μάλα inquit φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος τὸ θαυμάζειν. οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας, ἢ αὕτη. quod sic intelligendum: admirationem, id est, ignorationem causarum philosophis stimulo fuisse, ad easdem causas philosophiæ studio indagandas: quod ex *Platonis Theæteto*, vnde ille desumpsit, patet. Ibi enim tum demum vera Philosophia statuitur, si omni admiratione deposita perfectam causarum notitiam adepti simus. *Aristotel. de admiratione.*

Quinta in ordine ratio. Hæreses non nisi infirmos deiiciunt, fortes vix attingunt. Quid ergo miri vel insoliti efficiunt? *non est gloriosa victoria, nisi vbi fuerint laboriosa certamina.* Antecedens similitudine gladiatorum illustratur; de quibus multa *clarissimi Lipsii Saturnalia.* Vnde vnum *Senecæ* locum huic causæ opportunum proferre libet. *Mane* inquit *leonibus & vrsis homines: meridie spectatoribus suis obiiciuntur. Interfectores interfecturis iubentur obiici, & victorem in altam detinent cædem. Exitus pugnantium mors est.* *Ratio 5. expl. S. Ambros. de offici. Seneca Epist. 7.*

ANNOT. IN CAP. II.

Febrem deniq;] Elegans similitudo ad hæreseos affectum declarandum: cui similis est illa D. Pauli, *quorum sermo serpit vt cancer:* & S. Hieronymi: *Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus & pecora ardeant corrumpantur, putrescant, intereant. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam secanda, statim oppressus non est, per totum orbem eius flamma populata est.* Nimirum: *Hæreseos comparatio varia. 2 Tim. 2. v. 17. 24. q 3 Resecanda.*

——— Sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit & porrigine porci,
Vuaq; contactâ liuorem ducit ab vuâ. I. C. *Iuuenal. Sat. 2.*

Cruciarius *Cruciarios exitus*] id est, qui cum cruciatu homini exitium adferunt. *Apuleius* lib. 10. de Asino, cruciarium seruum vocat, cruciatu vel cruce dignum. Nonnulli cruciarium, authorem cruciatus seu carnificem dicunt. I. P.

Erogare. *Erogando homini*] id est, paulatim conficiendo & enecando. Erogare enim est, distribuere, donare pecunias, quæ ita multipliciter partita perditur seu consumitur. I. P.

Admiratio quid. *Dum mirantur in scandalum*] Admiratio enim alicuius rei aut desiderium eius gignit in nobis aut venerationem. I. P. Est autem admiratio secundum *Damascenum* Timor ex magna imaginatione. Vel secundum alios, animi super re quapiam suspensio, ob causarum quibus fit obscuritatem & ignorantiam, sicuti supra diximus. I. C. *Lib. 2. cap. 15.*

Nihil valentes si] pertinet huc parabola Domini de ædificata domo super petram & super arenam: Illa contra omnes tempestates & turbines seculi immobili: hac ad omnem spiritum erroris labascente, ac nutante, ac tandem corruente: sicut D. *Cyprianus de Vnitate Ecclesiæ explicat.* Cuius etiam hæc præclara sententia extat *ad Antonia*: *Graues viros, & semel super petram solida stabilitate fundatos, non dico aura leui, sed nec vento aut turbine commoueri, ne animus dubius & incertus variis opinionibus, velut quibusdam ventorum incursantium flatibus frequenter agitetur, & à proposito suo leuitatis reprahensione mutetur.* I. C. *Matth. 7. v. 24.* *Hæreses cõtra bene Valentem fidem infirma.* *Epist. 52.*

CAPVT III.

Occupatio: quod quidam etiam prudentissimi hæresibus locum dent, nemini offendiculo esse debere.

SOlent quidem isti miriones etiam de quibusdam personis ab hæresi captis, ædifica-

ædificari in ruinam. Quare illa vel ille fidelissimi, & vsitatissimi in Ecclesia, in illam partem transierunt? quis hoc dicens, non ipse sibi respondet, *neq; prudentes, neq; fideles, neq; vsitatos æstimandos, quos hæreses potuerint demutare*: Et hoc mirum (opinor) vt probatus aliquis retrò postea excidat? [a] *Saul* bonus præ cæteris, [b] liuore postea euertitur. [c] *Dauid vir bonus secundum cor Domini*, [d] postea cædis & stupri reus est. [e] *Salomon* omni gratia & sapientia donatus à Domino, [f] ad idololatriam à mulieribus inducitur, soli enim Dei filio seruabatur sine delicto permanere. Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si Vidua, si Virgo, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? *ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Nemo sapiens est, nisi fidelis, nemo maior, nisi Christianus: Nemo autem Christianus, nisi qui ad finem vsq; perseuerauerit.* Tu vt homo extrinsecus vnumquemq; nosti: putas quod vides. Vides autem quo vsque oculos habes, sed [a] *oculi* inquit, *Domini alti.* [b] *Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur.* [c] Et ideo *cognoscit Dominus qui sunt eius*, & [d] *plantam, quam non plantauit pater, eradicat*, & [e] *de primis nouissimos ostendit*: & [f] *palam in manu portat ad purgandã aream suam.* Auolent quantum volent paleæ leuis fidei, quocunque afflatu tentationum: Eò purior massa frumenti in horrea

Ratio 6. à varijs exemplis lapsorum.

a *1. Reg. 10. ℣. 1. &c.*
b *1. Reg. 15. ℣. 23. &c.*
c *1. Reg. 13. ℣. 14. Actor. 13. ℣. 22.*
d *2. Reg. 11. ℣. 4. 15.*
e *3. Reg. 3. ℣. 11. 12.*
f *3. Reg. 11. ℣. 1.*

Fides non ex personis probanda, sed contra.

Deus καρδιογνώστης.

a *4 Esdræ. 8. ℣. 20.*
b *1. Reg. 16. ℣. 7*
c *2. Tim. 2. ℣. 19.*
d Matth 15
e *Matt. 19.*
f Matth. 3.

Ratio 7. *ab hæreseon fructu.*

Ratio 8. iterum ab Exemplo. *Ioan 6. v. 67.* *Ioan. 6. v. 69. 70.*

rea Domini reponetur. Nonne ab ipſo Domino *quidam diſcentium ſcandalizati deuerterunt?* Nec tamen propterea cæteri quoque diſcedendum à veſtigiis eius putauerunt: Sed qui ſcierunt *illum vitæ eſſe verbum, & à Deo veniſſe*, perſeuerauerunt in comitatu eius vſque ad finẽ: Cùm illis ſi vellent & ipſi diſcedere, placidè obtuliſſet. Minus eſt ſi & Apoſtolum eius aliqui[a] *Phigellus*, & *Hermogenes*, &[b] *Philetus* & *Hymenæus* reliquerunt: [c] ipſe traditor Chriſti de Apoſtolis fuit. Miramur de Eccleſiis eius, ſi à quibuſdam deſeruntur, quum ea nos oſtendunt Chriſtianos, quæ patimur ad exemplum ipſius Chriſti: *Ex nobis*, inquit *prodierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtiq; nobiſcum.*

a 2. Tim. 1. v. 15. *b 2. Tim. 2. v. 17. 18.* *c Matth. 26. v. 21.* *1. Ioan. 2. v. 9.*

ANALYSIS CAP. III.

Connexio. Connexio ex argumẽto præfixo ſatis liquet. Dixerat ſupra in quarta ratione, neminem niſi ὀλιγόπιςον hæreſi cedere. Contra excipiebant fideles: Imò videmus, non infirmos tantùm, ſed etiam fortiſſimos quoſque ad hæreticos tranſmigrare. Reſpõdet dupliciter Tertullianus 1. Per inuerſionem: Imò eo ipſo quod lapſi ſunt, infirmos ſe oſtenderunt: idque ſemper fuerunt in oculis Dei, qui interiora contemplatur, etſi exterius viderentur hominibus ahenei. Quô pertinet illud S. Gregorii: *Plerunq; hi, quos iam perfectos homines æſtimant, adhuc in oculis ſummi opificis aliquid habent imperfectionis. Sic ſæpe imperiti homines nedum perfectè ſculpta ſigilla conſpicimus, & iam quaſi perfecta laudamus, quæ tamen adhuc artifex conſiderat, & limat*

Lib. 4 dialogorum.

& limat, laudari iam audit, & tamen ea tandem melio-rando non desinit. Deinde per concessionem: Esto labantur etiam firmi, *cadant stellæ de cælo*: qd tum? mauis ne tu cum labentibus labi, quàm cum stantibus stare? Nihil noui est, magnos etiam viros, exempla humanæ infirmitatis fieri: quod historia *Saulis, Dauidis, Salomonis* demonstrat Quæ ipsa inductio sextæ rationis loco esse potest. Cui confestim etiam duas postremas 7. & 8. subnectit.

Apoc. 6. 13.

Ratio 6. quæ.

Septima est ab vtili hæreseon effectu, quibus purgari dicit aream Ecclesiæ, leuesque paleas à frumentis separari: Confer infra Cypr. de vnit. Eccles. argument. vltimo.

Ratio 7.

Octaua & vltima ab exemplo scholæ Christi & Apostolorum desumitur: quæ etsi erat religiosissima, non tamen omnes constantes habebat discipulos: Sed quosdam πρoσκαίρους: quibus discedentibus reliquorum fides inconcussa sine Scandali vellicatione perstitit. Horum ergo constantium præstat æmulum esse & imitatorem, quàm leuissimorum transfugarum, qui turpiter abiecto scuto fidei castra domini deserunt, & rebellibus agglutinantur, socium.

Ratio 8.

Atq; hæc de admonitione prima Tertulliani: q̃ diligenter nostris temporibus inculcatã optẽ: vbi non tantum nouarum religionum Magistri, aliqua vel personæ grauitate, vel dicendi suauitate, vel eruditionis facultate instructi, tantam apud multos admirationem inueniunt, vt vniuersæ maiorũ ætati stultissimè præferantur: sed ipsi etiam *Grachi & Arcesilæ* pestilentissimum doctrinæ suæ virus ita prædicant, vt turbas in hisce aquilonaribus partibus peruertendis aliquot, & à vera fide dimouendis Prouinciis excitatas maximi miraculi loco haberi velint: blandientes sibi, quod vnicus terræ filius *Lutherus* fundamẽta, vt inquiunt Romanç Eccle-

Applicatio admonitionis 1 ad præsentem ætatem.

P. Martyr. Loc comm. p. 816.

Foxus in Apoc. p. 491

Ecclesiæ, non Marte neque arte, sed Veneris & Bachi telis concusserit. Quod si miraculum est, illustriori miraculo Mahumetismus stat tam longè latèque, totque centurias amorum nobilissimas mundi Prouincias seruas tenens.

ANNOT. IN CAP. III.

Miriones.

Isti miriones] Varro lib. 6. Miriones vocat personas deformes & ore distorto: à miris, hoc est monstris, eò quòd illæ monstrosæ. Hic per irrisionem miratores ita vocantur, qui animis variis atque distortis facilè hæreticis assentiuntur. I. P.

Pars Donati, &c.

In illam partem] Africana Phrasis: qua hæreticorum aut schismaticorum conuenticula non Ecclesiæ, sed pars appellabantur: quemadmodum sæpe apud Augustinum, *pars Donati* &c. Vide Pamel. ad Epistol. B. Cypr. 42.

Γνώμη.

Nemo sapiens] Paradoxum ad quod alludit B. Hieronymus in Epist. ad Nepotia: *Ab eo tempore censemur, ex quo in Christo renascimur*, hoc est, alicuius nominis & census habemur. I. P.

Sed oculi inquit] subintellige scriptura. Videtur autem citare ex 4. Esd. 8. *cuius oculi eleuati in superna & aere.* habet enim illum pro scriptura authentica: de quo vt & Esdræ tertio plura apud Sixtum Senes. in Biblioth. I. P.

Phigellus & Hermogenes] de horum hæresibus vide commentarios veterum in Epistolas Pauli. I. P.

CAPVT IV.

Exordii thesis 2. Non mirandas, sed potius omni studio vitandas esse hæreses.

QVin potius memores simus tam dominicarum pronunciationũ, quàm Apostolica-

ſtolicarum literarum, quæ nobis & futuras hæreſes prænunciarunt, & fugiendas præfinierunt: vt ſicut eſſe illas non expaueſcimus, ita & poſſe id propter quod fugiendæ ſunt, non miremur. Inſtruit Dominus *multos eſſe venturos ſub pellibus ouium rapaces lupos.* Quænam iſtæ ſunt pelles ouium, niſi nominis Chriſtiani extrinſecus ſuperficies? Qui lupi rapaces, niſi ſenſus & ſpiritus ſubdoli, ad infeſtandum gregem Chriſti intrinſecus deliteſcẽtes? Qui pſeudoprophetæ ſunt, niſi falſi prædicatores? qui pſeudapoſtoli, niſi *adulteri Euangelizatores*? qui Antichriſti interim & ſemper, niſi Chriſti rebelles? Hoc erunt hæreſes non minus doctrinarum peruerſitate Eccleſiam laceſſentes: quàm tunc Antichriſtus perſecutionum atrocitate perſequetur: niſi quod *perſecutio & martyras facit, hæreſis apoſtatas tantùm.* Et ideo *hæreſes quoque oportebat eſſe, vt probabiles quiq; manifeſtarentur*: tam qui in perſecutionibus ſteterint, quàm qui ad hæreſes non exorbitauerint. Neque enim eos probabiles intelligi iuuat, qui in hæreſim fidem demutant, ſicut ex diuerſo ſibi interpretantur, quia dixit alibi: *Omnia examinate, quod bonum eſt tenete. Quaſi non liceat omnibus malè examinatis in electionem alicuius mali impingere per errorem.*

Præmonitiones ſcripturæ, de cauendis hæreſibus.

Matth. 7. ꝟ. 15.

Matth. 24. ꝟ. 14.

2. Cor. 11. ꝟ. 13.

1. Ioan. 2. ꝟ. 18.

1. Cor. 11. ꝟ. 19.

Effugium hæreticorũ.

1. Theſſ. 5. ꝟ. 21.

NB.

ANALYSIS CAP. IV.

Connexio. Hactenus thesis prima. Nunc secunda sequitur, de fugiendis, vitandis, & declinandis omni modo hæresibus. Quam non mirandum à Tertulliano hic tractandam susceptam esse: quia vt notauit hic *Macereus*, Hæreseos nomen initio Ecclesiæ nō ita odiosum fuit, vt quod in bonam quoque partē acciperetur, vnde quod sequenti capite notabimus, quidam hodie audacter se hæreticos esse profitentur. probat autem hoc thema scripturarū aliquot authoritate: quarum explicatio probè lectori aduersus nouatores nostros tenenda: In primis dicti illius Matth. 7. Cuius interpretationem ferè ad verbum imitatus est *S. Cyprianus ad Nouat. §. 13. Prædixerat quidem & Dominus multos esse venturos sub pellibus ouium, rapaces lupos. Qui sunt isti lupi rapaces, nisi sensu subdolo conspirantes ad infestandū gregem Christi? sicut legimus apud Zachariam positum: Ecce ego suscito pastorem in terra, qui quod aduersum est, non visitabit, & carnes electorum manducabit; & talos illorum torquebit.*

Hæreseos vox olim media. Actor. 24. & 26.

Cyprianus de rapacib. Lupis.

Zach. 11.

Idem de zelo & liuore §. 10. *Quid sub vestitu ouium lupus latitat? quid gregem Christi, qui se Christianum mentitur, infamatur? Christi nomen induere, & non per Christi viam pergere, quid aliud quam præuaricatio est diuini nominis, quam desertio itineris salutaris?*

ANNOTAT. IN CAP. IV.

Antichristus. *Antichristi interim*] Antichristi multi facti sunt, 1. Iohan. 2. id est semper aliqui Christum oppugnantes inuenientur, hæretici & falsi fratres, quandiu verus Christus prædicabitur, donec veniat ille κατ᾽ ἐξοχὴν dictus Antichristus, homo peccati, filius perditionis. Nam illud interim & semper omne tempus significat, I. C.

Quomodo omnia probanda. *Omnia examinate*] Vide quam bellè prisci hæretici cum nostris in perfidiæ suæ prætextu conueniant.

ant. Omnia omnium locorum latibula resonant hac voce, *omnia probate.* Probate *spiritus an ex Deo sint*, sed benè hic Tertullianus: *quasi non liceat omnibus malè examinatis in electionem alicuius mali impingere per errorem.* I. C. Nimirum probatio hæc non omnium est, sed intelligentia præditorum. Hieronymus ad Ephes. 5. Ambrosius ad Thessalo. I. P.

CAPVT V.

Quod non modo dissensiones & schismata, sed & hæreses Apostolus increpet.

POrrò si dissensiones & schismata increpat, quæ sine dubio mala sunt, & incontinenti hæreses subiungit: quod malis adiungit, malum vtique profitetur, & quidē maius: cùm ideo credidisse se dicat de schismatibus & dissensionibus, quia sciret etiam *hæreses oportere esse.* ostendit enim grauioris mali prospectu de leuioribus se facile credidisse, certè non vt ideò de malis crediderit, quia hæreses bonæ essent, sed vti de peioris quoque notæ tentationibus præmoneret non esse mirandum, quas diceret impendere ad probabiles quosque manifestandos, scilicet quos non potuerint deprauare. Denique si totum capitulum ad vnitatem continendam, & separationes coercendas sapit: hæreses verò non minus ab vnitate diuellunt, Gal. 5. v. 20. 1. Cor. 11. v. 19.

quàm schismata & dissensiones, sine dubio & hæreses in ea conditione reprehensionis constituit, in qua schismata & dissensiones. Ac per hoc non eos probabiles facit. qui in hæreses deuerterint, quum maximè deuer-ti ab eiusmodi obiurgans, & docens *vnum omnes loqui, & id ipsum sapere*, quod etiam hæreses non sinunt.

1. Cor. 1. v. 10.

ANALYSIS CAP. V.

Secundam thesin alio testimonio probat, S. Pauli Gal. 5. vers. 20. vbi per comparationem exaggerat hæreseon grauitatem. Arguit enim sanctus Paulus, se futura schismata facilius credere, quia etiam venturas hæreses intellexerit: ex regula Logica, *si maius est, etiam minus erit: & cui maius competit, minus non negatur.* Diximus autem supra præsentis disquisitionis ansam: quod antiquitus primæua fidei sinceritate nondum toties labefactata, minus odiosum hæreseos nomen habebatur. Quo abusus hoc nostro seculo Lutherus (crebra enim experientiæ repetitio propriam vocis significationem dilucidius Ecclesiæ explanauit) audacter se hæreticum esse professus est: & Iohannes Rainoldus in blasphemo libro de Roma. Ecclesiæ Idololatria hæresin quandam sanctam & Catholicam contendit. Sed *verba valent vsu.*

Lutherus profitetur se hæreticũ. Tom. 9. f. 120. 192. In Conuiu. f. 234. 317. Lib. 1. cap. 6. §. 4. Idem habet Caluinus Comm. in Act. 24. 14. Horatius.

Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi. Nobis hæreticus est, *qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid prauumque sapit, si correctus vt sanum rectumque sapiat, resistit contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare non vult, sed defensare persistit.*

Hæreticus quis. August. cõtra Manich. 24 quæst. 3. qui in Eccl.

Pertinet huc Canon 33. Concilii Bracarensis 2. *qui pro heresi aut pro crimine aliquo excommunicantur,*

cantur, nullus eis communicare præsumat &c. Et Canon. 9. Concilii 7. Generalis, de scriptis hæreticorum vulgo non permittendis.

ANNOTAT. IN CAP. V.

Dissensiones & schismata] schisma significat alicuius rei dissectionem, rupturam, scissuram, vt si pannus rudis assuatur veteri, χεῖρον σχίσμα γίνεται. Hinc transfertur ad opinionum diuersitatem. Iohan. 9: *Schisma erat inter eos.* In Ecclesia fuit semper ignominiosum & publicè damnatum: Id est quando quis ab Episcopo suo vel Ecclesiæ communione, sine nouo tamen dogmate secedit, nec regi pari iure cum cæteris assentit, si nouam doctrinam rebellioni suæ coniunxit, istiusmodi secessio appellatur hæresis, malum grauius schismate. I. P. *Schisma quid.*

CAPVT VI.

Exordii thesis tertia, quid sit, & vnde dicatur hæresis.

NEc diutius de isto, si idem est Paulus, qui & alibi *hæreses inter carnalia crimina* enumerat, scribens ad Galatas, & qui Tito suggerit, *hominem hæreticum post primam correptionem recusandum, quod peruersus sit eiusmodi & delinquat, vt à semetipso damnatus.* Sed & in omni pene Epistola de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans hæreses taxat, quarum opera sunt *Gal. 5. v. 20.* *Tit. 3. v. 10.*

Hæreseos Etymologia. adulteræ doctrinæ: *hæreses* dictæ Græca voce, ex interpretatione electionis, qua quis siue ad instituendas, siue ad suscipiendas eas vtitur; Ideo & sibi damnatum dixit hæreticum, quia & in quo damnatur sibi elegit. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. *Contra innouationē.* Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignauerunt. *Gal. 1. v. 8. 9.* Itaque *etiamsi angelus de cœlis aliter euangelizaret, anathema* diceretur à nobis. Prouiderat iam tunc Spiritus sanctus futurum in virgine quadam *Philumene* angelum seductionis, *Apellis Philumene. 2. Cor. 11. v. 14. 15.* *transfigurantem se in angelum lucis,* cuius signis & præstigiis *Apelles* inductus, nouam hæresim induxit.

ANALYSIS CAP. VI.

Etymologiam hæreseos hoc capite traditurus, eiusque institutum grauiter reprehensurus, primò viam sibi sternit Paulinarum aduersus hæreses commonitionum inculcatione, de quibus supra satis. Deinde ipsam notationem ponit, deducitque *Hæresis vnde dicta.* αἵρεσιν ab αἱρέομαι, quod est eligo, cū sibi quispiā in fide semel tradita electionē sumit, atq; ex receptis dogmatibus retinet quæ vult, quæ non vult reiicit, assumptis in locum alienis & falsis.

ſis. Alii ab ἐρείδω deducunt, quod eſt innitor, ſeu firmo. Sed prior Etymologia verior eſt, S. etiam Hieronym. probata in Epiſt. ad Gal. *hæreſis* inquit *græcè ab electione dicitur, quod ſcilicet eam ſibi vnuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem. Quicunq; igitur aliter ſcripturam intelligit quam ſenſus Spiritus ſancti flagitat, à quo ſcripta eſt, licet ab Eccleſia non receſſerit, tamē hæreticus appellari poteſt: & de carnis operibus eſt, eligens quæ peiora ſunt.* *23. Quæſt. 3 cap. hæreſis.*

S. Thomas hæreſin, ſi adiunctam habeat pertinaciam, *ſpeciem peccati in Spiritum ſanctum* connumerat. *Sed qui ſententiam ſuam quamuis falſam atq; peruerſam* (inquit S. Auguſtinus) *nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia ſuæ præſumptionis pepererunt, ſed à ſeductis, atq; in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſolicitudine veritatem, corrigi parati cùm inuenerint: nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi.* *4. Sentent. diſt. 13. quæſt. 2. art. 2. 24. q. 3. dixit.*

Tertiò hanc hæreticorum conſuetudinem impugnat, docetque nihil in fidei negotiis eligendū, innouandum, inquirendum, ſed ſemel traditis vnicè firmiterq; inhærendum. Hæc enim eſt fides, *quæ non diſceptat, & ea etiam credit quæ non videt.* Vnde D. Gregorius: *diuina operatio ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Huc pertinet Canon primus Synodi 6. general. *Statuimus nihil nouandum & immutandum eſſe in fide: ſed ita conſeruandum, vt tradita nobis eſt à ſanctis Apoſtolis 318. ſancti Nicæni cæteriſq; reliquorum conciliorum patribus: Omnibus deniq; quorum pietas Eccleſiæ Dei decora fuit, viris laudatis; qui velut lumina clara, in mundo fulſerunt, verbum vitæ tenentes, & cætera.* *Nihil in fide innouandum.* *Homil. 26.*

Eodem modo Synodus 7. *Nos vetera inſtituta & ſanctiones Catholicæ Eccleſiæ ſequimur, nos de-*

creta patrum custodimus: nos, quicunque aliquid addunt, aut detrahunt, Ecclesia communione diris deuotos eicimus.

Postremò exemplum hæreticarum futilitatum ponit Apellem cum sua Philumene: de qua in annotationibus.

ANNOTAT. IN CAP. VI.

In omni pene Epistola] Quum nusquam alibi reperiatur tale quid apud Apostolum nisi illud: *adulterantes Verbum Dei* 2. Cor. 2. & 9. fit magis verisimilis versio Macerei, qui pro adulterinis falsas vertit, & interpretatur de tota Epistola ad Titum. I. P.

Hæreticus quomodo αὐτοκατάκριτος.

A semetipso damnatus] S. Hieronymus. *Hæreticus à semetipso damnatus esse dicitur, propterea quod adulter, fornicator, homicida & cætera Vitia per sacerdotes ab Ecclesia propelluntur. Hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt, arbitrio suo de Ecclesia recedentes: quæ recessio propria conscientia Videtur esse damnatio.* I. P.

Philumena quæ infra cap. 30.

Philumene] Philumena Alexandrina vt videtur, virgo adhuc familiarem Dæmonem habuit, cuius mentita specie decepta de futuris referebat, quædam etiam monstrosa factitabat. Crescentibus annis insigne scortum fuit, cum quo congressus Apelles, & eius energemate circumuentus (vt Tertull. ait) eam perpetuam comitem habuit, & librum conscripsit, quem Philumene prophetias & phaneroses inscripsit. meminit Eusebius 5. histo. 13. D. August. ad Quodvultdeum S. Hieron. ad Ctesiph. & Tertull. I. P.

CAP.

CAPVT VII.

Exordii thesis quarta, de origine & caussis hæreseon: quarum vnam hic recenset philosophiam.

HÆ sunt [a] *doctrinæ hominum & [b] dæmoniorum*, [c] *prurientibus auribus natæ*, de ingenio [d] Sapientiæ sæculi, quam Dominus *stultitiam* vocans, [e] *Stulta mundi in confusionem etiam Philosophiæ ipsius elegit*. Ea est enim materia sapientiæ sæcularis, temeraria interpres diuinæ naturæ & dispositionis. Ipsæ denique hæreses à Philosophia subornantur. Inde *Aeones* & formæ nescio quæ: & *trinitas hominis* apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis *Deus melior de tranquillitate*: à Stoicis venerat. Et vti *anima interire* dicatur, ab Epicureis obseruatur. Et vt *carnis restitutio* negetur, de vna omnium Philosophorum schola sumitur. Et vbi *materia cum Deo æquatur*, Zenonis disciplina est: Et vbi aliquid de *igneo Deo* allegatur, Heraclitus interuenit. Eædem materiæ apud hæreticos & philosophos volutantur, iidem retractatus implicatur. *Vnde malum, & quare?* & *vnde homo, & quomodo?* & quod proximè Valentinus proposuit, *vnde Deus?* scilicet *de enthymesi & ectromate*. Inferunt *Aristotelem*, qui illis *Dialecticam* instituit, artificem struendi & destruendi, versipellem, in sententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis

a *Colos. 2. v. 8.*
b *1. Timoth. 4. v. 1.*
c *2. Tim. 4. v. 3.*
d *1. Cor. 3. v. 18. 19.*
e *1. Cor. 1. v. 27.*
Philosophiã matrem hæreseon probat exemplis.
Dialectica Aristotelis.

operariam contentionum, molestam etiam sibiipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit. Hinc illæ *fabulæ & genealogiæ indeterminabiles*, & *quæstiones infructuosæ*, & *sermones serpentes velut cancer*, à quibus nos Apostolus refrænans, nominatim philosophiam testatur caueri oportere, scribens ad Colossenses. *Videte ne quis vos circumueniat per philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum præter prouidentiam Spiritus sancti.* Fuerat Athenis, & istam sapientiam humanam affectatricem, & interpolatricẽ veritatis, de congressionibus nouerat, ipsam quoque in suas hereses multipartitam, varietate sectarum inuicem repugnantium. Quid ergo Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat: *Dominum in simplicitate cordis esse quærẽdum.* Viderint qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Christianismum protulerunt.

1. Tim. 1. ℣. 4. Tit 3. ℣. 9. 2. Tim. 2. ℣. 17. Colos. 2. ℣. 8. Act. 17. ℣. 16. 17. Sapient. 1. ℣. 1. Cic. 2. Offic. S. August. lib. 4. de ciuitate Dei. Item contra Academ. Boet. in Arithmet. Philosophia parit hæreses. Bernhar. super Cant.

ANALYSIS CAP. VII.

Philosophiam, quam Cicero *studium sapientiæ*, alii *amorem scientiæ* interpretantur: quodammodo matrem & inuẽtricem esse hæreseon, duplici hic ratione ostendit Tertull. partim exemplis aliquot dogmatum Valentini, Marcionis, &c. quæ ex media Philosophia originem trahunt: partim ex dicto S. Pauli Coloss. 2. v. 8. Quod ipsum etiã libro aduersus Hermogenem, *Patriarchæ* (inquit) *hæreticorum Philosophi.* Et S. Bernhardus. *Philosophorum ventosa loquacitas, non bonus est imber, qui sterilitatem magis in-*

gis intulit terris, quàm fertilitatem. Vinum enim secularis sapientia inebriat quidem, sed curiositate inflans non nutriens, inflans non ædificans, ingurgitans non confortans.

Vide ex haret. Hyper. part. 2. f. 70.

Item S. Augustinus. *cuius intelligere facile est. Non esse religionem à Philosophis quarendā, qui eadem sacra recipiebant cum populis, & de suorum Deorum natura ac summo bono, diuersas contrariasq; sententias in scholis personabant.*

August. de Vera relig. cap. 5.

Notandum aūt non damnari hic veram Philosophiā, *quæ virtutū omnium disciplina est, quæq; in publicis simul & priuatis officiis excellit, ciuitatesq; & Rēpub. si nihil prohibeat, constāter & fortiter & piè administrat: sed istā futilem atq; puerilē meditationem argutiarū, nihil ad vitam neq; tuendā, neq; ordinandam promouentē: qua id genus homines consenescunt malè feriati, quos philosophos esse vulgus putat.*

Philosophia quatenus culpabilis. Gellius ex Gorgia Platonis lib. 10. Noct. Attic. cap. 22.

Idem de Dialecticà sentiendū, quæ nisi abutaris ὄργανον est ὀργάνων καὶ χεὶρ πάσης σοφίας, per quā S. August. *omne suum scire* fatetur, quæq; *artibus omnibus & disciplinis sua principia inuenit et constituit.* Quod si autem planè in Sophisticam transmutes, rectè hic Tertullianus: Rectè cum eo Aristo Chius, *qui Dialecticorum argutias similes esse dicebat telis araneorum, quod plurimum haberent artificii, minimum verò vtilitatis. Item similes luto viarum, ad nihil vtili, nisi quod ingredientes impelliit ad lapsum.*

Seneca epist. 89. Clemens Alexandrin. strom. 1. Dialectica. Stobaus ser mo. 79. ex epist. Iablichi ad Sopatrum. Laert de vitis phil. li. 7. in Zenone.

ANNOTAT. IN CAP. VII.

Inde Aeones] Valentinus numeros Platonis, quos Aeonas tanquam secula appellabat, & Ideas, tanquā mysteria in Christianam religionē inferre voluit. Tres etiam hominū distinguebat ordines, pneumaticos siue spirituales qui peccare nō possint. Psychicos id est animales, post diuturnā fatigationem & bona opera demū saluari, sed nō eo loco fore, quo primos. Carnales verò, qui tertii sunt, cum anima & corpore interire. Hæc est illa trinitas hominis: de his latius Irenæus. Tertul. contra Valentin. & Epiphan. I. P.

Aeones quid.

Inde

Inde Marcionis] cùm Stoici docerent, homines alios esse sapientes, tranquillos, qui in Euthymia viuant: alios insipientes, Marcion eo modo duplices Deos statuit: quorum vnus planè bonus: malus alter, & malorum omnium author. I. P. contra quem errorem multa passim Augustinus. I. C.

Duplices dij.

Et vti anima] Epicurei putarunt, hominis & pecudis idem bonum & interitum. Plin. lib. 7. c. 55. I. P.

Anima immortalitas.

Sed melius Phocylides, Ψυχὴ δ᾽ ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ζῇ διὰ παντός. Id est. Anima autem immortalis, & insenescibilis viuit per omne tempus. Et Apollo Milesius à quodam Polyte consultus, vtrum anima post mortem maneat, an resoluatur, respondit his versibus:

Lactant. lib. 7. Institut. cap. 13.

Ψυχὴ μὲν μέχρις οὗ δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται
Φθαρτὰ νοοῦσα πάθη, θνητοῖς ἀλγηδόσιν εἴκει.
Ἡνίκα δ᾽ ἀνάλυσιν βροτέην μετὰ σῶμα μαρανθὲν
Ὠκίστην εὕρηται, ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται
Αἰὲν ἀγήραος οὖσα, μένει δ᾽ εἰς πάμπαν ἀτειρής.
Πρωτόγονος γὰρ τοῦτο θεοῦ διέταξε πρόνοια.

Id est:

Anima quidem quoad vinculis corporis tenetur,
Corruptibiles passiones sentiens, mortalibus cedit doloribus.
Cùm verò humanam solutionem, post corruptum corpus
Velocissimam inuenerit, omnis in æthera fertur,
Nunquam senescens, & manet in æternum, nulli iniuriæ obnoxia.
Primogenita enim hoc diuina disposuit prouidentia.

Tan-

Tandem præclarè Origenes: *Vbi afforet iustitia Dei, vbi bonorum merces, malorumque iusta supplicia, si anima mortalis esset:* I. C. *Super Cantica.*

Carnis restitutio] communis impietas pene omnium philosophorum fuit, Deum non posse corpora humana in puluisculos minimos redacta resuscitare, atque æternitate donare. I. P. *Resurrectio mortuorū.*

Sed absit, inquit Augustinus, *vt ad resuscitanda corpora vitæque reddenda, non possit omnipotentia creatoris omnia reuocare, quæ vis bestia vel ignis absumpsit, vel quod in puluerem cineremue collapsum, vel in humorem solutum, vel quod in auras est exhalatum: absit vt sinus vllus, secretumque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, vt omnium creatoris aut cognitionem lateant, aut refugiat potestatem.* Vide & Hieron. epist. 61. siue Ruffini Aquilegensis presbyteri ad Laurent. Papam. I. C. *lib. 22. de ciuitate Dei cap. 20.*

Et vbi materia] Hermogenes relicta arte, pictor erat, repente vt nunc fit Theologus vel Philosophus prodiit: Asseruit materiam æternam fuisse, ex qua Deus omnia post creauerit. I. P. Contra quem errorē pulchrè præter alios Lactantius. *Nemo quærat, ex quibus ista materiis tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit, omnia enim fecit ex nihilo. Nec audiendi sunt poetæ, qui aiunt chaos in principio fuisse, id est confusionem rerum atque elementorum: postea vero Deum diremisse omnem illam congeriem, singulisque rebus ex confuso aceruo separatis, in ordinemque descriptis, instruxisse mundum pariter & ornasse. Quibus facile est respondere, potestatem Dei non intelligentibus, quem credunt nihil efficere posse, nisi ex materia subiacente, ac parata, in quo errore etiam philosophi fuerunt*, &c. I. C. *Creatio sine præexistente materia.* *libr. 2. inst. cap. 9.*

Et vbi aliquid de Deo igneo] Heraclitus apud Laertium dicebat, omnia ex igne constare, & in ignem cuncta resolui. Videtur proximè ad eam sententiam Apelles accessisse, infra hoc eodem, & libro de anima. I. P. Contra alii ignem ab eo dictum putant, quod nihil ex eo gignatur. vnde Ouidius. *Deus igneus.*

Nataq;

Nataq; de flammâ corpora nulla vides. I. C.

Enthymesis
Ectroma.

Scilicet de Enthymesi] subaudi, Deus prouenit. Ectroma abortus erat vnius Aeonum, sine forma sine specie: qui demum formatus, Enthymesis, hoc est formæ vel animæ impositio dictus est. Ex qua omnium rerum substantiam constitisse dicunt. Vide pluribus apud Iren. Tertullian. Epiphan. Hieron. I. P.

Sed pulchrè Orpheus: εἷς δ' ἔς' αὐτογενὴς, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται. Id est. Vnus vtique est ex se natus, exque vno genita omnia. I. C.

Hinc illa fabula] Aliqui Iudæos intelligunt, contra quos Paulus 1.Tim.1. 4. Tit.3. 9. alii Theogoniam gentilium: Tertullianus Aeonum fabricatores. planè hæretici ab Apostolo intelliguntur: & erant Apostolorũ coæui Cerdon & Valentinus. I. P.

Secta.

Varietate sectarum] Sectæ apud Laertium decem: in scholis 4. celebriores nominantur. Sed reuera tot sectæ fuerunt, quot vnquam Philosophi in scholis docuerunt cum authoritate. I. P.

Porticus Salomon.

De porticu Salomonis] per contrarium: quasi diceret non de porticu Stoicorum, qui à ϛοᾶ nomen habent. In qua post Christum sæpe Apostoli docuerunt. Ioan.10. Actor.3. & 5. I. P.

CAPVT VIII.

Altera hæreseon causa, curiositas: quâ nihil Christianis opus esse demonstrat.

Ratio 1.

NObis curiositate opus nõ est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangeliũ. Cùm credimus, nihil desideramus

Ratio 2.

vltra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod vltra credere debeamus. Venio itaque ad illum articulum, quem & nostri

Exceptio hæreticorũ.

noſtri prętendunt ad ineundā curioſitatem, & hæretici inculcant ad importandam curioſitatem. Scriptum eſt inquiunt: *quærite & inuenietis.* Quando hanc vocem Dominus emiſit, recordemur. Puto in primitiis ipſis doctrinæ ſuæ, cùm adhuc dubitaretur apud omnes, an CHRISTVS eſſet. Et cùm adhuc nec Petrus illum DEI filium pronunciaſſet, cùm etiam Iohannes de illo certus eſſe deſiiſſet. Meritò ergo tunc dictum eſt *quærite & inuenietis*, quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat: Et hoc quantum ad Iudæos. Ad illos enim pertinet totus ſermo ſuggillationis iſtius, qui habebant vbi quærerent CHRISTVM. *Habent*, inquit, *Moyſen, & Heliam*, id eſt legem & prophetas CHRISTVM prædicantes: Secundum quod & alibi apertè: *Scrutamini*, inquit, *ſcripturas, in quibus ſalutem ſperatis. Illæ enim de me loquuntur.* Hoc erit quærite, & inuenietis. Nam & ſequentia in Iudæos competere manifeſtum eſt, *pulſate & aperietur vobis.* Iudæi retrò penes Deum fuerant, de hinc eiecti ob delicta, extra Deum eſſe cœperunt. Nationes verò nunquam penes Deum, niſi *ſtillicidium de ſitula & puluis ex area, & foris ſemper.* Itaque qui foris ſemper, quomodo pulſabit eo vbi nunquā fuit? quam ianuā nouit, in qua nec receptus nec eiectus aliquando? an qui ſcit ſe intus fuiſſe & foris actū, is poti⁹ pulſabit, & oſtiū nouit?

Matth. 7. ℣. 7.
Reſp. 1.
Matth. 16. ℣. 16.
Matth. 11. ℣. 2.
Reſp. 2.
Luc. 16. 29.
Ioan. 5. 39.
Matth. 7. 7.
Eſaiæ 40. 15

nouit? etiam: *Petite & accipietis*, ei competit, qui sciebat à quo esset petendum, á quo & erat aliquid promissum, à Deo scilicet Abraham, Isaac, & Iacob, quem nationes non magis nouerant, quàm vllam repromissionem eius. Et ideò ad Israël loquebatur. *Non sum*, inquit, *missus nisi ad oues perditas domus Israelis. Nondum canibus iactabat panem filiorum: nondum in viam nationum ire mandabat.* Siquidem in fine præcepit, vt vaderent ad docendas & tinguendas nationes; consecuturi mox spiritum sanctum *paracletum, qui illos deducturus esset in omnem veritatem.* Et hoc erga illos facit. Quod si nationibus destinati doctores Apostoli, ipsi quoque doctorem consequuturi erant paracletum; multò magis vacabat erga nos *Quærite & inuenietis*: quibus vltrò erat obuentura doctrina per Apostolos, & ipsis Apostolis per Spiritum sanctum. *Omnia quidem dicta Domini omnibus posita sunt, quæ per aures Iudæorum ad nos transierunt; sed pleraque in personas directa, non proprietatem admonitionis nobis constituerunt, sed exemplum.*

Matth. 15. 24. *Matt. 10. 5.* *Matth. 28. 19.* *Ioan. 16. 13.* *Regula.*

ANALYSIS CAP. VIII.

Curiositas secundum Anselmum, *studium est perscrutandi ea, quæ scire nulla est vtilitas.* Vel secundum Hugonem, *superflua indagatio ad se non pertinentium rerum*: de qua Ecclesiast. cap. 3. *In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter: Et in pluribus eius operibus non eris curiosus.* Et S. Augustinus

lib. 1. de similitu dinibus. *Vide & S. Thomam. 2. 2 q. 167.*

nus: *Compescat se humana temeritas, & id quod non est, non quærat: ne illud quod est non inueniat. Nam nisi contra qua Deus occulta esse voluit* (ait S. Prosper) *non sunt scrutanda: quæ autem manifestanda fecit, non sunt negligenda: ne & in illis illicitè curiosi, & in his damnabiliter inueniamur ingrati.* *lib. 1. de Geneſi contra Manich. de vocatione gentiũ.*

Hanc igitur alteram hæreseon causam refutaturus Tertullianus, multa verba insumit: Et hoc quidem capite duo prima proponit argumenta: post tritissimam hæreticorum exceptionem, ex verbis Christi, quærite & inuenietis, refutat.

Argumentum primum est à sufficientia diuini præceptoris nostri Christi: qui omni consilio patris nobis reuelato, partibusque suis ad futura secula Ecclesiæ resignatis, finem attulit pluribus magistris & infinitis scrupulis. Solus enim ipse *via, veritas, & vita est:* Vt si ambulare velis, hic iter planum: si falli nolis, hic fidem securam: si mori reformides, hic requiem tranquillissimam inuenias. *Ratio 1. contra curiositatem* *Ioan. 1 18. Matt. 18. 17 Iacob. 3. 1. August. super Ioannẽ.*

Argumentum secundum est à natura fidei, quam definit Apostolus *Substantiam rerum sperandarum, argumentum non apparentium:* Id est, authore Bernhardo *voluntariam & certam prælibationem necdum propalatæ veritatis.* Itaque quemadmodum assensus conclusionum, artificiali medio probatarum opinio vel scientia: Sic assensus conclusionis argumento testimonii effectus, propriissimè fides dicitur: Quemadmodum ex hæreticis ipse Melanthon agnouit, hanc fidei definitionem tradens: *Fides est notitia propositionum, quas assensu amplectimur propter asseuerationem testium.* Hinc optimè Græci. Πιςεύειν τινὶ λεγόμεθα, ὅταν αὐτὸν δεχόμεθα, ὡς ἀληθῆ λέγοντα. Et S. Augustinus: *Quid est fides nisi credere quod non vides? Vnde & quomodo capitur trinitas, rectè ô homo interrogas: Ideò benè creditur, quia citò non capitur. Nam si citò caperetur, non esset opus vt crederetur, quia videretur.* *Ratio 2. Heb. 11. 1. lib. de consideratione. Fides propriissimè quid. In Dialect. prædicam. qualitatis. super Ioan.*

Noli ergo intelligere vt credas, sed crede vt intelligas. Intellectus merces fidei est. Tandem elegantissimè Ambrosius: *Aufer argumenta, vbi fides quæritur: in ipsis gymnasiis iam Dialectica taceat, piscatoribus creditur, non Dialecticis.*

lib. de Trinit.

Exceptio hæreticorũ. *Matth.7.7.* *Ioan.5.39.* *1.Ioan.4.1.* *Hyper. de lect. script. 45. 53. 54. 260. 261.* *Responsio 1.* *Respõsio 2. quã impugnare audet Hyper. de Lect. script. f. 52.* *Confer Annotat. cap. 11. infra.*

Contra hæc excipiunt hæretici. Atqui scriptura iubet quærere, scrutari, probare spiritus. Quæ ipsa hodie quoque nouatoribus semper in ore. Responsio per multa capita continuatur: Et hoc quidem capite ponitur bimembris. Primò distinguenda esse tempora. illud enim dictum est à principio, cùm adhuc dubius esset Messias, & ignoratio quæstionem pareret. Nunc vbi inuentus est Christus, non quæri amplius, sed inuentus retineri debet.

Deinde distinguendæ sunt personæ. Iudæi alii sunt: aliæ gentes. Illos quia Moysen & Prophetas habebant sciscitandos, quærere iubet Dominus. Has quia neminem habebant vnde quærerent, obligatio præcepti non concernit. Atque hanc responsionem variis circumstantiis probat Tertullianus. In fine autem eleganti γνώμῃ concludit, quam Scripturarum Interpretes probè tenere debent.

ANNOTAT. IN CAP. VIII.

Iohãnes an dubitarit de Christo. Cap. 10.

Cùm etiam Iohannes] locus ambiguus, qui vel esse pro viuere accipit, vel quod verisimilius, contra communem sententiam ex libro de Baptismo interpretandum: *Vsque adeò Spiritum Prophetiæ post totius spiritus in Dominum translationem defecisse, vt quem ipse prædicauerat, quem designauerat, postmodum an is ipse esset, sciscitatum miserit.* I. P.

Nationes.

Nationes verò nunquam] Tertull. & plerique alii Nationum nomine gentes & Ethnicos intelligunt: qui Deum nesciunt, vt & Act. 10. I. P.

Stillicidiũ. Situla.

Stillicidium de situla] Situla est vas hauriendis aquis accommodatũ, quod in hortis ad eos irrigandos habere solemus. In situla est etiam stillicidium,

scilicet

ſcilicet vnde aqua ſtillet, & defluat guttatim. Sanè ſtillicidium, quamuis ſit in ſitula, tamen eſt ſitulæ contrarium. Illud enim ſpargit aquas, & ſitula continet. Nationes hoc modo ſunt in Deo. &c. I. P.

Foris ſemper] Periphraſis gentium in ſcriptura. 1. Corinth. 5. Apocal. 22. I. P. *Foris.*

Vacabat erga nos] Id eſt, ſi ne Apoſtoli quidem ſine Spiritu ſancto illa inquiſitione priuata Chriſtum plenè addiſcere potuerunt, quantò minus nos concernit illa admonitio, quęrite & inuenietis? I. C. vacat enim hic imperſonaliter ſignificat, otioſum vel ſuperfluum eſſe. I. P. *Vacat.*

CAPVT IX.

Adhuc de curioſitate, quòd nihil quærendum ſit vltra quàm credimus?

CEdo nunc ſpontè de gradu iſto: omnibus dictum ſit, *quærite & inuenietis*: tamen & hic *expetit ſenſus certæ interpretationis gubernaculum. Nulla vox diuina ita diſſoluta eſt & diffuſa, vt verba tantùm defendantur, & ratio verborum non conſtituatur.* Sed inprimis hoc propono: vnum vtiq; & certum aliquid inſtitutum eſſe à Chriſto, quod credere omni modo debeant nationes, & idcircò quærere, vt poſſint cùm inuenerint credere. Vni⁹ porrò & certi infinita inquiſitio non poteſt eſſe: quærendum eſt donec inuenias, & credendum vbi inueneris: Et nihil amplius, niſi cuſtodiendum quod credidiſti: dum hoc inſuper credis, aliud nõ eſſe credendũ, ideoq; nec requirendũ, cùm id inueneris & credideris ꝙ ab eo inſtitutum eſt, qui nõ aliud tibi mandat inquirendum,

In ſcripturā nõ verbis ſed ſenſui inhærendũ.

Vna diſciplina Chriſti ſemel quærenda, & poſt non amplius diſceptanda.

Vbi sit vnica & vera Christi disciplina. quàm quòd instituit. De hoc quidem si quis dubitat, constabit penes nos esse, id quod à Christo institutum est. Interim ex fiducia probationis præuenio, admonens quosdam nihil esse quærendum vltra quod crediderunt, id esse quod quærere debuerunt. Non: *Quærite & inuenietis*, sine disciplina rationis interpretentur.

ANALYSIS CAP. IX.

Responsio 3. Affert tertiam responsionem ad id, quod curiosi prætendere solent: quærite & inuenietis. Esto, dictum sit omnibus nobis pariter & Iudæis: tamen sensus expetit certæ interpretationis gubernaculum. *S. Hieron. in Esaiam Et habet. dist. 37. Can. vino.* *Qui enim scripturas sacras malè intelligunt, vino inebriantur, vel vuam acerbam commedunt.* Præceptum igitur illud Domini plus non euincit, quàm planè a Christianismo alienis disciplinam Christi semel quærendam, inuentam credendam, creditam in catholica non amplius disceptandam. Vnius enim infinita inquisitio esse non potest.

Exceptio. Exceptio hodie probe notanda. *Hoc ipsum quæritur, vbi sit illud semel à Christo institutum.* Respondet penes solos catholicos infallibiliter, quod hic iam præsuppono, infra cap. 20. & sequentibus latius demonstraturus.

ANNOTAT. IN CAP. IX.

Cedere de gradu. *De gradu isto*] Metaphora prouerbialis ab athletis sumpta, gradum seu pedem conferentibus. Significat autem, dono hoc aduersario, quod defendere mihi sit procliue: ad firmiores rationes recurro. I. P.

Nulla vox] Similis locus in decretis. q. 1. c. Marcion I. P. Et apud Hieron. super Epist. ad Galatas. *Non putemus in verbis scripturarum esse Euangelium*

gelium, sed in sensu: Non in superficie, sed in medulla non in sermonum foliis, sed in radice rationis. I. C.

Vnum vtique] Vna regula seu symbolum fidei est, cuius vnusquisque articulus vnus est, certus & determinatus. neque plures re ipsa sunt, vel erunt vnquam, quàm in symbolo profitemur, nisi distinctione & explicatione duntaxat, crescente hæreticorum curiositate. I P.

Vnius porrò & certi] Habes hæretice causam, cur catholicus tam securè in maiorum placitis acquiescat: quia illi olim purissimam Dei veritatem vel traditione acceperunt, vel accurata inquisitione inuestigarunt, inuentamque nobis per manus tradiderunt. Quorum fidem & industriam nobis in dubium vocare integrum non est. Ast illud sciolum hominum genus, scrupulosè in decreta maiorum inquirens, & aliud Euangelium præter id quod acceperunt appetens, iusto Dei iudicio, & veritatem amittit, & infinitis dubitationum fluctibus traditur, non secus ac qui petulanter è portu sine remige in medios se scopulos infert. I. C. *Catholicorum in fide securitas.*

Interim ex fiducia] præuenit probationem illam, qua capite 20. & sequentibus penes nos esse veram religionem demonstrabit. I. P.

CAPVT X.

Eiusdem cum superiore argumenti.

RAtio autem dicti huius in tribus articulis consistit: In re, in tempore, in modo: *In re*: vt quid sit quærendum consideres. *In tempore*, vt quando. *In modo*, vt quousque. Igitur quærendum est quod Christus instituit, vtique quandiu non inuenis, & vtique donec inuenias. Inuenisti autem cùm credidisti: nam non credidisses, si non inuenisses, sicut nec quæsisses, nisi vt inue- *Contra infinitam inquisitionē & dubitationem*

 nires.

nires. Ad hoc ergo quæris vt inuenias, & ad hoc inuenies vt credas. Omnem prolationem quærendi & inueniendi credendo fixisti, hunc tibi modum statuit fructus ipse quærendi.

Hanc tibi fossam determinauit ipse qui te non vult aliud credere, quàm quod instituit, ideoque nec quærere. Cæterum si quia alia tanta ab aliis sunt instituta, propterea in tantum quærere debemus, in quantum possumus inuenire, semper quæremus: & nunquam omnino credemus. *Vbi enim erit finis quærendi? vbi statio credendi? vbi expunctio inueniendi?* apud Marcionem? Sed & Valentinus proponit: Quærite & inuenietis. Apud Valentinum: sed & Appelles hac me pronuntiatione pulsabit. Et Hebion & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuãtes, me sibi adducant. *Ero itaq; nusquam dum vbiq; conuenior*: Quærite & inuenietis: Et velint me sic esse nusquã, quasi qui nunquam apprehenderim illud quod Christus instituit, quod quæri oportet, quod credi necesse est.

Elegans locus.

ANALYSIS CAP. X.

Responsionem tertiam latiùs explicat, & tribus circumstantiis definit: quid, quando, quousq; quærendum. Quid? nempe sola Christi disciplina, semel Ecclesię tradita. Quando? dum illa ignoratur, & vel gentilismus, vel hæresis colitur. Quousq;, dum inuenta & credita est. Semel enim credita nõ amplius in exa-

in examen trahenda. Alioqui in infinitum laborabitur. Quod est alterum contra curiositatem argumentum, nostris hæreticis probè obseruãdũ, semper quærentibus, reformantibus, disputantibus, & *nunquam ad scientiam veritatis peruenientibus.* *2. Timoth. 3. 7.*

ANNOTAT. IN CAP. X.

Fossam determinauit] Prouerbium, quo leges præscriptæ tanquam fossæ castris significantur; quas transgredi nemo debeat. I. P.

Vbi statio credendi] Metaphora à stationibus militum, à quibus vlterius progredi prohibentur. I. P.

Expunctio inueniendi] Expunctum dicitur, quod præstitum, perfectum, adimpletum est: quemadmodum veteres in Calendariis, quæ cera vt plurimùm constabant, verso stylo debita expungebant. I. P.

Ero itaque nusquam] Id est nulli certæ sectæ me addicere potero: Quia omnes præcepto inquisitionis me indies incertiorem facient. Quod hodie multis accidit; qui quoniam semel anchoram fidei reliquerunt, nunc dubii penduliq; inter omnes religiones volitant, nec vbi certum pedem figant, inueniunt. Nam ecce, vbi erit statio credendi? apud Lutherum? Sed & Caluinus proponit quærite & inuenietis. Apud Caluinum? Sed & Menno me hac pronunciatione pulsabit. Et Seruetus & Flacius, & omnis illa perfidorum natio. I. C.

Hæreticorũ incertitudo.

Hæretici sibi ipsis nũquam satisfaciunt, aut Beza Vol. 3. 226. procul dubio propria conscientia edoctus.

CAPVT XI.

Eiusdem Argumenti cum superioribus.

IMpunè erratur, nisi delinquatur, quamuis errare delinquere est. Impunè inquam vagatur, q nihil deserit. At enim si q debui credere credidi, & aliud denuò puto relinquendũ, spero vtiq; & aliud esse inueniendũ, nullo modo speraturus istud, nisi q a aut nõ crediderã, q videbar credidisse, aut desii

Adhuc contra quæsitores.

 credi-

credidisse. Ita fidem meam deserens, negator inuenior. Semel dixerim, nemo quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit. perdiderat *vnam ex decem didrachmis anus illa, & ideò* quærebat: vbi tamen inuenit, quærere desiit. *Panem vicinus non habebat, & ideò pulsabat*: vbi tamen apertum est ei & vt accepit, pulsare cessauit. *Vidua à iudice petebat audiri, quia non admittebatur*: Sed vbi audita est, hactenus institit. Adeò finis est & quærendi, & pulsandi, & petendi. *petenti enim dabitur* inquit, *& pulsanti aperietur, & quærenti inuenietur*. Viderit qui quęrit semper, quia non inuenit. Illic enim quærit, vbi non inuenietur. Viderit qui semper pulsat, quia nūquam aperietur, illic enim pulsat, vbi nemo est. Viderit qui semper petit, quia nunquam audietur. Ab eo enim petit, qui non audit.

Luc. 15. v. 8. & seq. *Luc. 11. v. 5. & seq.* *Luc. 18. v. 2. & seq.* *Luc. 11. v. 10*

ANALYSIS CAP. XI.

Argum. 3. contra curiosit.

Perstat adhuc in explicanda tertia responsione: & simul tertium argumentum contra curiositatem inuoluit. Quemadmodum inquit ante fidem rectè fides quæritur, & ibi impunè erratur (intellige κατά τι vel respectiuè) sic suscepta fide neutiquam inculpata potest esse curiosior inuestigatio. Nemo enim quærit, nisi qui aut non habuit, aut qui perdidit. Hæreticorum igitur curiositas vel carentiam vel amissionem veritatis arguit. Idque similitudinibus aliquot Euangelicis illustrat. &c.

ANNOTAT. IN CAP. XI.

Errare quid.

Impunè erratur] Errare propriè est Vagari: vt 1. Aeneid.

AEneid. *Heus iuuenes monstrate mearum. Vidistis si quam hic errantem forte sororem.* 2. Quia pecudes errando pascuntur, errare interdum pro pasci accipitur. Virgil. 3. Ecloga *mille mea Siculis errant in montibus agna.* 3. Quia vagando sæpe à via recta deflectitur, fit vt errare frequentissimè pro peccare & delinquere accipiatur, maximè cum falsa pro veris approbantur &c. Hunc verò errorem quòd impunem censet Tertullianus, Comparatiue accipiendum est de temporibus ignorantiæ & simplicitatis, cuius etsi aliqua pœna, mitior tamen quàm post fidei iuramentum futura est. Nam *Ignosci potest simpliciter erranti: sicut de se ipso Paulus dicit: qui primo fui blasphemus et persecutor, et iniuriosus: sed misericordiam merui, quia ignorãs feci. Post inspirationem verò & reuelationem veritatis factam, qui in eo quod errauerat perseuerat prudens & sciens, Iam non in venia ignorantia peccat. Præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cùm ratione superetur.* Et S. Augustinus: *Non omnis* inquit *ignorans immunis est à pœna, Ille enim ignorans potest excusari à pœna, qui quod disceret non invenit. Illis autem hoc ignosci non poterit, qui à quo discerent habentes, operam non dederunt.* I. C.

Vide S. Tho. quæst. de malo q. 3. art. 3.

Impunè erratur quomodo.

Cypr. Epist. 73: ad Iubaianum.

Distinct. 8. Consuetu. §. Ignosce.

1. Timi. 1.

Lib. quæst. distinct 37. can. Vle.

Quamuis errare delinquere est] Ex supradictis patet. alii tamen de via morum accipiunt, ex Augustino in Enchiridio. I. C.

Negator inuenior] id est abnegator semel susceptę fidei: Cuius contrarium est confessor. Itaque Tertull. tanquam grande probrum obiicit, ab hæreticis aliquid discere volentibus, quod sint negatores. I. P.

Negator.

Hactenus institit] id est huc vsque demum institit, post instare cessauit. I. P.

Viderit qui semper quærit] Viderint Scioli hæretici, nō in Catholicā tantū fidē, sed in suas quoque sectas ita scrupulosè inquirentes vt parum absit, quin si vires suppetant, singuli singulas reformationes instituant, sectisque sectulas quotannis assuant.

Quid & quomodo semper quærendū.

assuant. Quod si inquisitionum tam studiosi sunt, Augustinum audiant docentem, quid & quomodo semper quærendum sit: *Quærite faciem eius semper. Si semper quæritur, quando inuenitur? an semper dixit in tota vita, quæ hic viuitur? ex quo hoc debere nos facere cognouimus, quando & inuentus quærendus est. Iam Deum inuenit fides, sed adhuc eum quærit spes. Charitas autem & inuenit eum per fidem, & eum quærit habere per spem, vbi tunc sic inuenitur, vt vltra non quæratur. Fortè cum facie ad faciem eum viderimus sicuti est, & adhuc perquirendus erit, & sine fine quærendus, quia sine fine amandus.* I. C

Super Psal. 104.

CAPVT XII.

Si Christianis quærendum, non apud hæreticos, sed apud nostros id faciendũ.

NObis etsi quærendum esset adhuc & semper, vbi tamẽ quæri oportet? apud hæreticos? vbi omnia extranea & aduersaria nostræ veritati? ad quos vetamur accedere. Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus, donatiuum & stipendium captat, nisi planè desertor & transfuga & rebellis? Etiam *anus illa intra tectum suum dragmam requirebat*: Etiam *pulsator ille vinci ianuam tundebat*: Etiam *vidua illa* non inimicum, licet durum *iudicẽ interpellabat*. Nemo inde strui potest, vnde destruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo cõtenebratur. *Quæramus ergò in nostro, & à nostris, & de nostro:* Idq;

Qui consulendi.

2. Ioan. 1. v. 10. 11.

Luc. 15. v. 8.

Luc. 11. v. 5.

Luc. 18. v. 2.

Regula quærendi.

Idq; duntaxat quod saluâ regulâ fidei potest in quæstionem deuenire.

ANALYSIS CAP. XII.

Quartum argumentum contra curiositatem. Si maximè aliquid, quod salua regula fidei in quæstionem potest deuenire, inquirendum: non tamē id apud hæreticos, sed apud nostros faciendum est. Primò quia illi sunt inimici nostri, quorum conuersatio nobis interdicta est. Deinde à similitudine serui aut militis fidelis, qui ab extraneo vel inimico nunquam donatiuum acceperit. Tertiò ab Exemplo anus quærentis drachmam, non extra sed intra domum suam. Quartò à periculo, quia hæretici nos destruunt, nec propterea ædificationem conferre possunt. Pertinet huc illud S. *Bernhardi* de præcepto & dispensatione: *Melius est obedire Deo quàm hominibus, & ipsis melius magistris, quàm discipulis. Porrò in magistris melius nostris quàm extraneis. Quibus autem melius constat obedire, ipsis procul dubio non obedire est detestabilius.*

Argum. 4. contra curiosit.

Cur hæretici non consulendi.

Notent hoc curiosi hæreticarum lacunarum scrutatores, ne ita miserè vitam suam prædonibus offerant, atque auri loco stercora eligant.

ANNOT. IN CAP. XII.

Nemo ab eo] pertinet hoc ad errores B. Cypriani & Tertull. qui collatum ab hæreticis Baptismū (veteres illuminationem vocabant) efficacem negabant. Quod quidem in aliquibus hæreticis sustineri potuit, sed non in omnibus. I. P.

CAP.

CAPVT XIII.

Exordii thesis quinta, quæ sit regula seu symbolum fidei.

[a] *Deu. 6. 4.* [b] *Esa. 40. 11* [c] *2. Mach. 7. 23.* [d] *Ioan. 1. 3.* [e] *Ibidem.* [f] *Gen. 32. & 2. 24. & seq.* [g] *Heb. 1. 1.* [h] *Matt. 1. 20* [i] *Ioan. 1. 14* [k] *Mat. 1. 23.* [l] *Mat. 4. 17* [m] *Matth. 9. & 2, 20. 25. 27. 32* [n] *Matth. 27. 35.* [o] *Matth. 28. 6.* [p] *Marc. 16. 19.* [q] *Actor. 2. & 2. 17.* [r] *Matt. 24. 27.* [s] *Matth. 25. & 34. 41.* [t] *Ioan. 5. 28*

Regula est autem fidei, vt iam hinc quid credamus profiteamur, illa scilicet qua creditur: [a] *vnum* omnino Deum esse, [b] nec alium præter mundi Conditorem, [c] qui vniuersa de nihilo produxerit, [d] per *verbum suum* primò omnium emissum: Id verbum [e] *filium* eius appellatum, in nomine Dei [f] variè visum Patriarchis, [g] in Prophetis semper auditum, [h] postremò delatum ex spiritu Dei patris & virtute in Virginem Mariam, [i] carnem factum in vtero eius, & ex ea [k] natum hominem, & esse Iesum Christum: Exinde [l] prædicasse nouam legem, & nouam promissionem regni cœlorum, [m] virtutes fecisse: [n] Fixum cruci, [o] tertia die resurrexisse: [p] In cœlos ereptum sedere ad dextram Patris: [q] Misisse vicariam vim *spiritus sancti* qui credentes agat: [r] venturum cum claritate, [s] ad sumendos sanctos in vitæ & promissorum cœlestium fructum, & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta [t] vtriusq; resuscitatione cum carnis resurrectione.

ANALYSIS CAP. XIII.

Connexio. Digressio, qua per occasionem superioris capitis, vbi mentione regulæ fidei quæstionibus curiosis terminos fixerat, nunc symbolum fidei commemorat

memorat, bene Apostolico conueniens, & ordine, & sensu, & integritate. Itaque de eo nihil hic attinet pluribus agere: cùm annotationes etiam has partes copiose expleant.

ANNOTAT. IN CAP. XIII. EX PAMEL.

Regula est autem] Regulã fidei nuncupat, quod nos Apostolorum dicimus· vti etiam Irenæus, Origenes, Augustinus, & alii. Regula dicta est eò, quòd rectè ducit, nec aliquem trahit aliorsum. Distinctione 3. apud Gratian. *Regula.*

Vnum omnino] Quod adhûc primum fidei articulum attinet, de Deo vero & vnico, duo libri Tertull. sunt 1. & 2. aduersus Marcion. Vox *omnipotentem* repeti potest ex lib. de Veland. Virg. & cap. vlt. huius libri. *1. Articul. fidei.*

Primò omnium emissum] hoc est ante omnia secula genitum.

Id Verbum] simplicius & paulò apertius de hoc 2. art. fidei, lib. de Veland. Virgin. & aduers. prax. Quod enim verè sit Dei filius, latè docet auctor Apologetico & alibi. Et Cyprianus lib. 2. Testi. ad Iudæos. *2. Articul.*

Postremò delatum ex spiritu] Tertium fidei articulum paucioribus expressit lib. de Vel. Virg. natum ex Maria Virgine, & latius adu. praxean. de hoc tom. 1. con. Iudæos cap. 7. & 9. & totus liber adu. Marc. 3. de Christo est, & Irenæus, Cyprian. & alii. *3. Articul.*

Fixum cru i] latius hunc quartum articulum explicat lib. de Velan. Virginibus & adu. praxean. quæ Irenæus vnica voce expressit: Et passionem: Vide lib. Tertull. adu. Iudæos & 3. adu. Marc. & Cyprian. vbi supra. & Ruffin. in symbolo, qui etiam disertis verbis sepulturam Christi prædicant, vt non dubitandum sit, esse castigandum symbol. Ruffini: Crucifixus sub Pontio Pilato, mortuus & sepultus. *4. Articul.*

Tertia

5. Articul. *Tertia die resurrexisse*] De hoc quinto articulo fidei Tertullianus lib. de Veland. Virg. & aduerſ. praxean. ſcripturas, quibus reſurrectio ea prædicta fuit, habet Cyprianus, vbi ſupra, Rufinus in expoſitione ſymboli, his verbis præmittit: Deſcendit ad inferna: etiam id ſcripturis comprobant. Pſalm. 15. 21. 29. ac 58. & Matth. 11. ac 1. Petri 3. quarum & pleraſque citat Cypria. cap. 24. Tertullianus verò deſcenſum Chriſti ad inferos confitetur lib. de reſurrect. carnis, & apertius lib. de anima.

6. Articul. *In cælos ereptum ſedere*] Haud abſimiliter lib. de Vel. Virg. & aduerſ. praxean. cui conformiter Rufinus. Illud *ſedere ad dextram Patris*, ad æqualem cum patre poteſtatem pertinere Theologi ſciunt.

8. Articul. *Miſiſſe Vicariam Vim Spiritus ſancti*] Tranſpoſiti ſunt iſte & ſequens articuli, alio quàm apud Ruffinum ordine: Ille enim octauum facit, quem hic ſatis congruè, temporis habita ratione, ſeptimum facit auctor.

7. 11. 12. Articul. *Venturum cum claritate*] Hic tres fidei articulos ſeptimum, vndecimum, & duodecimum, quaſi vno faſce compingit, imitatus in hoc Irenæum. Auctor interim etiã ipſe diſtinguit lib. de Vel. Virg. & adu. prax & habent itidem Rufin. & Cypria. vbi ſup.

12. Articul. *Ad ſumendos ſanctos*] pertinet hoc ad duodecimum articulum fidei, ſecundum communem diſtinctionem: Et vitam æternam: quem etiam in explicatione Symboli Rufinus cum præcedenti coniunxit, vt & Irenæus.

Facta Vtriusq; partis reſuſcitatione] iſtud ad XI. articulum fidei ſpectat. Intellige, vtriuſque partis, bonos & malos. Plerique enim putabant impios hic morientes animo & corpore ſimul morituros, neque vnquam reſurrecturos. Porrò de

9. 10. Artic. *nono & decimo articulo* fidei, qui vel maximè à Baptizandis exigi ſolent, tradit Tertullianus lib. de Baptiſmo.

CAP.

CAPVT XIIII.

Quòd de hac fidei regula quæstiones non sint agitandæ.

HÆc regula à Christo vt probabitur instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Cæterùm manente forma eius in suo ordine, quantumlibet quæras & tractes, & omnem libidinem curiositatis effundas, si quid tibi videtur vel ambiguitate pendêre, vel obscuritate obumbrari: est vtiq; frater aliquis doctor gratia scientiæ donatus: est aliquis inter exercitatos cõuersatus, aliqs tecũ curiosus, tecum tamen quærens: nouissimè *ignorare melius est, ne quod nõ debeas nôris, quia quod debeas nosti. Fides*, inquit, *tua te saluũ fecit: non exercitatio scripturarũ. Fides in regula posita est:* habes legem, & salutem ex obseruatione legis. *Exercitatio autẽ in curiositate consistit,* habens gloriam solam de peritiæ studio. *Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti: Certè aut non obstrepant aut quiescant aduersus regulam. Nihil vltra scire, omnia scire est.* Vt non inimici essent veritatis hæretici, vt de refugiendis eis non præmoneremur, quale est conferre cum hominibus, qui & ipsi adhuc se quærere confitentur? *si enim verè adhuc quærunt, nihil adhuc certi deprehenderunt:* Et ideò quodcunque videntur interim tenere, dubita-

Symbolum non controuersum quatenus.

Luc. 18. 42.

Ab hæreticis nullatenus veritas exquirenda.

dubitationem suam ostendunt, quandiu quærunt. Itaq; tu q proinde quæris, spectans ad eos qui & ipsi quærunt, dubius ad dubios, certus ad incertos, cæcus ad cæcos, in foueam deducaris necesse est, sed quum decipiendi gratia prætendunt, se adhuc quærere, vt nobis per solicitudinis iniectiones tractatus suos insinuent: denique vbi adierunt ad nos, statim quæ dicebant quærenda esse defendunt: iam illos sic debemus refutare, vt sciant nos non Christo, sed sibi negatores esse. *Cùm enim quærunt adhuc, nondum tenent: Cùm autem non tenent nondũ crediderunt. Cùm autem nondũ crediderunt, non sunt Christiani.* At cùm tenent quidem & credunt, quærendum tamen dicunt vt defendant: antequàm defendant, negant quod credunt, confitentes se nondum credidisse, dum quærunt. *Qui ergo nec sibi sunt Christiani, quanto magis nobis?* qui per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? cui veritati patrocinantur, qui eam à mendacio inducunt?

Matth. 15. 14.

Climax.

Hæretici nulli Christiani. Confer infra cap. 16.

ANALYSIS CAP. XIV.

Conclusio primæ partis huius libri: vbi limitem ponit omni vel curiosiori, vel etiam licitæ inquisitioni, vt neutra symbolon fidei in controuersiam trahat. Nam 1. hæc est regula à Christo instituta, cuius decreta sunt omni exceptione maiora. 2. symboli disceptatio hæreticis tantum conuenit, vel hæreticos facit. 3. peroccupat: si quid curiosis dubium vel difficile in symbolo occurrit, habent

Cur symbolũ non disputandũ.

habent fratres doctores quos consulant: Vel si ipsos simul quærentes vident, cogitent melius esse, quædam ignorare, quàm fidei officium egredi, cuius est, non intellectà credere. 4. fides nos saluos facit, non curiositas, vel exercitatio scripturarum. Vnde etsi est vana gloria, tamen salus ex fide præferenda est gloriæ. 5. nihil vltra scire, omnia scire est. *Est enim modus in rebus: nec scire fas est omnia.* Hinc Paulus ipse *nil prater Christum crucifixum scire* affectabat, nosque monebat, *ne altum saperemus*. 6. Si hæreticos maximè consulere velis, illi nil certi habent quod respondeant. Ipsi enim adhuc quærunt & quærendo dubitationem suam ostendunt. Itaque nihil adhuc certi tenent, suaque incerta, quibus ipsimet diffidunt, imperitis pro certis obtrudunt. Hoc argumentum variè amplificat, & illustrat gradatione valde eleganti.

Horatius. Idem lib 4. Carm. Ode. 4.
1. Cor. 2. 2. Rom. 11. 20.

ANNOTAT. IN CAP. XIV.

A Christo instituta] Atqui infra symbolū ad Apostolorū traditionē refert? Non obstat: qa quēadmodū ibidē loqtur: *Id sine dubio tenendum, quòd Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit.* Talem autem esse hanc regulam, auctor affirmat lib. adu. Praxean. & Irenæus. I. P.

Nullas habet] debent enim certa esse in omni disciplina principia, quæ qui negat, non verbis, sed fustibus refellendus est. I. C.

Aristo. 1. Top. 11. §. 9.

Est vtiq, frater aliquis Doctor] Primo in Ecclesia loco sunt Apostoli, secundo prophetæ. 3. doctores: qui & Euangelistæ & pastores videntur nominari, Ephes. 4. Est autē *doctor*, qui scientiæ gratia donatus est, qui docet, & in doctrina perseuerans est, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. I. P.

Doctor quid.

Ignorare melius] *Quamuis errare quanta possimus cura cauendum sit, non solum in maioribus, verumetiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia possit errari, non est tamen consequens, vt continuo*

Distinct. 38 quamuis errare ex S. August.

Ignorantia quandoq; præstat scientia.

erret quisquis aliquid nescit, sed si quis existimet se scire quod nescit: pro vero quippe approbat falsum, quod erroris est proprium. Veruntamen in qua re quisquis erret, interest plurimum. Nam in vna eademq; re & nescienti sciens, & erranti non errans recta ratione præponitur. In aduersis autem rebus, id est, cum iste scit alia, & ille alia, & iste vtiliora, & ille minus vtilia, vel etiam noxia, quis non in eis quæ ille scit, ei præferat nescientem? sunt enim quædam quæ nescire melius est quam scire. Imo bonorum scientia sæpe culpabilis. *Sunt enim qui scire volunt eo fine tantum vt sciant: & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, verbi gratia, pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæstus est. Et sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi: Et turpis vanitas est. Sed sunt qui scire volunt, vt ædificent: Et charitas est. Et sunt qui scire volunt, vt ædificentur: & prudentia est* I. C.

S. Bernhar. super Cant. serm. 36.

Lib. 7. de art. liberal.

Nihil vltra scire] Nam Seneca teste, *plus scire velle, quam satis, intemperantiæ genus est.* I. C.

Lib. 9. de trinitate. Idem lib. 1. Confess. cap. 2.

Si enim verè adhuc quærũt] *quid enim est inuenire,* ait August. *nisi in id venire quod quæritur?* quemadmodum inuocare, est in seipsum vocare eum, cui quis supplicat. I. C.

Decipiendi gratia prætendunt] ita videlicet hæretici horum & omnium temporum, verbo humilitatem & studium salutis, reipsa factiones & pertinaciam cogitant: atque adeo se solos magistros sectandos. I. P.

Cui veritati patrocinantur] Sunt enim mendaciorum patroni, et veritatis haberi volunt, atque ea illecebra pelliciunt ad se simpliciores. I. P.

CAPVT XV.

ALTERA PARS LIBRI, QVA præscriptiones aduersus hæreticos commemorat.

SEd ipsi & de scripturis agunt, & de scripturis suadent? *Aliunde scilicet loqui pos-*

ſent de rebus fidei, niſi ex literis fidei. Venimus igitur ad propoſitum, huc enim dirigebamus, & hoc præſtruebamus, ad locutionis præfationem, vt iam hinc de eo congrediamur, de quo aduerſarii prouocant. *Scripturas obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam mouent: In ipſo verò congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt.* Hunc igitur potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendos eos ad vllam de ſcripturis diſputationem: ſi hæ ſunt vires eorum, anne eas habere poſſint diſpici debet, *cui competat poſſeſſio ſcripturarum*, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.

Hæretici ſcripturas ſuæ inſaniæ obtendunt.

Sed ab hoc præſidio deturbandi.

ANALYSIS CAP. XV.

Tranſit ad ſecundam libri partem, per occupationē obiectionis, q̃ ex ſuperiori capite fluit. Atqui ipſi hæretici ex ſcripturis ſua probare nituntur. Quidni igitur aures eis præbeamus? Reſpon. habet membra quatuor. 1. Cauſam cur quilibet hæretici ſua ſomnia de ſcripturis ſuadeant: Quia de rebus fidei non niſi ex literis fidei diſſerere poſſunt. 2. tranſitionem ad ſecundam libri partem de non admittendis ad ſcripturarum venditationem hæreticis. 3. effectū iſtius Sophiſtices, q̃ fortes labefactat, infirmos deiicit, in omnibus fidei vigorem frangit. 4. Theſin ipſam, non p̄mittendā hæreticis ſcripturæ vſurpationē, cuius poſſeſſio ad eos nequaquā p̄tineat. Qua de re Auctor ad cap. vſq; 22. & à cap. 37. ad 41. & Vincent. Lirinenſ. in aureo ſuo libello. Et Irenæus lib. 3. adu. hær.

Cohærentia.

ANNOTAT. IN CAP. XV.

Sed ipſi & de ſcripturis] hæc eſt omnium hæreticorum decipula, vt errores ſuos melle ſcriptu-

rarum tingant, & simplicibus tanquam sacrum donum offerant. Ast piscatores toties icti sapiamus, neque hunc inimicis nostris gradum permittamus:

Ovid. 1. de Ponto Eleg. 7.

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus vncta cibis æra subesse putat. I. C.

Gradum obstruimus] Prouerbialis formula, pro eo, quod est primũ opponere, & remouere à cõgressu. I. P.

CAPUT XVI.

Præscriptio 1. non esse hæreticos admittendos ad scripturarum disputationem.

Prolepsis.

HOc de consilio diffidentiæ, aut de studio aliter ineundæ constitutionis induxerim, nisi ratio constiterit, in primis illa, quòd fides nostra obsequium Apostolo debeat, prohibenti *quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare, hæreticum post vnam correptionem conuenire*, non post disputationem. Adeò interdixit disputationem, correptionem designans causam hæretici conueniendi: Et hoc vnam, scilicet, quia *non est Christianus*: ne more Christiani, semel & iterum & sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur: cùm ob hoc sit castigandus, propter quod non sit cum illo disputandum.

1. Tim. 6. v. 4 & 20. Tit. 3. 10.

Hæreticus non Christianus.

Analysis Cap. XVI.

Præscriptionem primã de non admittendis hæreticis ad sacrarum scripturarum armarium, probare incipit per prolepsin: Non ex diffidentia sic præscribi hæreticis, sed ex mandato Apostoli, qui de omni cum hæreticis conuersatione nobis interdixerit, & non disputationem, sed correptionẽ, eamque vnam tantum vel alteram præceperit.

Propte-

Propterea quod hæreticus non sit Christianus. Fidem enim interpolat, & Idololatra est, pro Christo fictitium cerebri sui numen adorans, deinde pacē Ecclesiæ soluit, & corpus Christi dilaniat, vt manifesti potius hostis, quàm fratris loco habendus sit. At *Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum pacis authorem minimè imitatur. Imo mendacium est Christianū se dicere, & opera Christi nō facere.* *S. August. de doctr. Christiana.*

ANNOT. IN CAP. XVI.

De consilio diffidentiæ] Obseruent hoc Thrasones hæretici, qui Catholicos insimulare diffidentiæ nō erubescunt, cúm ob cruentarū manuū contactū, qbus Harpyiarum instar omnia fœdant, à sacro codice repelluntur, & ad maiorū traditionē tanquā compendiosius tribunal vocantur. Non hæc diffidentia, sed confidentia est, amputatis ambagibus & circulis, scripturarum possessionem & genuinam vsurpationē sibi vetustatis pscriptione vindicare, aliis crimine nouitatis demere. I. C. *S. Ambros. serm domini. de Abraham. 23. q. 5. cauete.* *Cur Catholici à scripturis frequenter ad traditiones prouocent.*

Ineundæ constitutionis] id est, conflictionis, sicut apud Ciceronem lib. 2. de inuentione. I. P.

Post vnam correptionem] pro eo, quod supra est post primam. eandem ferè sententiam loco Apostoli interpretando habent cum Tertull. D. Ambrosius, Chrysostomus, subinde Cyprianus & Irenæus lib. 3. adu. hær. cap. 3. sed Hierony. aliter accipit. Legit autem sicut autor noster B. Ambros. Epist. 55. & quibusdam etiam August. Epist. 162. I. P.

CAPVT XVII.

Altera ratio 1. præscriptionis, quòd nihil proficiat ex scripturis disceptatio.

DEinde quoniā nihil *proficiat congressio scripturarum, nisi planè vt aut stomachi*

Hæretici quibus modis authoritatem scripturæ eludant.

quis ineat euersionem, aut cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit: Et si recipit, non recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessariò nolunt agnoscere ea, per quæ reuincuntur: his nituntur quæ ex falso composuerunt, & quæ de ambiguitate ceperunt. *Quid promouebis exercitatissime scripturarũ, cum si quid defenderis, negetur ex diuerso, si quid negaueris defendatur.* Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione: nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione.

ANALYSIS CAP. XVII.

Hæreticorũ κενοσπουδία.

Quis secundæ huius probationis sensus sit, ex argumento satis patet. Eludunt omnem scripturã hæretici, & quicquid quantocunq; studio vel de Prophetis vel Apostolis afferas, leuiter quasi subsannando infringunt. Habent enim exceptionem peculiaris Canonis: Habent exceptionem diuersæ lectionis aut versionis: Habent exceptionem diuersi sensus, quem contra Ecclesiam domi commenti impudenter obtrudunt, vt viro cordato stomachum potius moueant, quàm spem victoriæ aut correctionis præbeant.

Sic si hodie Sapientiã, Syracidẽ, Machabæos obiicias, Canonicos tibi negat hæreticus. Si aliquid ex Genesi vel Malachia de Sacrificio corporis Domini afferas, versionẽ aliã obtendit, alium contra receptum morem sensum, &c.

ANNOT.

ANNOTAT. IN CAP. XVII.

Ista hæresis non recipit quasdam scripturas] Facit huc, quod eleganter habet Cyprianus: *Corruptores Euangelii atq; interpretes falsi: Extrema ponunt & superiora prætereunt: partis memores & partem subdolè comprimentes. Vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita Vnius capituli sententiam scindunt.* I. P. *De Vnitate Ecclesiæ.*

CAPVT XVIII.

Tertia ratio primæ præscriptionis, quòd collatio scripturarum faciat ad subuersionem audientium.

ILle verò, si quis est cuius causa in congressum descẽdis scripturarũ, vt eum dubitantẽ confirmes, ad veritatem an magis ad hæreses deuerget? hoc ipso motus, quòd te videat nihil promouisse, æquo gradu negandi & defendendi diuersa parte statutũ: Certè de pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresin iudicet. *Hæc vtiq; & ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim & illos dicere à nobis potius adulteria scripturarum & expositionum mendacia inferri, qui proinde sibi defendant veritatem.* *Hæretici necessariò & Ecclesiam calumniantur.*

ANALYSIS CAP. XVIII.

Ratio tertia pscriptionis primæ, ab effectu noxio auditorũ. Infirmi .n. videntes Catholicũ non cõstringere hæreticũ scripturis, offenduntur nescientes vtrã sententiã hæreticã iudicent. Idq; tanto magis, qa haud infrequens est hæreticis, ipsis etiam Catholicis genuinis possessoribus scripturarum

adulteria obiicere. Quæ hodie calumnia ita apud Nouatores inualuit, vt nulla magis. Vide Danæũ tom. 2. respons. ad Bellarm. P. 906. 907. 1193. 1194. Foxum in Apoc. 17. p. 675.

ANNOTAT. IN CAP. XVIII.

Æquo gradu negandi & defendendi] Non enim disputatur, nisi quando par est vtrique potestas affirmandi & negandi: sed in sacris constans est & vna sententia. I. P.

Hac vtique & ipsi habent] Adeò etiam nostram Catholicam fidem hæresim vocant: quemadmodum & Iudæis erat hæretica. Actor. 28. Quocunq; tandem vergat disputatio: Hæretici quidem vinci facilè possunt, persuaderi nunquam possunt. authore Hieronymo. I. P.

CAPVT XIX.

Conclusio primæ præscriptionis, quòd proinde alia cum hæreticis non debeat iniri disputatio, nisi an Christiani sint.

Nota lector

NOn ad scripturas prouocandum est: nec in his constituendũ certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita euaderet conlatio scripturarũ, vt vtranq; partẽ parẽ sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa, cuius sint scripturæ: A quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani. *Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas scripturarum & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.*

Aurea sententia.

ANALY-

ANALYSIS CAP. XIX.

Epilogus præſcriptionis primæ, elegantiſſimus & cedro dignus, qui præſens thema de ſcripturæ collatione cum hæreticis alio commodiori themate permutandum docet: vtra ſcilicet pars ſit Ecclesia, cui primum fides & diſciplina Chriſtiana commendata ſit. Nam vbi apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ & fidei Chriſtianæ, illic erit & veritas ſcripturarum, &c.

Adſint igitur huc præpoſteri ſcripturarũ Encomiaſtæ, ſeu verius adulteri, qui cum ſeptis Eccleſiæ exilierint, nequiter tamen ius ſibi ſcripturarũ rapere, eiſq; nouam efformare faciem audent. Quorſum enim illa tam magnifica, & ſolius Eccleſiæ Catholicæ propria? *Scrupulis in cauſa religionis orientibus ad ſolam ſcripturam confugiendum.* Hyperius parte 2. operum pag. 27. *Scripturam ſolam ſufficientem ad dirimendas fidei controuerſias.* Danæus tom. 1. reſponſ. p. 65. 623. *Eandem ſolam fidei regulam* ibidem p. 89. 90. 91. 92. Martyr in locis 1110. *Extra Verbum Dei nil præter tenebras hominibus reliquum.* Caluinus comment. in epiſt. p. 127. 37. *Hæreſes ſolis ſcripturis conuellendas.* Martyr in locis pag. 30. *Scripturam ſui ipſius interpretem.* Hyper. parte 2 operum f. 35. VVittack. de verbo Dei 333. 208. 341. Beza volum. 3. p. 27. l. 63. p. 223. 138 l. 20. *Tandem ad ſcripturæ lydium lapidem omnia probanda.* Hyper. de lectione ſcripturæ, pag. 175. *Itaque ſcripturæ lectionem omnibus neceſſariam, eiuſq; ignorantiam vel in laicis intolerabilem.* Hyper. ibidem p. 42. 88. 139. 143. 259. VVittackerus de verbo Dei 293. Quorſum inquam iſta tam ſpecioſa, & melle tincta verba, niſi ad meram fraudem & deceptionem, vt ſoli ſcripturarum vindices videantur ij, qui ſubdolas & irreconciliabiles cum ſcripturis inimicitias gerunt? Adſint igitur huc, & Tertullianum in hoc caſu ſalubriter conſulentem audiant. Non ad ſcripturas prouocandum,

Iactantia hæreticorũ de ſolis ſcripturis conſulendis.

Antithesis Tertulliani.

nec in his constituendum certamē, in quibus aut nulla aut incerta victoria est. Causas audiuimus hactenus iustas: causas reddunt ipsimet alias æque veras: *quia in Verbi ministeriis multa sunt adeò arcana, vt ne ab ipsis quidem mystis intelligantur.* Beza volum. 3. 245. *Scripturarum autem testimoniis aluti omnium malorum causa.* Hyper. de lect. scripturæ. pag. 173. 180. *cum & ipsi heretici scripturas summopere vrgeant.* Danæus tom. 1. respons. 85. 86. *Itaque interpretatio scripturæ quærenda, quæ non secundum verba, sed secundum sensum instituenda.* VVittack. de verbo Dei pag. 298. *& qui scripturarum ductu diiudicare doctrinas vult, curiositate & omni vitioso affectu carere debet.* Hyper. part. 2. operum p. 40. Quod ius nullius priuati hominis est 2. Petri 1. 20. Sed solius Ecclesiæ Matt. 18. 17. aut quem ordinauerit Deus, Summi Pontificis Deut. 17. 8. Adeò vt *qui Christum inuenturus est, necesse habeat prius Ecclesiam inuenire.* Luth. Postilla Ecclesiast. explicat. Euangel. Lucæ 2. in natalem Domini. *Quomodo enim sciretur Christus & fides eius, nisi prius scirentur fideles eius? Quique aliquid de Christo nosse cupit: sibi non fidere, aut priuatum sua ratiocinatione pontem in cœlum extruere debet, sed Ecclesiam adire, visitare ac consulere, quæ conseruat omnia verba Dei in corde suo, eaq; ponderat, confert secum, & cum scripturis.* Luth. ibidem.

Christum inuenturus primum Ecclesiam inuenire debet.

ANNOTAT. IN CAP. XIX.

Quibus tradita sit disciplina] Disciplinam interpretabimur regulam seu symbolum fidei. I. P.

Vbi enim apparuerit esse veritatem] Locus insignis pro Catholicis, quod apud eos sit veritas scripturarum & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.

I. P.

CA-

CAPVT XX.

Altera præscriptio, quòd per Christum Apostolis, per illos verò Ecclesiis Apostolicis fides sit tradita.

CHristus Iesus Dominus noster permittat dicere. Interim quisquis est Christus, cuiuscunq; Dei filius, cuiuscunq; materiæ homo & Deus, cuiuscunq; fidei præceptor, cuiuscunque mercedis promissor. [a] *Quid esset*, [b] *quid fuisset*, [c] *quam patris voluntatem administraret*, [d] quid homini agendū determinaret; quandiu in terris agebat, ipse pronunciabat, [e] siue populo palàm [f] siue discentibus seorsum [g]. Ex quibus duodecim præcipuos lateri suo adlegerat, destinatos nationibus magistros. Itaq; [h] vno eorū decusso [i] reliquos vndecim regrediens ad patrem post resurrectionē, iussit *ire & docere nationes, tinguendas in patrem & in filium & in spiritum sanctū.* [k] Statim igitur Apostoli, quos hæc appellatio missos interpretatur, assūpto per sortē duodecimo Mathia in locū Iudæ, [l] ex authoritate Prophetiæ, quę est in Psalmo Dauid: [m] Consecuti promissam vim spiritus sancti ad virtutes & eloquium, [n] primò per Iudæam contestata fide in Iesum Christum & Ecclesiis institutis, [o] dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgauerunt, & [p] proinde *Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ, ceteræ exinde* Eccle-

a *Iohā. 9. 37.*
b *Iohan. 8. 25. 58.*
c *Iohan. 6. 39. 40.*
d *Matth. 19. 17.*
e *Matt. 5. 1.*
f *Matth. 13. 36.*
g *Matth 10. 1. 2.*
h *Matt. 27. 5.*
i *Matt. 28. 19.*
k *Act. 1. 23. 26.*
l *Psal. 108. 8.*
m *Act. 2. 2.*
n *Act. 8. & 9. & 11.*
o *Act. 13.*
p *Act. 14. 22.*

Tradux fidei & semē doctrinæ ab Ecclesiis sumendum.

Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidiè mutuantur vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ iura non alia ratio regit, quàm eiusdem Sacramenti vna traditio.

Omnes Ecclesiæ vna Apostolica Ecclesia.

ANALYSIS CAP. XX.

Gradus traditionum.

Altera præscriptio á sufficientibus veritatis assequendæ adminiculis: quæ sunt traditio Christi, Apostolorum, Ecclesiarum Apostolicarum, quæ sunt fidi cœlestis depositi custodes.

Christus.

Hanc secundam præscriptionem fusè tradit 1. de CHRISTO, per deprecationem: Qualiscunque tandem CHRISTVS fuerit, siue secundum nostram, siue secundum Marcionis sententiam, qui duos Deos statuebat: fideliter tamen suam nobis disciplinam tradidit publicè & priuatim. Deinde Apostoli 12. consecuti donum Spiritus sancti eandem disciplinam per Iudæam & gentes sparserunt, passimque Ecclesias condiderunt. 3. Hæ Ecclesiæ accepto veritatis deposito postea alias in vicinia Ecclesias pepererunt, & communem illis fidem tradiderunt. Ergo ab his tradux fidei & semen doctrinæ veræ sumendũ, vt vna cum Apostolis Ecclesia fiamus. Non minus enim hæ quàm primæ illæ Apostolicæ censendæ sunt, quia omne genus ad originem suam censetur. Et sic omnes toto orbe Ecclesiæ non nisi vna Ecclesia est, quia vnam omnes probant vnitatem, & eiusdem Sacramenti vnam tradi-

Apostoli.

Ecclesia.

traditionem. Quid adhæc prophani traditionum contemptores? Sacrilegas ructant voces: *Traditiones humanas scorias esse & stannum.* Oecolamp. in Esaiam pag. 21. *Varias & incertas, item hæreticorum proprias.* VVittack. de verbo Dei 502. 504. Kimedonc. de verbo Dei 801. 808. *quæ non possint diu seruari.* VVittack. de verbo Dei p. 492. *Quarum nulli idonei custodes possint assignari,* ibidem 494. *Itaque non tantum non pari reuerentia cum scripturis suscipiendas* ibidem 446. *Verum etiam inutiles & impure conseruatas.* Danæus tom. 1, respons. p. 91. 93. *Immò corruptelas esse diuinorum præceptorum.* Philippus in corpore doctrinæ p. 655. & quod plus est, *Dæmoniorum doctrinam,* ibidem p. 162. 632. Hi inquam Sacrilegi & Blasphemi homines quid ad hanc tam luculentam Tertulliani disputationem? nonne vident quam ille traditionibus originem, conseruationem, puritatem & authoritatem asscribat? Christus dedit, Apostoli acceperunt, Ecclesiæ conseruarunt, & ad nos vsque per manus ad perpetuitatem propagarunt: Vt qui huic sancto deposito detrahunt, Christum ipsum, & Spiritum sanctum perpetuum Ecclesiæ gubernatorem turpissima iniuria afficiant.

Hæretici insurgunt contra traditiones.

Et cum ipsi fateantur *Ecclesiam domum Dei esse.* Beza volum. 1. 495. Martyr in locis comm. 671. *Columnam & firmamentum veritatis.* Martyr in locis comm. p. 24. 25. *montem sanctitatis.* Oecolamp. in Esaiam 271. *Speculum gratiæ & iustitiæ Dei, item insigne gloriæ Dei theatrum.* Caluinus in Psalmum 111. v. 15. & Psalm. 76. v. 2. *Quæ variis modis seruetur, quæque perpetua & inuicta sit.* Caluinus in Psalm. 102. v. 19. & Psalm. 22. v. 31. 32. Martyr in locis 437. *Immò quæ etiam fœcunda, populosissima & latissima* Caluinus in Psalm. 110. v. 3. Oecolamp. in Esaiam p. 24. denique *quæ sola in luce versetur.* Oecolamp. in Esaiam p. 286. *quæ Spiritum sanctum semper habeat præsentem, & non erret.* ibidem p. 37. 285. *Cuius custos Deus, qui illi semper Apostolos mittat* ibidem 115. 294. Cùm inquam

Hæretici confutantur ex propriis assertionibus.

inquam hæc illi nobiscum: & cum veritate sentiant, quo pacto suorum ipsi decretorum nunc obliti, tam tetra aduersum Ecclesiam conuitia euomere audent, vt quæ Christi benignitate, Apostolorum fidelitate, maiorum cura & diligentia illa accepit, conseruauit, & nobis tradidit statuta, spiritibus malis asscriberenon vereantur? O furor! ô pestis! ô labes! quis sanos huic gēti sensus à Deo impetrabit?

ANNOTAT. IN CAP. XX.

Interim quisquis est Christus] Non tanquam dubitās, sed quia Marcion duos Deos introducebat, hāc disputationem de vero Christo differt in aliud tempus. I. P.

Quid esset, quid fuisset] Alludit ad tres diuersas scripturas. Ioan. 4. vbi quid esset, nempe Messias, pronunciauit dicens: *Ego sum qui loquor tecum:* Et Ioan. 8. quid fuisset: *Ego à patre processi*: ac Ioan. 6. quam patris voluntatem administraret: *Hæc est voluntas eius qui misit me patris*, &c. Denique quid homini agendum determinaret Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. I. P.

Tinguo, pro tingo.

Tinguendas in patrem] Ita more Tertullianico pro tingendas, & est noua versio, pro (quod omnes alii habent) in nomine patris &c. Matth 28. I. P.

Apostolus.

Apostoli, quos hæc appellatio] ἀποστέλλειν mittere est cum potestate & auctoritate aliqua. Multi missi, legatique fuerunt, sed illi duodecim per Antonomasiam dicti sunt Apostoli. Quos videtur hic author vocare legatos á latere: *Adlegerat duodecim lateri suo.* Non minus igitur honorandi, quàm sit is, cuius legatione funguntur. I. P.

Tradux fidei.

Traducem fidei.] Traduces sunt, quando ramusculi plures ex vno trunco, vel vno vitis brachio diffunduntur, & in alium locum deducuntur, inuicem connexi. Idem ferè sunt quod propago. Hic eleganter translatio est, traditio vel diffusio fidei ab vna

Ecclesia

Ecclesia in aliam, ab vna prima Apostolica: vt infra cap. 32. I. P.

Itaque tot ac tanta Ecclesia vna est] Ita ferè Cyprianus epistol. ad Anton. 2. lib. 4. & apertius lib. de vnita. Eccles. toto eo libro. & Tertullia. alibi vnam Ecclesiam confitetur. I. P.

Communicatio pacis] Quod etiam veteres dexteram dare, in pacem recipere, dare quoque pacem dixerunt; id est in Ecclesiæ consortium admittere, & Eucharistiam præbere, quod est sanctum Domini corpus, vt Cyprianus exponit. I. P.

Appellatio fraternitatis] Omnes Christiani, quũ sint ab eodem patre renati, fratres omnes inter sese debent appellari: Quod fuit ab initio commune Christianorum nomen. I. P. *Fratres Christiani.*

Et contesseratio hospitalitatis] Hospitalitas mandata Christianis omnibus Matt. 10. vbi Hieronym. à tessera Tertullia. verbum finxit *contesserare*, vnde contesseratio significat coniunctionem familiariorem, quæ per signum fiat, nam tessera signum apud veteres erat hospitale, cuius ostensione, si quem rediisse contigisset, statim agnoscebatur. I. P. *Contesseratio.*

Eiusdem Sacramenti vna traditio] Rectè hic Macereus Sacramentum vertit Gallicè iuramentum: alludit enim ad iusiurandum, quo tanquam Sacramento militari in Baptismo nos adstringimus. I. P. *Sacramentum.*

CAPVT XXI.

Collectio secundæ præscriptionis: quòd proinde alia doctrina non recipienda, quàm ab Apostolis viua voce, aut per Epistolam tradita.

HAnc igitur dirigimus præscriptionẽ: si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandũ, alios non esse recipiẽdos prædicatores, q̃ quos Christus instituit; q a *Matth. 10. 5 Luc. 10. 1.*

nec

nec alius patrem nouit nisi filius, & cui filius reuelauit, nec aliis videtur reuelasse filius, quàm Apostolis quos misit ad prædicandum, vtique quod illis reuelauit. *Quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam*

1 Thes. 2. 2. *viua (quod aiunt) voce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam:* id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: *reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam*, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Superest ergo vti demonstremus, an hæc nostra doctrina, cuius regulam supra edidimus, de Apostolorum traditione censeatur, & ex hoc ipso, an cæteræ de mendacio veniant. *Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis*, quod nulla doctrina diuersa, *hoc est testimonium veritatis.*

ANALYSIS CAP. XXI.

Ex secunda præscriptione directam nunc ratiocinationem pro Catholica deducit. Quæcunq; doctrina cum Ecclesiis Apostolicis, Matricibus & Originalibus fidei conspirat, veritati deputanda est, quæ contra, mendacio. Atqui sola Catholica cum Ecclesiis Originalibus & Matricibus fidei conspirat, hæ-

rat hæretica ab illis discrepat. Ergo &c. *Maiorē propositionē* probat repetitione eorū, quæ capite præcedente dicta sunt, de tradita pura doctrina à Christo Apostolis, ab Apostolis Ecclesiis, ab Ecclesiis religiosè cōseruata, vt nulli meliores doctrinę iudices vel testes esse possint, quā hæ ipsæ Ecclesiæ quę Christi & Apostolorum traditione primò doctrinam integram acceperunt, &c. *Minorem* probat in fine, quòd sola cum Ecclesiis Apostolicis communicet Catholica: quod sit infallibile testimonium veritatis. Quam ipsam communicationem acriter quoque Augustinus suis infra disputationibus vrgebit.

Atque hæc ipsa est toties hodiè à Catholicis aduersus Nouatores inculcata ratiocinatio. Quam quia soluere isti non possunt, secant factiosè, seque nullis Ecclesiæ statutis, solâ scripturæ authoritate teneri clamitant. Tale est illud Lutheri. *Valdè speciosum & robustum videtur argumētum papistarum. Ecclesia tot seculis sic sensit & docuit: sic senserunt & docuerunt omnes primitiuæ Ecclesiæ doctores Viri sanctissimi, quis es tu qui ausis ab iis omnibus dissentire? Quando Satan hoc vrget, constanter dicas, siue S. Cyprianus, Augustinus, Ambrosius siue S Petrus, Paulus, Iohannes, imò Angelus de cælo aliter doceat, tamen hoc certò scio, quòd humana non suadeo, sed diuina. Ibi enim cum fiducia dicere possum. Esto sanè, Ecclesia, Augustinus & alii doctores: Item Petrus,* Apollo, *imò Angelus è cælo diuersum doceant; tamen mea doctrina est eiusmodi, quæ solius Dei gloriam illustrat. Petrus Apostolorum summus viuebat, & docebat extra verbum Dei.* Tale est illud quoque Caluini aduersus Pighium: *Cùm Ecclesia* inquit *consensum nobis obiectat, hanc sibi responsionem vno verbo habeat, non esse Ecclesiæ consensum, nisi qui congruenter aptéque per omnia verbo Dei est consentaneus. Quoties ergo illam suam catilenam mihi occinit, de vniuersalis Ecclesiæ consensu, continuò excipiam: Vt fidelium sententia pro perpetuo Ecclesiæ consensu habeantur, eas primùm in veritatem Christi conuenire necesse est. Docet Phigius*

Hæreticorū exceptio cōtra propositam ratiocinationē.

Luthe. tom. 5. ad Galat. cap. 1. f. 290.

de libero arbitrio lib. 2. p. 220.

Ibidem p 24

Origenem Tertull & alios similes huic obiectioni occurrere, dum nil se dicturos præfantur, quod non communiter Ecclesia ab Apostolis edocta sentiant. Quid autem si huic præmio res non respondet? Imò cùm in præcipuis fidei capitibus post hanc præfationem eos multa errare constet, quis non est nullo discrimine, aut delectu habito, pro Ecclesiæ traditione suscipere, quicquid ipsi tradunt.

Mentitus Calu.

En audaciam hominis, en præfidente temeritatem, qui soli sibi sapientiam, soli censoriã in omnes virgulam arrogare audet. Nonne tibi *Nestoriũ* aliquem audire videris, *cuius hæc fuit scelerata præsumptio, quòd sacram scripturam se solum, & primum intelligere, & omnes alios ignorasse iactaret, qui ante se magisterii munere præditi diuina eloquia tractauissent, vniuersos scilicet sacerdotes, confessores & martyres: totam postremò etiam nunc errare & semper errasse Ecclesiam, & quæ ignaros doctores eo sudasse & sequuta esset, & adhuc sequeretur.*

Hæreticorũ superbia.
Irenæus lib. 5. cap 17.
Vincent. Lirinen. ca. 42.

Pari ac superbus hic spiritus Lutherum incessit, cum magno supercilio iactauit, *ex omnibus pa[...]ram lib. is tantum contrahi nõ posse, quantum per Dei gratiam hoc auo paruus Catechismus docat. Neque vnquã Biblia tã dextrè, intelligenter, securè & sine offendiculo legi posse, quã ipse VVittebergæ sua vernacula translatione præparauit.* Sed stultitia horũ hominum palã est omnibus. Quid in falsis, cũ ne veras quidẽ laudes suas prædicare quenquã modestia sinat? *Laudet te alienus, non os tuũ: extraneus, et nõ labia tua.* Menãder:

In conuiuia-lib. [...]f. 144 a
Ibidem f. 1.
Prouer. 27.

Πατέρ σεαυτῷ μὴ φράσῃς ἐγκώμια·
Φίλων ἐπαινον μᾶλλον ἢ σαυτῷ λέγε.

Sed ad propositum. Iuniores cùm hanc quæstionẽ agitari vident, nequaquã putent hoc quæri, verũ sacrosancta debeat esse scripturarum authoritas, quod nullus vnquã Christianorũ dubitauit, sed verũ melius sacra Dei eloquia interpretentur. Illinc homines recẽs de spuma bilis nati, sine teste docti, sancti, acuti, reclamãtes Patribus, Conciliis, Episcopis, Pontificibus, totãq; sapientiæ possessionẽ sibi solis vindi-

Verus de scriptura status.

vindicantes: An verò nos, nō illotis in Dei sacraria manibus irruentes, priuatoq; placito scripturæ sensum effingentes, sed de præcepto Domini, de cōsuetudine Sanctorū, atq; omnium seculorū vsu interpretem adhibentes Ecclesiā, quæ supernè regitur, & tot seculis recta est: quæ supernè loquitur & tot seculis locuta est, quæq; morū sanctimoniā, doctrinæ præstantiā, inuictā aduersus Acherōtis portas fortitudine decorata est à spiritu Iehouæ, quē illi parastatē Dominus promisit. Sed videlicet nemo ita inconsideratæ mentis est, qui ignoret τὸ πρεσβύτερον τιμιότερον. *In antiquis enim est sapientia*: qui secundum Platonē propiores fuerūt progeniei Deorum. Vnde illud Sapientis Græci, πείθεσθαι δεῖ χρὴ παλαιοῖς τε καὶ ἱεροῖς λόγοις. *Antiquiora digniora.* *Iobi 12.12.*

ANNOTAT. IN CAP. XXI.

Matricibus et Originalibus fidei] Matrix Ecclesia, cui subsunt aliæ, velut ab ea genitæ & edoctæ: Græcè μητρόπολεις. Hic dicuntur matrices fidei, vnde fides Christi primùm venit ad nos: & originales fidei, à quibus diffusa per orbē fides originē sumpsit. I. P. *Matrix.*

Quod Ecclesia ab Apostolis] Eadem verborum forma infra cap. 37. Annotāda vtrobiq; vera traditionū origo ab Apostolis & proinde à Christo & Deo. Et quæ tales sint significat ca. 32. quæ ab iis Ecclesiis obseruantur, quæ ordinem suorū Episcoporum, & cætera. Et hoc est quod subiūgit: Quod nulla doctrina, ab iis nempe diuersa: iis, Apostolicis scilicet. I. P. *Traditio.*

CAPVT XXII.

Obiectio prima contra secundam præscriptionem, quòd vel Apostoli multa ignorarint, vel non omnia omnibus tradiderint, soluitur.

SEd quoniam tam expedita probatio est, vt si statim proferatur, nihil iā sit retractā-

dum, ac si prolata non sit à nobis, locum interim demus diuersæ parti, si quid putant ad infirmandam hanc prescriptionem mouere se posse. Solent dicere: *Non omnia Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse*; in vtroq; Christum reprehensioni subiicientes, qui aut minus instructos, aut parũ simplices Apostolos miserit. Quis enim
Ratio 1. Matth. 28. 19. integræ mentis, credere potest aliquid eos
Ratio 2. ignorasse, quos magistros Dominus dedit,
Matth. 13. 36. indiuiduos habitos in comitatu, in discipulatu, in conuictu, quibus obscura quæque
Ibidem v. 11 seorsim disserebat; *illis* dicens *datũ esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret?*
3. Latuit aliquid *Petrũ ædificandæ Ecclesiæ pe-*
Matth. 16. 18. 19. *tram* dictũ, claues regni cœlorum consecu-
Iohan. 21. 15. 16. tũ, & soluendi & alligandi in cœlis & in terris potestatem? Latuit & Iohannem aliquid
4. dilectissimum Domino, *pectori eius incuban-*
Iohan. 13. 23 *tem*; cui soli Dominus Iudam traditorem
Ioan. 19. 26. præmonstrauit; quem loco suo *filiũ Mariæ*
5. demãdauit? Quid eos ignorasse voluit, qui-
Matth. 17. 1. 2. bus etiam gloriam suã exhibuit, & Moysen, & Heliam, & insuper de cœlo patris vocẽ? non quasi cæteros reprobans, sed quoniam
Deut. 19. 15. *in tribus testibus stabit omne verbum*. Ignora-
6. uerunt itaq; & illi, quibus post resurrectio-
Luc. 24. 27. nem quoq; in itinere *omnes scripturas edisse-*
7. *rere* dignatus est. Dixerat planè aliquando:
Ioan. 16. 12. 13. *multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modò ea sustinere*: tamen adiiciens: *cùm venerit ille spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem*: ostendit illos nihil ignorasse,

raſſe, quos omnem veritatem conſecuturos per ſpiritum veritatis repromiſerat; & vtique impleuit repromiſſum probantibus actis Apoſtolorum deſcenſum ſpiritus ſancti, quam ſcripturam, qui nō recipiunt, nec ſpiritum ſanctū poſſunt agnoſcere diſcentibus miſſum; ſed nec Eccleſiam ſe dicant defendere, qui quando, & quibus incunabulis inſtitutum eſt hoc corpus, probare nō habent. Tanti enim eſt illis nō habere probationes eorū quæ defendūt, ne pariter admittantur traductiones eorum quæ mentiuntur. *Act. 2. 2. 3.*

ANALYSIS CAP. XXII.

Contra ſecundam præſcriptionem tres obiectiones adferebant hæretici, quas ordine deinceps cum ſuis inſtantiis ſoluit. 1. eſt exceptio ignorantiæ, vel imparis diſpenſationis, quam ſeptē rationibus hoc capite refellit. Nā primò Chriſtus dedit Apoſtolos orbi magiſtros E. ſufficienter fuerūt inſtructi. 2. Apoſtoli fuerunt indiuidui Chriſti comites. E. nihil eos fugit. 3. Petrus Eccleſiæ ædificandę Petra dictus eſt. E. nihil ipſi ad munus ſuum neceſſarium defuit. 4. Iohannes Chriſto dilectiſſimus fuit. E. eum nihil celauit Dominus. 5. diſcipulis mōſtrauit gloriam. E. non celauit veritatem. 6. Ab reſurrectione explicauit illis omnes ſcripturas. 7. Ab aſcenſione acceperunt iidem ſpiritum ſanctum, dictatorem omnis veritatis. E. nihil potuit fugere eorum intelligentiam. Atq; hic ſimul per occaſionem confirmat authoritatem libri Actorū Apoſtolicorum, cui Montanus & Manichæi detrahebant. *Apoſtolos nihil ignoraſſe.*

ANNOTAT. IN CAP. XXII.

Non omnia Apoſtolos ſciſſe] De patribus hoc ipſum noſtri temporis hæretici affirmant, *multa eos neceſ-*

sario ignoraße. Hyper. in methodo. p. 21. *In multis insigniter erraße.* VVittack. contra Sanderum de Antichristo ad demonstrat. 7. De Apostolis quod sciam nemo disertè asseuerauit. Quin potius Catholicis id per calumniam affingere conatur Kimedon. de verbo Dei 746. Quo iure ipse viderit. Sed tamen haud absimilia vel etiam grauiora apud istos sunt ista. *Non habuisse Apostolos plenariā potestatem.* Bulling in Decadib. Germanicis p. 330. 331. *Non debuisse eos quicquid collibitum fuerit, garrire, sed mandata eius à quo missi fuerant bona fide perferre.* Quasi leuiter aliquid extra officium garrire potuerint. Caluin. 4. institut. cap. 8. §. 4. *Petrum Apostolorum præcipuum, & Barnabam etiam post acceptum Spiritum sanctum, vna cum Ecclesia Hierosolymitana erraße.* Brent. in Apologia confes. VVirteber. cap. de Conciliis p. 900. *Iacobum quisquis tandem fuerit, Veritati solius fidei cum Papistis præiudicare non posse.* Muscul. in locis comm. de iustificat. num. 5. *Nec si maximè Hierosolymitanis alteram tantum speciem dederit, quicquam id nos obligare. Verbum Dei esse clarum & apertū, comedite & bibite. Hoc præferendum esse omnibus Iacobis, omnibusq; Verbis Ecclesia, non secus quàm Deus præfertur Ecclesia* Fricius apud Modrenium libr. 2. de Ecclesi. cap. 2. Quæ omnia tam crassa & impia si verbose refutare instituam, nimium diffidere lectorum prudentiæ videar. L. C.

Hæretici detrahunt Apostolis.

Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram] Itidem hunc locum interpretatur auctor lib. 4. adu. Marc. & lib. de Monogam. & Pudic. & Scorp. aduers. Gnost. I. P.

Vide plura infra ad Cyprian.

Acta Apostol.

Quam scripturam qui non recipiunt] Manichæi Acta Apostolorū, nec Montanus recipiebat, quòd se paracletum vel in Manen primum venisse non in Apostolos, vti in actis legimus, assererent. Vide August. cap. 3. de vtilitate credendi. Corpus autem pro collegio seu congregatione accipitur. I. P.

Traductio.

Traductiones eorum quæ mentiuntur] Traductiones opponit probationibus. Sunt autem deprauationes scripturarū, infamationi non absimiles. I. P.

CAPVT XXIII.

Soluitur instantia, quòd Petri per Paulum reprehensio non prædicationis fuerit, sed conuersationis.

PRoponunt ergò ad suggillandam ignorantiam aliquam Apostolorum; quòd *Petrus & qui cum eo erant, reprehensi sint à Paulo.* Adeò inquiunt, aliquid eis defuit, vt ex hoc etiam illud struant, potuisse posteà pleniorem scientiā superuenire, qualis obuenerit Paulo reprehendenti antecessores. Possumus & hîc Acta Apostolorum repudiantibus dicere: Prius est vti ostendatis: quis ille Paulus, & quid ante Apostolū, & quomodo Apostolus: quatenus & alias ad quæstiones plurimū eo vtuntur. *Neq; enim si ipse se Apostolum de persecutore profitetur, sufficit vnicuiq; examinatè credenti*; quando nec Dominus ipse de se testimonium dixerit. Sed credant sine scripturis, vt credant aduersus scripturas: tamen doceant ex eo, quòd allegant Petrum à Paulo reprehensum, aliam Euangelii formam à Paulo superinductam, citra eam quam præmiserat Petrus & cæteri. At quin demutatus in prędicatorē de persequutore deducitur ad fratres à fratribus, vt vnus ex fratribus, & ad illos ab illis qui ab Apostolis fidem induerant. Dehinc, sicut ipse enarrat, *ascendit Hierosolymam cognoscendi Petri causa*, ex officio & iure scilicet eiusdem

Gal. 2. 11.
Act. 9. 17.
Gal. 1. & 11.
Ioan. 5. 31.
Act. 9. 27. 6.
Gal. 1. 1.

Act. 9. 21. fidei & prædicationis. Nam & illi non eſſent *admirati* de perſecutore factum prædicatorem, ſi aliquid contrarium prædicaret; nec *Dominum* præterea *magnificaſſent*, *Act. 21. 20.* quia aduerſarius eius Paulus obuenerat. *Gal. 2. 9.* Itaque & *dexteram ei dederunt* ſignum concordiæ & conuenientiæ: & inter ſe diſtributionem officii ordinauerunt, non ſeparationem Euangelii: nec vt aliud alter, ſed vt aliis alter prædicaret, Petrus in circumciſionem, Paulus in Nationes. Cæterum ſi reprehenſus eſt Petrus, quòd cùm cõuixiſſet ethnicis, poſtea ſe à conuictu eorum ſeparabat perſonarum reſpectu; *vtiq; conuerſationis fuit vitium, non prædicationis.* Non enim ex hoc alius Deus quàm creator, & alius Chriſtus, quàm ex Maria, & alia ſpes quàm reſurrectio annunciabatur.

ANALYSIS CAP. XXIII.

Petri lapſus contra Eccleſiam telum.

Tertul. lib. 4 aduerſus Marcion. Cyrill. lib. 9 in Iulianu. Magd. Cent. 1 lib 2. cap 10 colu. 558. 559. 560. Dan tom 1. reſpoſ. 240 3, 1. Rainol. de Idololat. 1. 4. 3. & ſequent.

Ignorantiam Apoſtolorum aſtructuri hæretici abutebantur exemplo S. Petri, à Paulo reprehenſi, propterea quod non recto pede ad veritatem Euangelii incederet. Quem caſum omnes ſemper hoſtes grauiſſimè exaggerare, & magni probri loco Eccleſiæ obiicere ſoliti ſunt: Quemadmodum de Marcione Tertull. & Iuliano Cyrillus teſtatur. hodie *Magdeburgenſes* ad infirmandum S. Petri primatum, in quem capitale odium ſuſceperunt, quindecim eius peccata commenti, hunc quoq; lapſum in eo numero ponunt: iiſque præter multos libenter *Danæus* & *Rainoldus* aſtipulantur. Sed quid de toto negotio ſentiendum, quidque olim S. Patres Græci & Latini ſenſerint, præclarè ab Illuſtriſſimo Bellar-

Bellarmino nostro explicatū est lib. 1. de Rom. Pontifice cap. 28. Et à Baronio Tom. 1. Annal. Anno Christi, 51. p. 432. Quorum verba quia prolixa sunt, hic consultò omittimus: Interim lectorem rogantes obnixè, ne memoratorum authorum loca inspicere grauetur.

Nos ad Tertull. redeamus, qui propositæ obiectioni triplicem solutionem opponit. 1. βίαιον. si Apocrypuhs est liber Actorum, quemadmodum Manichæi & Montanistæ sentiunt, quomodo nobis Pauli authoritatem, qua tota hæc ratio suffulta est, astruent? 2. negationem consequentiæ. Illa reprehensio nullam ignorantiam vel Euangelii diuersitatem arguit: Quia alioqui Paulus sic non fuisset deductus ad fratres à fratribus, nec accepisset dextram societatis &c. 3. Si vehementissimè vrgent, conuersationis tantum vitium fuit nō prædicationis. At nihil hoc perfectioni Apostolorum derogat: Quia aliud est fide scientiaque instructum esse, aliud morum interdum infirmitate labi. *Neq; enim est homo in terra qui non peccet.* *Responsio Tertull. triplex.*

ANNOTAT. IN CAP. XXIII.

Quatenus & alias ad quæstiones] Alludit ad eos hæreticos, de quibus 2. Petri 3. qui Pauli epistolas deprauant ad suam ipsorum perditionem. Etiam Marcionitæ potissimum vtebantur Pauli testimonio. I. P.

Examinatè credenti] de eo interpretabimur, qui nihil credere vult, nisi prius examinatum exactius. Deinde illud: Doceant, accipit ac si dicat, docere non possunt. I. P. *Examinatè credere.*

Non enim ex hoc alius Deus] De duobus prioribus membris contra Marcionitas agit lib. 1. 2. & 3. de posteriore lib. de carne Christi, & de Resurrectione carnis. I. P.

CAPVT XXIV.

Quòd pro temporibus & causis quedã reprehenderit Paulus, non quòd esset instructior.

NOn mihi tam benè est, immò non mihi tam malè est, vt Apostolos committam. Sed quoniam peruersissimi isti, illam reprehensioné ad hoc obtendunt. vt suspectã faciant doctrinã superioré, respondebo quasi pro Petro: ipsum Paulum dixisse, *factũ se omnibus esse omnia, Iudæis Iudæum, nõ Iudæis non Iudæum, vt omnes lucrificaret.* Adeò pro temporibus & personis & causis quædam reprehendebant, in quæ & ipsi æquè pro temporibus & personis & causis committebant: quemadmodum si & Petrus reprehenderet Paulum, quòd *prohibens circumcisionem, circumciderit ipse Timotheum.* Viderint qui de Apostolis iudicant. Benè quod Petrus Paulo & in martyrio adæquatur. Sed *etsi in tertium vsq; cœlum ereptus Paulus & in Paradisum delatus audiit quædam illic*, non possunt videri ea fuisse, quæ illum in aliam doctrinam instructiorem præstarent, cùm ita fuerit conditio eorum, vt nulli hominũ proderentur. Quod si ad alicuius conscientiam manauit, nescio quid illud, & hoc se aliqua hæresis sequi affirmat, aut Paulus secreti proditi reus est, aut & alius postea in Paradisum ereptus debet

1. Cor 9. 20 21.
Actor 15. 3.
Gal. 6. 15.
Gal 5. 3.
2. Cor. 12. 2.

debet oſtendi, cui permiſſum ſit eloqui, quæ Paulo mutire non licuit.

ANALYSIS CAP. XXIV.

Perſtat in ſoluenda eadem inſtantia: ac præoccupans de non committendis Apoſtolis duas alias reſponſiones quaſi pro S. Petro ſubnectit, vtramq; â pari. 1. enim ipſe Paulus obſeruantiam veterem coluit, cùm factus eſt omnia omnibus, Timotheum in gratiam Iudæorũ circumcidit. E. eodem iure Petrus reprehendere Paulum potuiſſet. 2. Petrus Paulo Martyrio adæquatus eſt; Eadem videlicet die Romæ, quo Nero hunc capite, illum crucis patibulo condemnauit. Euſeb. lib. 2. hiſtoriæ cap. 25. vt valdè impudentes ſint hæretici, qui non ſolum *Petri & Pauli mortem incertam eſſe garriunt* Danæus Tom. 1. reſponſ. p. 206. *Verumetiam Petrum vnquam fuiſſe Romæ vel negant, vel dubitant.* Caluinus 4. inſtit. cap. 6. §. 14. & Comment. in Epiſto. p. 50. 26. Martyr. in locis 776. 797. Danæus tom. 1. reſponſ. 254. 288. *Petrus & Paulus eadem die Martyres Romæ. Vide Bellar. lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 3.*

Exceptio. Atqui Paulus in tertium cœlum euectus, audiuit verba ineffabilia, quod de S. Petro non legitur. Reſp. Audita illa non ad fidem ſpectant noſtram, ſed ad conditionem futuræ gloriæ. Ideò neq; vlli vnquàm homini reuelata ſunt. Quod ſi quis ſuperbior eorũ ſibi ſcientiã vendicat, aut Paulum proditorem facit arcani, aut ipſe alium in Paradiſum ereptum debet oſtendere, cui permiſſum ſit eloqui, quod Paulo mutire non licuit. *2. ad Cor. 12.*

ANNOT. IN CAP. XXIV.

Vt Apoſtolos committam] committuntur gladiatores in arena depugnaturi. Alia ſignificatione eſt delinquere vel admittere, vt mox. in quæ & ipſi cõmittebant. I. P. *Committere.*

Petrus Paulo & in martyrio adæquatur] Ac ſi diceret: Etiãſi Petrus & Paulus ſciẽtia diſpares fuiſſent, in omniũ tamen rerũ maxima, hoc eſt, in martyrio pro Chriſto pares fuerunt. I. P.

Quod

Quod si ad alicuius conscientiam] Adeò non defuerunt hæretici, qui illa Pauli arcana verba se cognouisse iactarent. De quibus dist. 15. Sancta Romana. August. tractat. 98. in Iohannem. & de Cons. Euang. 1. cap. 7. Epiphan. lib. 1. Panarii. Chrysost. & alii 2. Corinth. 12. I. P.

CAPVT XXV.

Obiectio secunda contra secundam præscriptionem, quòd aliud docuerint Apostoli occultè, quàm in publico, soluitur.

SEd vt diximus, eadé dementia est, cùm confitentur quidem nihil Apostolos ignorasse, nec diuersa inter se prædicasse, sed *non omnia volunt illos omnibus reuelasse:* quædam enim palàm & vniuersis: quædã secretò & paucis demandasse: quia & hoc verbo vsus est Paulus ad Timotheum: *O Timothee, depositum custodi:* Et rursum: *Bonum depositum custodi.* Quod hoc depositum est, tam tacitum, vt alterius doctrinæ deputetur? an illius denuntiationis, de qua ait? *Hanc denunciationem commendo apud te filiole Timothee.* Item illius præcepti, de quo ait: *denuntio tibi ante Deum, qui viuificat omnia, & Iesum Christum qui testificatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt custodias præceptum.* Quod autem præceptum, quæ denuntiatio, ex supra & infra scriptis intelligetur; non nescio quid subostendi hoc dicto de remotiore doctrina

1. Tim. 6. 20
2. Tim. 1. 14
1. Tim. 1. 18
1. Tim. 6. 13.

doctrina, sed potius inculcari de non admittenda alia præter eam, quam audierat ab ipso: & puto *coram multis*, inquit, *testibus.* Quos multos testes si nolunt Ecclesiam intelligi nihili, ntereſt, quomodo nihil tacitum fuerit, quod sub multis testibus proferebatur. Sed nec quia monet illum *hæc fidelibus hominibus demandare, qui idonei sint & alios docere,* id quoque argumentum occulti alicuius Euangelii interpretandum est. Nam & cùm dicit *hæc*, de eis dicit, de quibus in præsenti scribebat: de occultis autem vt de absentibus apud conscientiam, non *hæc*, sed *illa* dixisset.

2. Tim.2.2

Ibidem.

ANALYSIS CAP. XXV.

Vel noua obiectio, vel instantia ad præcedentem responsionem. Esto sufficienter instructi fuerint Apostoli, nihil ignorarint, non tamen omnia palàm docuerunt, sed quædam secretiora plurimos celauerunt. Quemadmodum etiam Irenæus lib. 1. cap. 23. de Basilidianis: & cap. 24. de Carpocratianis scribit: *Iesum dicunt in mysterio discipulis suis & Apostolis seorsum locutum, & illis expostulasse, vt dignis & assentientibus seorsum hæc traderent.* Atque huc accommodabant illud Pauli: O Timothee depositum custodi. At *depositum est quod alicui custodiendum datum est:* Et quidem *ad vtilitatem dantis, sicut mutuum ad vtilitatem accipientis.*

1. ad Tim. 6. v. 20.

ff. depositi l. in princ.

B. Thomas secunda 2. q. 62. art. 6.

Respon. Depositum hoc loco non nouam aliquam secretamue annunciationem, sed integrum Euangelii prædicati thesaurum significat, quem aliâs Paulus *fidelem sermonem* vocat. Illudque ipsum depositum non clanculum, sed palàm & coram

2. Cor. 4 7

Tit. 3.

tam multis testibus acceperat Timotheus: quod custodire nunc iubetur, non abscondendo illud ab aliis, sed alia ab eo diuersa dogmata non admittendo. Atque hanc significationẽ depositi probat author alio Pauli testimonio: de quo in Annotat.

ANNOTAT. IN CAP. XXV.

Depositum. *Hanc denunciationem commendo*] Citat hāc scripturā auctor, vt ostendat depositū Apostolo nihil aliud esse, quam quod commendatur custodiendū, à Græco παρατίθεμαι, παρακαταθήκη: quam depositū vertit, vt noster interpres. Denunciationem autem & mox denuncio ad verbum ex Græco transtulit, quod habet παραγγελίαν & παραγγέλλω: pro quo noster interpres & ipse auctor post præceptum & præcipio. I. P.

CAPVT XXVI.

Altera responsio ad superiorem obiectionem: qua expressis testimoniis occultam prædicationem destruit.

PОrrò consequens erat, vt cui demandabat Euangelii administrationem, non passim nec inconsideratè administrandam adiiceret, secundū Dominicā vocē, *ne margaritā porcis & sanctū canibus iactaret.* Dominus palàm edixit, sine vlla significatione alicuius taciti Sacramenti, ipse præceperat: *Si quid in tenebris & in abscondito audissent in luce & in tectis prædicarent.* Ipse per similitudinem præfigurauerat: *ne vnam mnam,* id est vnum verbum eius *sine fructu in abdito reseruarent.* Ipse docebat *Lucernam nō sub modio abstrui solere, sed in candelabrum constitui,*

Matth. 7. 6.

Matth. 10. 27.

Luc. 19. 20.

Matth. 5. 14. 15.

constitui, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Hæc Apostoli aut neglexerunt, aut minimè intellexerunt, si non adimpleuerunt, abscondentes aliquid de lumine, id est de Dei verbo, & Christi Sacramento. *Neminem* quod scio *verebantur*, non Iudæorum vim, non ethnicorum: quo magis vtique in Ecclesia liberè prædicabant, qui in Synagogis & in locis publicis non tacebant: imò neque Iudæos conuertere, neque ethnicos inducere potuissent, nisi quod credi ab eis volebant, ordine exponerent. Multò magis iam credentibus Ecclesiis nihil subtraxissent, quod aliis paucis seorsum demandarent. Quanquam etsi quædam inter domesticos, vt ita dixerim, disserebant, non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superducerent, diuersam & contrariam illi, quam Catholicè in medium proferebant: vt alium Deum in Ecclesia dicerent, aliū in hospitio: & aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto: & aliā spem resurrectionis apud omnes annuntiarent, aliam apud paucos: cùm ipsi obsecrarent in Epistolis suis: *Vt idipsum & vnum loquerentur omnes, & non essent schismata & dissensiones in Ecclesia*, quia siue Paulus, siue alii, eadē prædicarent. Alioquin meminerant: *Sit sermo vester: est, est: non, non: quod amplius, hoc à malo est*, ne scilicet Euangelium in diuersitate tractarent.

Actor. 4. & seq.

1. Cor. 1. 10.

Matt. 5. 37.

ANAL.

ANALYSIS CAP. XXVI.

Persequitur institutam Phraseos Paulinæ interpretationem, docetque adeò non suspicandam de Apostolis occultã aliquã pdicationẽ, vt manifestissimis testimoniis & præceptã illis, & obseruatã diligentissimè publicã pmulgationẽ doceamur. Etsi enim Dominus Margaritas porcis & canibus obiici vetuit: alibi tamen spem facientibus fructus, palàm in tectis prędicari præcepit. Et Apostoli id ipsum magna religione sine vllius metu præstiterunt, neminem alioqui Iudæorum vel gentium ad fidem inducturi. Tandem si maximè priuatim in ædibus quædam occultiora disseruerunt: Non tamen illa aliam fidem superinduxerunt, cùm ipsi obsecrarent in Epistolis suis, vt omnes concordiam studiosè colerent. Atque id ipsum sibi responsum habeant nostri hodie hæretici: qui Catholicæ exprobrare solent, quod non omnia vbiuis mystèria diuulget, sed *sapientiam loquatur inter perfectos &c.* Neque enim illa sunt alterius Euangelii, aut à luce aliena: sed non omnibus necessaria, neque etiam quorumvis ingeniis apta.

1. Cor. 2. 6. Bell. lib. 4. de Verbo Dei non scripto. cap. 12.

ANNOT. IN CAP. XXVI.

Mna. *Ne vnam mnam*] Mna siue mina valuit decem coronatos, auctore Budæo. Videtur autem Lucas qui μνᾶν legit, & Matthæus, qui talentum, non pro certo aliquo genere nummorum intellexisse, sed in genere. alioquin talentũ valet 60. mnas. I. P.

Catholica. *Quam Catholice in medium proferebant*] Nomen Catholicæ prima Ecclesiæ nota, de cuius Etymologia pulchre Vincentius Lirinens. cap. 3. & 3°. & Optat lib. 2. cont. Parmen. & Pacian. epist. 1. ad Sempronianum. I. P.

Vt alium Deum] Rursum hic agit contra duos Deos, & duos Christos Marcionis & Sadducæos & eorum partiarios. I. P.

CAP.

CAPVT XXVII.

Tertia obiectio contra secundam præscriptionem, ab Ecclesiarum quarundam correptione.

SI ergò credibile est, vel ignorasse Apostolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidisse, videamus ne forte Apostoli quidem simpliciter & plenè, Ecclesiæ autem suo vitio aliter acceperint quàm Apostoli proferebant. Omnia ista scrupulositatis incitamenta inuenias prætendi ab hæreticis. Tenent correptas ab Apostolo Ecclesias, *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit?* & *tam bene currebatis, quis vos impediit?* Ipsúque principium: *Miror quod sic tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam, ad aliud Euangelium.* Item ad Corinthios scriptum, *quòd essent adhuc carnales qui lacte educarentur, nondum idonei ad pabulum*; qui *putarent se scire aliquid, quando nondum scirent, quemadmodum sciri oporteret.* Cùm correptas Ecclesias opponunt, credant emendatas. Sed & illas recognoscant, de quarum fide & scientia & conuersatione Apostolus gaudet, & Deo gratias agit: quæ tamen hodie cum illis correptis vnius institutionis iura commiscent.

Vtrum Ecclesiæ negligenter tradita acceperint. *Gal. 3. 1.* *Gal. 5. 7.* *Gal. 1. 6.* *1. Cor. 3. 2.* *1. Cor. 8. 2.* Responsio. *Rom. 1. 8.* *Rom. 15. 14.*

Act. 9. 21. fidei & prædicationis. Nam & illi non essent *admirati* de persecutore factum prædicatorem, si aliquid contrarium prædicaret; nec *Dominum* præterea *magnificassent*, *Act. 21. 20.* quia aduersarius eius Paulus obuenerat. *Gal. 2. 9.* Itaque & *dexteram ei dederunt* signum concordiæ & conuenientiæ: & inter se distributionem officii ordinauerunt, non separationem Euangelii: nec vt aliud alter, sed vt aliis alter prædicaret, Petrus in circumcisionem, Paulus in Nationes. Cæterum si reprehensus est Petrus, quòd cùm cõuixisset ethnicis, postea se à conuictu eorum separabat personarum respectu: *vtiq; conuersationis fuit vitium, non prædicationis.* Non enim ex hoc alius Deus quàm creator, & alius Christus, quàm ex Maria, & alia spes quàm resurrectio annunciabatur.

ANALYSIS CAP. XXIII.

Petri lapsus contra Ecclesiam telum. Ignorantiam Apostolorum astructuri hæretici abutebantur exemplo S. Petri, à Paulo reprehensi, propterea quod non recto pede ad veritatem Euangelii incederet. Quem casum omnes semper hostes grauissimè exaggerare, & magni probri loco Ecclesiæ obiicere soliti sunt: Quemadmodum de Marcione Tertull. & Iuliano Cyrillus testatur. hodie *Magdeburgenses* ad infirmandum S. Petri primatum, in quem capitale odium susceperunt, quindecim eius peccata commenti, hunc quoq; lapsum in eo numero ponunt: iisque præter multos libenter *Danæus* & *Rainoldus* astipulantur. Sed quid de toto negotio sentiendum, quidque olim S. Patres Græci & Latini senserint, præclarè ab Illustrissimo Bellar-

Tertul. lib. 4. aduersus Marcion. Cyrill. lib. 9 in Iulianu. Magd. Cent. 1 lib. 2. cap. 10. colu. 558. 559. 560. Dan. tom. 1. respos. 240 3, 1. Rainol. de Idololat. 1. 4. 3. & sequent.

Bellarmino nostro explicatū est lib.1.de Rom. Pontifice cap. 28. Et à Baronio Tom. 1. Annal. Anno Christi, 51. p. 432. Quorum verba quia prolixa sunt, hic consultò omittimus: Interim lectorem rogantes obnixè, ne memoratorum authorum loca inspicere grauetur.

Nos ad Tertull. redeamus, qui propositæ obiectioni triplicem solutionem opponit. I. βίαιον. si Apocrypuhs est liber Actorum, quemadmodum Manichæi & Montanistæ sentiunt, quomodo nobis Pauli authoritatem, qua tota hæc ratio suffulta est, astruent? 2. negationem consequentiæ. Illa reprehensio nullam ignorantiam vel Euangelii diuersitatem arguit: Quia alioqui Paulus sic non fuisset deductus ad fratres à fratribus, nec accepisset dextram societatis &c. 3. Si vehementissimè vrgent, conuersationis tantum vitium fuit nō prædicationis. At nihil hoc perfectioni Apostolorum derogat: Quia aliud est fide scientiaque instructum esse, aliud morum interdum infirmitate labi. *Neq; enim est homo in terra qui non peccet.* *Responsio Tertull. triplex.*

ANNOTAT. IN CAP. XXIII.

Quatenus & alias ad quæstiones] Alludit ad eos hæreticos, de quibus 2. Petri 3. qui Pauli epistolas deprauant ad suam ipsorum perditionem. Etiam Marcionitæ potissimum vtebantur Pauli testimonio. I. P.

Examinatè credenti] de eo interpretabimur, qui nihil credere vult, nisi prius examinatum exactius. Deinde illud: Doceant, accipit ac si dicat, docere non possunt. I. P. *Examinatè credere.*

Non enim ex hoc alius Deus] De duobus prioribus membris contra Marcionitas agit lib. 1. 2. & 3. de posteriore lib. de carne Christi, & de Resurrectione carnis. I. P.

CAPVT XXIV.

Quòd pro temporibus & causis quedā reprehenderit Paulus, non quòd esset instructior.

NOn mihi tam benè est, immò non mihi tam malè est, vt Apostolos committam. Sed quoniam peruersissimi isti, illam reprehensioné ad hoc obtendunt vt suspectā faciant doctrinā superioré, respondebo
1. Cor 9. 20 22. quasi pro Petro: ipsum Paulum dixisse, *factū se omnibus esse omnia, Iudæis Iudæum, nō Iudæis non Iudæum, vt omnes lucrificaret.* Adeò pro temporibus & personis & causis quædam reprehendebant, in quæ & ipsi æquè pro temporibus & personis & causis
Actor 15. 3. committebant: quemadmodum si & Pe-
Gal 6 15. trus reprehenderet Paulum, quòd *prohi-*
Gal 5. 3. *bens circumcisionem, circumciderit ipse Timotheum.* Viderint qui de Apostolis iudicant. Benè quod Petrus Paulo & in martyrio adæquatur. Sed *etsi in tertium vsq; cœlum erep-*
2. Cor. 12. 2. *ptus Paulus & in Paradisum delatus audiit quædam illic*, non possunt videri ea fuisse, quæ illum in aliam doctrinam instructiorem præstarent, cùm ita fuerit conditio eorum, vt nulli hominū proderentur. Quod si ad alicuius conscientiam manauit, nescio quid illud, & hoc se aliqua hæresis sequi affirmat, aut Paulus secreti proditi reus est, aut & alius postea in Paradisum ereptus debet

debet oſtendi, cui permiſſum ſit eloqui, quæ Paulo mutire non licuit.

ANALYSIS CAP. XXIV.

Perſtat in ſoluenda eadem inſtantia: ac præoccupans de non committendis Apoſtolis duas alias reſponſiones quaſi pro S. Petro ſubnectit, vtramq; â pari. 1. enim ipſe Paulus obſeruantiam veterem coluit, cùm factus eſt omnia omnibus, Timotheum in gratiam Iudæorũ circumcidit. E. eodem iure Petrus reprehendere Paulum potuiſſet. 2. Petrus Paulo Martyrio adæquatus eſt: Eadem videlicet die Romæ, quo Nero hunc capite, illum crucis patibulo condemnauit. Euſeb. lib. 2. hiſtoriæ cap. 25. vt valdè impudentes ſint hæretici, qui non ſolum *Petri & Pauli mortem incertam eſſe garriunt* Danæus Tom. 1. reſponſ. p. 206. *Verumetiam Petrum vnquam fuiſſe Romæ vel negant, vel dubitant.* Caluinus 4. inſtit. cap. 6. §. 14. & Comment. in Epiſto. p. 50. 26. Martyr. in locis 776. 797. Danæus tom. 1. reſponſ. 254. 288.

Petrus & Paulus eadem die Martyres Romæ. *Vide Bellar. lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 3.*

Exceptio. Atqui Paulus in tertium cœlum euectus, audiuit verba ineffabilia, quod de S. Petro non legitur. Reſp. Audita illa non ad fidem ſpectant noſtram, ſed ad conditionem futuræ gloriæ. Ideò neq; vlli vnquàm homini reuelata ſunt. Quod ſi quis ſuperbior eorũ ſibi ſcientiã vendicat, aut Paulum proditorem facit arcani, aut ipſe alium in Paradiſum ereptum debet oſtendere, cui permiſſum ſit eloqui, quod Paulo mutire non licuit.

2. ad Cor. 12.

ANNOT. IN CAP. XXIV.

Vt Apoſtolos committam] committuntur gladiatores in arena depugnaturi. Alia ſignificatione eſt delinquere vel admittere, vt mox. in quæ & ipſi cõmittebant. I. P.

Committere.

Petrus Paulo & in martyrio adæquatur] Ac ſi diceret: Etiãſi Petrus & Paulus ſciẽtia diſpares fuiſſent, in omniũ tamen rerũ maxima, hoc eſt, in martyrio pro Chriſto pares fuerunt. I. P. Quod

Quod si ad alicuius conscientiam] Adeò non defuerunt hæretici, qui illa Pauli arcana verba se cognouisse iactarent. De quibus dist. 15. Sancta Romana. August. tractat. 98. in Iohannem. & de Cons. Euang. 1. cap. 7. Epiphan. lib. 1. Panarii. Chrysost. & alii 2. Corinth. 12. I. P.

CAPVT XXV.

Obiectio secunda contra secundam præscriptionem, quòd aliud docuerint Apostoli occultè, quàm in publico, soluitur.

SEd vt diximus, eadē dementia est, cùm confitentur quidem nihil Apostolos ignorasse, nec diuersa inter se prædicasse, sed *non omnia volunt illos omnibus reuelasse:* quædam enim palàm & vniuersis: quædā secretò & paucis demandasse: quia & hoc verbo vsus est Paulus ad Timotheum: *O*
1. Tim. 6. 20 *Timothee, depositum custodi:* Et rursum: *Bo-*
2. Tim. 1. 14 *num depositum custodi.* Quod hoc depositum est, tam tacitum, vt alterius doctrinæ deputetur? an illius denuntiationis, de
1. Tim. 1. 18 qua ait? *Hanc denunciationem commendo*
1. Tim. 6. 13. *apud te filiole Timothee.* Item illius præcepti, de quo ait: *denuntio tibi ante Deum, qui viuificat omnia, & Iesum Christum qui testificatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt custodias præceptum.* Quod autem præceptum, quæ denuntiatio, ex supra & infra scriptis intelligetur; non nescio quid subostendi hoc dicto de remotiore doctrina

doctrina, sed potius inculcari de non admittenda alia præter eam, quam audierat ab ipso: & puto *coram multis*, inquit, *testibus*. *2. Tim. 2. 2* Quos multos testes si nolunt Ecclesiam intelligi nihili, ntereſt, quomodo nihil tacitum fuerit, quod sub multis testibus proferebatur. Sed nec quia monet illum *hæc fidelibus hominibus demandare, qui idonei sint & alios docere*, *Ibidem.* id quoque argumentum occulti alicuius Euangelii interpretandum est. Nam & cùm dicit *hæc*, de eis dicit, de quibus in præsenti scribebat: de occultis autem vt de absentibus apud conscientiam, non *hæc*, sed *illa* dixisset.

ANALYSIS CAP. XXV.

Vel noua obiectio, vel instantia ad præcedentem responsionem. Esto sufficienter instructi fuerint Apostoli, nihil ignorarint, non tamen omnia palàm docuerunt. sed quædam secretiora plurimos celauerunt. Quemadmodum etiam Irenæus lib. 1. cap. 23. de Basilidianis: & cap. 24. de Carpocratianis scribit: *Iesum dicunt in mysterio discipulis suis & Apostolis seorsum locutum, & illis expostulasse, vt dignis & assentientibus seorsum hæc traderent.* *1. ad Tim. 6. v. 20.* Atque huc accommodabant illud Pauli: O Timothee depositum custodi. At *depositum est quod alicui custodiendum datum est:* *ff. depositi l. in princ.* Et quidem *ad vtilitatem dantis; sicut mutuum ad vtilitatem accipientis.* *B. Thomas secunda 2. q. 62. art. 6.*

Respon. Depositum hoc loco non nouam aliquam secretamue annunciationem, sed integrum Euangelii prædicati thesaurum significat, quem aliâs Paulus *fidelem sermonem* vocat. *2. Cor. 4 7* *Tit. 3.* Illudque ipsum depositum non clanculum, sed palàm & co-

ram

tam multis testibus acceperat Timotheus: quod custodire nunc iubetur, non abscondendo illud ab aliis, sed alia ab eo diuersa dogmata non admittendo. Atque hanc significationẽ depositi probat author alio Pauli testimonio: de quo in Annotat.

ANNOTAT. IN CAP. XXV.

Depositum. *Hanc denunciationem commendo*] Citat hãc scripturã auctor, vt ostendat depositũ Apostolo nihil aliud esse, quam quod commendatur custodiendũ, à Græco παρατίθεμαι, παρακαταθήκη: quam depositũ vertit, vt noster interpres. Denunciationem autem & mox denuncio ad verbum ex Græco transtulit, quod habet παραγγελίαν & παραγγέλλω: pro quo noster interpres & ipse auctor post præceptum & præcipio. I. P.

CAPVT XXVI.

Altera responsio ad superiorem obiectionem: qua expressis testimoniis occultam prædicationem destruit.

POrrò consequens erat, vt cui demandabat Euangelii administrationem, non passim nec inconsideratè administrandam adiiceret, secundũ Dominicã vocẽ, *ne margaritã porcis & sanctũ canibus iactaret.* Dominus palàm edixit, sine vlla significatione alicuius taciti Sacramenti, ipse præceperat: *Si quidin tenebris & in abscondito audissent in luce & in tectis prædicarent.* Ipse per similitudinem præfigurauerat: *ne vnam mnam*, id est vnum verbum eius *sine fructu in abstruso reseruarent.* Ipse docebat *Lucernam nõ sub modio abstrui solere, sed in candelabrum constitui,*

Matth. 7. 6. / Matth. 10. 27. / Luc. 19. 20. / Matth. 5. 14. 15.

constitui, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Hæc Apostoli aut neglexerunt, aut minimè intellexerunt, si non adimpleuerunt, abscondentes aliquid de lumine, id est de Dei verbo, & Christi Sacramento. *Neminem* quod scio *verebantur*, non Iudæorum vim, non ethnicorum: quo magis vtique in Ecclesia liberè prædicabant, qui in Synagogis & in locis publicis non tacebant: imò neque Iudæos conuertere, neque ethnicos inducere potuissent, nisi quod credi ab eis volebant, ordine exponerent. Multò magis iam credentibus Ecclesiis nihil subtraxissent, quod aliis paucis seorsum demandarent. Quanquam etsi quædam inter domesticos, vt ita dixerim, disserebant, non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superducerent, diuersam & contrariam illi, quam Catholicè in medium proferebant: vt alium Deum in Ecclesia dicerent, aliũ in hospitio: & aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto: & aliã spem resurrectionis apud omnes annuntiarent, aliam apud paucos: cùm ipsi obsecrarent in Epistolis suis: *Vt idipsum & vnum loquerentur omnes, & non essent schismata & dissensiones in Ecclesia*, quia siue Paulus, siue alii, eadẽ prædicarent. Alioquin meminerant: *Sit sermo vester: est, est: non, non: quod amplius, hoc à malo est*, ne scilicet Euangelium in diuersitate tractarent.

Actor. 4. & seq.

1. Cor. 1. 10.

Matt. 5. 37.

CAPVT XXVII.

Tertia obiectio contra ſecundam præſcriptionem, ab Eccleſiarum quarundam correptione.

SI ergò credibile eſt, vel ignoraſſe Apoſtolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidiſſe, videamus ne forte Apoſtoli quidem ſimpliciter & plenè, Eccleſiæ autem ſuo vitio aliter acceperint quàm Apoſtoli proferebant. *Vtrum Eccleſiæ negligenter tradita acceperint.* Omnia iſta ſcrupuloſitatis incitamenta inuenias prætendi ab hæreticis. Tenent correptas ab Apoſtolo Eccleſias, *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit?* & *tam benè currebatis, quis vos impediit?* *Gal. 3. 1.* *Gal. 5. 7.* Ipſiúque principium: *Miror quod ſic tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam, ad aliud Euangelium.* *Gal. 1. 6.* Item ad Corinthios ſcriptum, *quòd eſſent adhuc carnales qui lacte educarentur, nondum idonei ad pabulum*; *1. Cor. 3. 2.* *1. Cor. 8. 2.* qui *putarent ſe ſcire aliquid, quando nondum ſcirent, quemadmodum ſciri oporteret.* *Reſponſio.* Cùm correptas Eccleſias opponunt, credant emendatas. Sed & illas recognoſcant, de quarum fide & ſcientia & conuerſatione Apoſtolus gaudet, & Deo gratias agit: quæ tamen hodie cum illis correptis vnius inſtitutionis iura commiſcent. *Rom. 1. 8.* *Rom. 15. 14.*

ANAL. CAP. XXVII.

Tertia obiectio contra secundam præscriptionē, culpā imperfectionis Ecclesiis ascribens. Si maxime Apostoli omnia sciuerunt, omnia tradiderunt: tamen forte Ecclesiæ ignauiter tradita acceperunt, vel custodierunt: Præsertim cùm legamus sæpè correptas Ecclesias &c. Quæ ipsissima fuit olim Donatistarum & hodiè nostrorum Pseudoprophetarū calumnia, qui *senio & vetustate languisse Ecclesias, multosq; errores admisisse* blasphemant. Sed commode Tertullianus: Si inquit, correptas legunt Ecclesias, etiam credant correctas. 2. Non omnes correptæ, sed multæ laudatæ sunt, veluti Romana scientiæ, & Philippensis atque Ephesina fidei & dilectionis nomine. 3 Laudatæ cum correptis eandem adhuc fidem tenent, quod magnum synceritatis argumentum est. Variasse enim debuerat error doctrinæ Ecclesiarum: quemadmodum sequenti capite concludit.

Messaus de Ecclesia.

ANNOTAT. IN CAP. XXVII.

Tam benè currebatis] Etiam hoc nouum est, pro καλῶσ. Omisit autem vocem Christo quæ Græcè & latinè est, Galat. 1. rursum Pabulum à lacte distinguit, 1. Corinth. 3. pro eo, quod noster interpres: escam aut cibum, vt etiam Cyprianus. I. P.

CAPVT XXVIII.

Tertia præscriptio ab vnanimi diuersarum Ecclesiarum consensu.

Permissio Ironica. *Ephes. 1. 15.*

AGè nunc omnes errauerint; deceptus sit Apostolus de testimonio reddendo quibusdā: nullā respexerit Spiritus sanctus,

vti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de patre, vt esset doctor veritatis: neglexerit officium *Dei villicus*, *Christi vicarius*, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm ipse per Apostolos prædicabat. Ecquid verisimile est, vt tot ac tantæ in vnam fidem errauerint? Nullus inter multos euentus est vnus exitus: *Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum.* Audeat ergo aliquis dicere illos errasse qui tradiderunt.

Philip. 1. 1. 6. 9. 27. 2.
Ioan. 14. 16
Ioan. 16. 13.
Villicus Dei Christi vicarius.

ANALYSIS CAP. XXVIII.

Occasione præcedentis capitis, vbi de consensione correptarum & laudatarum Ecclesiarum dixerat, proponit hoc capite tertiam præscriptionem, atque per Ironicam concessionem sic argumentatur. *Doctrina in quam omnes vniuersi orbis Ecclesiæ consentiunt, vera est ac diuina.* Nam vt vulgò dicitur, verum vero consonat, mendacium autem à seipso & à veritate dissentit. *Atqui in nostram doctrinam Catholicam omnes Christiani orbis Ecclesiæ consentiunt. E. de ea dubitandi nullus locus super est.* Notentur in concessione duo illustria synceritatis Catholicæ argumenta, ab officio videlicet duorum perpetuorum Ecclesiæ moderatorum, Spiritus sancti, & Pontificis maximi, quem eleganter Dei villicum & Christi vicarium nuncupat, de quibus aliâs opportunior erit dicendi locus.

Consensus variarum Ecclesiarū, signum veritatis.

Interim præsens ratiocinatio ita affecta est, vt nostri interdum eam admittant hæretici, interdum

Hæretici de consensu varie loquuntur.

interdum negent. Cùm enim casu sententiolam vnam atque alteram inter suos concordem inueniunt, clamant, *Ecclesiam veram in Dei veritate cõsentire.* Beza Volum. 3. 191.

Cùm verò intestinis dissidiis probrosè vrgentur, *vtiliter illis obnoxiam Ecclesiam scribunt*, Beza ibidem 188. *nec ex numero conuenientium eam æstimãdam.* Hyp. in methodo 689. *Discrepantes enim doctorum opiniones sæpè sine fidei periculo accidere.* Foxus in 11. cap. Apocalyps. p. 287. Quod etsi in hoc casu verum est, libenterque fatemur etiam in Catholica *viros bonos non per omnia imbecillitatem humani iudicii consentire permittere, eosq; se patienter tolerare*, quemadmodum Beza scribit Volum. 3. p. 262. Tamen neque illi tam audacter effutire debebant, *consensum Episcopi & gregis non esse semper veræ Ecclesiæ notam.* Beza ibidem p. 132. l. 40. *Item dissidia Ecclesiam non tollere*, Martyr. in locis Commun. 742. Neque suas etiam dissensiones ad schismata & anathematismos producere: quod in omnium oculis est. Non enim regna tantum aut prouinciæ, sed vrbes etiam atque compita doctorum istorũ deliria variant. At in Catholica (Græcorum pauculis erroribus demptis) Idem sonat oriens & occidens, aquilo & meridies: vt meritò exclamem cum Augustino, *tenet me in Catholica consensio populorum atq; Gentium: Quale apud vos nihil est, sola personat veritatis pollicitatio &c.*

Vide infra cap. 42.

Contra Epist. fundam. cap. 4

CAPVT XXIX.

Quarta præscriptio, ab hæreseon posteritate.

Irenia. QVoquo modo sit erratum: tam diu vtique regnauit error, quam diu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas & Valentinianos liberanda veritas expectabat: *Interea*

terea perperam Euangelizabatur, perperam credebatur, tot milia milium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperã operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata. Aut si nec perperam nec in vacuum, quale est vt ante res Dei currerent, quàm cuius Dei notum esset? antè Christiani, quàm Christus inuentus? ante hæreses, quàm vera doctrina? Sed enim *in omnibus veritas imaginem antecedit; Postremò similitudo succedit.* Cæterum satis ineptum, vt prior in doctrina hæresis habeatur; vel quoniam ipsa est, quæ futuras hæreses & cauendas prænuntiauit. Ad eius doctrinæ Ecclesiam scriptum est, immò ipsa doctrina ad Ecclesiam suam scribit: *Etsi Angelus de cœlo aliter euangelizauerit citra quàm nos, anathema sit.* *Matth. 24. 24.* *Gal. 1. 8.*

ANNAL. CAP. XXIX.

Quartam præscriptionem duplici argumento vrget Tertull. 1. si nondum natis hæreticis tota Ecclesia in errore hæsit, sequitur interea temporis omnia frustra fuisse, prædicationem, fidem, Sacramenta, miracula, martyria, virtutes &c. Atqui hoc ab omni ratione alienum, & Christi erga sponsam suam amore indignum est. Qui vt vigilem nostri curam habiturus iudicaretur, nomina nostra vnguibus suis incisurum se promisit. E. Neque illud verò consentaneum. Quod argumentum si altero currente seculo rectè nouatoribus opposuit Tertullianus: quanto magis nos hodie 16. integris ela- *Quarta præscript. prior ratio.*

plis seculis Lutheranis & Caluinistis opponere possumus? Quāta.n. putas strages Christianarū animarū orco deuouēda erit, si istos liberatores Ecclesia expectabat? *Oppressa*, vt aiunt, *in Papatu*: Martyr in locis Com. 807. *& in abdita loca detrusa*. Ibidē 806. Quænā verò istæ sunt latebræ? qui pastores? qui fideles? quæ Sacramēta? quæ doctrina? nominentur singula. si enim sciunt vbi fuerint, scire etiam debent, quænam fuerint, aut fuisse ita temerè non affirmabunt.

Posterior ratio. Alterum Argumentū à prioritate sumptū. Verum est quodcunq; prius, falsum quodcunq; posterius. Sicut enim vinū prius est aceto, & ferrum prius rubigine: Ita vera doctrina hæreses per corruptionē inde nascentes antecedit. Iam extra controuersiam est, Catholicam doctrinā omnes alias hæreses antiqtate superare, adeò vt ipsi etiā hæresiarchæ in Catholicā primò doctrinā apud Romanensem Ecclesiam crediderint. Ergo Catholica doctrina sola veritati deputanda, hæretica de mendacio præiudicanda. Hanc argumentationē interdū admittunt hæretici; interdum negant. *Nunc enim antiquitatem suæ religionis prædicant*. Caluin. Præfat. Instit. Kimedon. de verbo Dei f. 86. *antiquitati etiam Romanæ Ecclesiæ contradicunt*. Foxus in 13. cap. Apocalyps. p. 427. *vtpote vbi nihil antiquum præter nomen* Foxus in 16. Apocalyps. p. 657. Nunc verò antiquissimorum patrum lectione huius erroris conuicti, velis in contrarium versis *antiquitatem Ecclesiæ notā esse negant*. Caluin. 4. Instit. cap. 2. §. 3. Danæus tom. 1. resp. p. 752. 753. *Quod antiquū non semper pium*. Danæ. tom. 2. resp. 1247. *neq; antiquius semper melius*. Kimedon. vbi supra 393. *Itaque antiquitatem nos impedire non debere, quin liberè veritatem à mendacio discernamus*. Calu. comment. in Epist. 75. 47. *vtpote cuius opinio nihil conferat si desit puritas Euangelii*. Foxus in 12. Apoc. p. 353.

Hæreticorū sentent. de antiquitate.

Sic circulatores isti sumūt id ꝙ in q̄stione est, vel ex regula regulatum faciunt. Quærimus mensura antiqui-

antiquitatis verum: illi mensuram antiquitatis verum constituunt.

CAPVT XXX.

Quartam præscriptionem in specie probat exemplo Marcionis, Valentini, Apellis, Nigidii Hermogenis: quos vera doctrina posteriores ostendit.

VBi tunc *Marcion*, Ponticus Nauclerus, stoicæ studiosus? vbi tunc *Valentinus* Platonicæ sectator? Nam constat illos neq; adeò olim fuisse, Antonini ferè principatu, & *in Catholicam primò doctrinā credidisse apud Ecclesiam Romanensem*, donec sub Episcopatu *Eleutheri* benedicti ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel & iterum eiecti, Marcion quidem cum *ducentis sestertiis suis quæ Ecclesiæ intulerat*, nouissimè in perpetuum discidiū relegati, venena doctrinarū suarum disseminauerunt. Postmodū Marcion pœnitentiā confessus, cùm conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem recepturus; si cæteros quoq; quos pditioni erudisset Ecclesiæ restitueret morte præuentus est. (*oportebat enim hæreses esse*) nec tamen ideò bonum hæreses, quia esse eas oportebat: quasi non & malum oportuerit esse. Nam & *Dominum tradi oportebat, sed væ traditori*: ne quis etiam hinc hæresim defendat. Si & *Apellis* stemma retractandum est, tam non vetus & ipse quàm Marcion institutor & præformator eius: Sed lapsus in fæminam, desertor continentiæ

Marcion & Valentinus primò Catholici Romanenses.

Marcion pœnitentiam confessus moritur.

1. Cor. 11. 19.

Marc. 14. 18.

Apellis ætas, gesta.

Marcionensis, ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit. Inde post annos regressus non melior, nisi tantum qua iam non Marcionites in alteram fœminã impegit, illam *virginem Philumenen* (quã supra edidimus) postea verò immane prostibulum & ipsam cuius energemate circumuentus, quæ ab ea didicit, Phanerosеis scripsit. Adhuc in seculo supersunt qui meminerint eorũ, etiã proprii discentes & successores ipsorũ, ne posteriores negare possint. Quãquã & *de operibus suis* vt dixit Dominus, *reuincuntur*. Si .n. Marcion nouum Testamentũ à vetere separauit, posterior est eo quod separauit, quia separare nõ posset, nisi quod vnitũ fuit: vnitũ ergò ante quàm separaretur, postea factũ separatũ, posterioré ostendit separatorem. Item *Valentinus* aliter exponens, & sine dubio emendans, hoc nomine quicquid emendat vt mendosum, retrò alterius fuisse demonstrat. Hos vt insigniores, & frequentiores adulteros veritatis nominamus. Cæterum & *Nigidius* nescio qui, & *Hermogenes*, & multi alii adhuc ambulant peruertentes vias Dei. *Cupio ostendant mihi, ex qua authoritate prodierunt. Si alium Deum prædicant, quomodo eius Dei rebus & literis & nominibus vtuntur, aduersus quem prædicant? Si eundem, quomodo alter? probent se nouos Apostolos esse: dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum cruci-*

Supra cap. 6.

Matth. 7. 16.

Valentinus.

Nigidius. Hermogenes.

Argumentatio illustris aduersum hereticos.

crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum: Sic enim Apostolos solet facere, dare illis præterea virtutem eadem signa edendi, quæ & ipse. Volo igitur & virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, quâ Apostolos in peruersum æmulantur. *Illi enim de mortuis viuos faciebant, isti de viuis mortuos faciunt.*

Marc.16.17

Miracula hæreticorum.

ANALYSIS CAP. XXX.

Applicatio præscriptionis huius *6.* membra continet. 1. enim applicat Marcioni, eiusque ortum & interitum perstringit: in fine obiectiunculam soluens de non reductis à Marcione quos seduxerat, non propterea bonas hæreses esse, etiamsi oporteat hæreses esse. 2. Applicat Apelli, eiusque à Marcione secessionem, incontinentiamque describit. 3. Nouitatem vtriusque testimonio viuo & factis ipsorummet comprobat, quòd Marcion testamentum nouum à vetere separabat, adeoque posteriorem se eo quod separabat, ostendebat. 4. Applicat Valentino qui corrigens superiorum sententias, itidem maiores suos quasi sponte recognoscebat. 5. Nigidio & Hermogeni. 6. Contra omnes communiter concludit hoc modo. *Aut eundem nobiscum Deum prædicant hæretici, aut alium. Si hoc, inique faciunt tabulis Dei nostri abutentes. Si illud, cur alia doctrinæ forma vtuntur, quàm a maioribus acceperunt?* Quod si verò ad maiorum errores corrigendos missi sunt, vocationem suam idoneis signis ostendant, quibus Dominus semper instruere solitus est eos, quos extraordinariè misit. Atqui miraculis destituuntur, nisi quòd de viuis mortuos faciunt, &c. E. fures & latrones sunt Iohan. 10.

Partitio capitis.

Conclusio generalis contra hæreticos.

Exceptio hæreticorũ, miracula non esse necessaria.

Quid adhæc Prophetæ nostri? suo more ab regia via deflectunt, negantque *miracula vlli vocationi sacræ probandæ necessaria esse.* Beza volum.3.p.146.l.61.

aut miraculis doctrinam suam egere. Danæus tom. 1. respons. 785. & tom. 2. 1421. Quid ita verò? Quia nostra doctrina inquiunt, est illa ipsa doctrina Christi & Apostolorum, tot signis olim confirmata, vt qui noua à nobis prodigia postulant, Christo & Euangelio eius plus quàm iniqui sint. Vides circulos.

Responsio. quid hîc in quæstione est, nisi idipsum quod hi homines pro confesso obtrudunt? numquid non & Marcion & Apelles & Valentinus, idem causari poterant? aliter Christus, aliter Apostoli, qui diuinitus ad eandem prophetarum doctrinam repetẽdam & complendam missi, non nude occinebãt Iudæis hoc epos: orthodoxi sumus, propheticam doctrinã asserimus, legem stabilimus, &c. Sed vt verbis fidem acquirerent, stupendis miraculis vocationem suam asserebant, & prophetarum interpretationem obsignabant. Quod ipsum si noui hi Apostoli fecerint, præsertim qui *miracula doctrinæ sigilla rectè vocant.* vt Caluinus in epist. Hebr. 2. 4. & 2. Cor. 12. 12. *iisq; fidem & scripturam stabiliri confitentur.* Martyr in locis 38. 41. 489. Kimedon. de verbo Dei 225. Tum demum veros eos & diuinitus excitatos Apostolicæ doctrinæ restauratores agnoscemus. Idque tantò magis debent, quia haud illibenter partes Eliæ atq; Enochi sibi vendicant: de quibus in Apocalyps. proditum est, quòd *igne inimicos suos perdituri, quòd cælum clausuri, quod aquas in sanguinem conuersuri, quòd terram omni plaga ad libitum percussuri: quòd a morte resurrecturi, atque omnibus inspectantibus, cælitus acciti ascensuri sint.* *Cap. 11. v. 6. & seq.*

ANNOTAT. IN CAP. XXX.

Marcion Nauclerus. *Ponticus nauclerus*] Pontus Asiæ minoris prouincia, patria Marcionis, naucleri. Vbi autem legitur *Stoica studiosus*, & mox *Platonica*, rectè subintelligitur Philosophiæ. I. P.

Tertull. ætas. *Neque adeò olim fuisse*] Vixit enim sub Seuero Tertullianus, à quo ad Antoninum Philosophum, sub quo Marcion, anni quinquaginta: Nam Valentinus,

tinus & Cerdo ſub Ant. Pio Romam venerunt. Sic & noſtris hæreticis poteſt obiici, quòd non adeò olim fuerunt: ab annis circiter 60. I. P.

In Catholicam primò doctrinam credidiſſe] Locus pulcher pro auctoritate Romanę Eccleſ. quòd apud eã Catholica doctrina fuerit, vti etiamnum. Sic Irenæus lib. 5. cont. hæret. cap. 3. & expreſſioribus verbis Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum: *Vt depoſita omni ſolicitudine ſcires Cornelius* (Papa I.) *te ſecum, id eſt, cum Catholica Eccleſia communicare.* & Ambroſ. de obit. fratris Satyri. I. P. *Romana Eccleſia auctoritas.*

Non minus de omnibus huius ſæculi hæreticis, Luthero, Philippo, Caluino, Zuinglio, Martyre, Oecolampadio, Bullingero, Beza, &c. Indubitanter conſtat, quòd Catholici primùm & Romanæ Eccleſiæ Sacris initiati fuerint. Inde tanquam ex domo paterna cum filio prodigo profugerunt, & cum Abſolone nefarium patri bellum intulerunt. Vide *Lutherum* de Miſſa angulari, & libr. 2. cont. Zuinglium, *Bezam* in vita ab ipſomet conſcripta. *Simlerum* in vita P. Martyris, *Eraſmum Sarcerium* in 2. Theſ. 2. I. C. *Heretici omnes primùm Catholici.*

Donec ſub Epiſcopatu Eleutherii Benedicti] Præclarum Chriſti martyrem elogio *Benedicti* ornat Tertullianus: quum ille ſanguinem ſuum pro religione fuderit, in martyrum numerum relatus, quos etiam illa tempora ſummæ venerationi habuere. Sed Marcion ſub Aniceto P. in hæreſim prolapſus Eleutherio P. Roma in perpetuum diſcidium eiectus eſt. I. P. *Eleutherius martyr.*

Cum ducentis ſeſtertiis] Ducenta ſeſtertia valent, ſupputatore Budæo quinque aureorum milia, vt vel ex hoc loco appareat, non perinde inopem & mendicam primitiuam Eccleſiam, quæ tantam auri vim incunctanter reſtituerit. I. P. *Eccleſia primitiua opes.*

Quæ Eccleſiæ intulerat] Hoc eſt, donarat, cùm ad Eccleſiam venit, pro antiquo Chriſtianorũ more, qui non ſe tantũ ſed ſua ſimul offerre ſolebant Eccleſiæ, in communi fratrum ſodalitio viuentes I. P.

Nouiſ-

Discidium. *Nouissimè in perpetuum discidium relegati*] Rectè discidium, propter perpetuam ab Ecclesia scissionem, quæ fit per excommunicationem tertiam, quam hic intelligi patet ex eo, quod præcessit: Semel & iterum eiecti. I. P.

Cùm conditioni sibi datæ occurrit] Hoc est, vellet occurrere. Quod accipiunt alii in malam partem, ac si dicat: dum dubitaret, an conditioni datæ vellet obedire. I. P.

Proselyti quomodo recipiantur. *Ita pacem recepturus*] Dogmatistes non recipitur nisi contraria prædicet ac doceat, vt hic, alii verò fidem suam prodere scripto publicè debent coram Ecclesia, tumque demum recipi. Vide decretum Gangrense. I. P.

Si & Apellis stemma] Id est, designatum ab Apelle facinus. Alii malunt Ironicôs de generositate illius accipi, vt etiam continentiam & sanctissimum magistrum. I. P.

Continentia Marcionensis] Interdicebat enim nuptias, minimè tamen continētiæ obseruator. I. P.

Cuius energemate circumuentus] ἐνέργημα hic pro vi seu efficacia Dæmonum accipitur in malam partem. I. P.

Phanerosis. *Phaneroseis inscripsit*] Expositiones erant rerum secretarum, insignium nugarum proculdubiò. φανερόω Græcis est manifesto. Sic alii non malè interpretantur reuelationes. I. P.

Nigidius ignotus. *Et Nigidius nescio qui & Hermogenes*] Nigidius ille etiam nobis ignotus est. Videtur fuisse aliquis ex discipulis, aut etiam magister Hermogenis. Vide infra cap. 33. & lib. aduersus Hermogenem. I. P.

Apostolorū requisita. *Probent se nouos Apostolos esse*] Extraordinarii Prophetæ aut Apostoli bifariam solent agnosci. Per prophetiam, quæ de illis prædicta est, vt Iohan. Baptista ex Isai. cap. 40. vt legitur Ioan. 1. aut per virtutem signa edendi siue miracula, vt Helias, Daniel, & Apostoli. Neque tamen hoc posterius signum sufficiens est, Matth. 24. Verùm necessaria

ſunt omnia hæc ſigna: Vt de iis aliquis propheta-rit, vt edant miracula, vt habeant manus impoſitionem ab Apoſtolis, aut eorum ſucceſſoribus Epiſcopis iam inde ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris, vt infra cap. 32 & de carne Chriſti. c. 1. I. P.

Illi enim de mortuis viuos faciebant] Poteſt non tantum de morte animæ, quam ſuis hæreſibus inferunt, ſed etiam ad litteram intelligi, quod tantum abſit, vt ætate Tertulliani, aut noſtra, de mortuis viuos faciant, vt potius, de viuis mortuos faciant; vt de *Caluino* oculatus teſtis Hieronymus Bolſecus in vita ipſius ſcribit; ne quis temerè integerrimi & optimi Surii hiſtoriam calumnietur. I. P. *Miracula hæreticorũ.*

CAPVT XXXI.

Eandem præſcriptionem aſtruit, ex parabola Domini de ſemente & Zizaniis, poſteaq; concludit.

SEd ab exceſſu reuertar ad principalitatem veritati, & poſteritatem mendacitati deputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ *bonum ſemen frumenti* à Domino ſeminatum primò conſtituit, auenatum autem ſterilis fœni adulterium ab inimico Diabolo poſtea ſuper ducit. Propriè enim doctrinarum diſtinctionem figurat, quia & alibi verbum Dei ſeminis ſimilitudo eſt. *Ita ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Dominicum & Verum, quod ſit prius traditum: id autem extraneum & falſum quod ſit poſterius immiſſum. Ea ſententia manebit aduerſus poſteriores quaſq; hæreſes, quibus nulla conſtantia de conſcientia competit ad defendendam ſibi veritatem.* *Matth. 13. 24.* *Luc. 8. 11.* *Aurea ſententia.*

ANA-

ANALYSIS CAP. XXXI.

Summa capitis.

Sententia huius capitis manifestâ similitudine comprehensa est; Quemadmodum frumentum ab agricola satum, solisq; calore enatum prius est zizaniis, quæ semente demum facta tanquam vitia frugum loci vligine aut iugibus pluuiis enascuntur: Ita etiã vera Catholica fides omnes hæreses on tribulos, carduos & lappas maligni spiritus inuidia sparsas tẽpore & dignitate antecedit, adeoq; *ex ipso ordine iudicium doctrinarum fieri potest. Id enim est dominicum & verum, quod est prius traditum: Id autem extraneum & falsum, quod est posterius immissum.* Quam auream sententiam quia monet Tertullianus etiam aduersus posteriores quasque hæreses mansuram, non mirabuntur Nouatores, toties eam Catholicis contra rudes ipsorum nænias in ore. Nam & alii doctores frequenter hac præscriptione vtuntur. *Hilarius* lib. 6. de trinitate: *Tardè mihi,* inquit, *hos piissimos doctores ætas nunc huius seculi protulit, serò hos habuit fides mea, quam tu erudisti, magistros, inauditis ego his omnibus in te credidi,* &c. Hieronym. in epist ad Pammachiũ, & Oceanum: *Quisquis,* inquit, *assertor es nouorum dogmatum, quæso te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post * quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nesciuimus? Vsque in hanc diem sine vestra ista doctrina Christianus mundus fuit.* Et libro contra Luciferianos in fine: *Ex hoc ipso,* inquit, *quòd posterius instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciauit.*

Antiquissimũ quodque verissimum.

Confirmatio præscriptionum aliorum patrũ consensu.

** Imò nunc post mille sexcentos.*

ANNOTAT. IN CAP. XXXI.

Principalitas.

Principalis successio.

Reuertar ad principalitatem] Principalitas & posteritas hîc opponuntur, quasi diceret: prioritas & posteritas. *Successio principalis* apud Irenæum & Tertullianum est, quando continua serie secundus primo, tertius secundo, &c. succedit, à qua principali succes-

successione quisquis absistit, hæreticus aut schismaticus est. Hoc proprium est Euangelii & sacræ doctrinæ, vt quum datur vera sit, nec verior, sanctior aut melior postea dari possit: Sed apud homines posteriores ferè cogitationes sapientiores. *Excessum* auctor accipit pro digressione. I. P. *Excessum*

Auenarum sterilis fœni adulterium] Ita ferè lib. aduers prax. cap. 1. & sic circumloquitur, quę Matth. 13. nuncupantur zizania. alludens ad illud Virg. Georg. 1.

Infelix lolium & steriles dominantur auena. I. P.

Id Dominicum & Verum esse] Hanc præscriptionem aduersus hæreticos sæpissimè in medium adducit Tertull. vt hoc lib. sæpe. & initiis lib. aduersus Hermogenem, & de carne Christi, & 1. aduers. Marcion. & 4. denique aduersus Praxean. I. P. *Antiquitatis studiū.*

Sic nulla olim benè constituta respublica licentiosos istos nouatores, qui terminos antiquos, & χορδὰς τὰς ἀκινήτους mouere præsumerent, impunes esse permisit. Atheniensium talis ardor fuit, *vt eos qui verbulum modo effarentur præter leges de diis receptas, sine vlla venia punirent*. Romani magistratibus sæpissimè *negotium hoc dederunt*, *vt sacra externa fieri vetarent. Iudicabant enim*, inquit Liuius, *prudentissimi viri omnis diuini humanique iuris, nihil aquè dissoluenda religionis esse, quam si non patrio, sed externo ritu sacrificaretur*. I. C. *Iosephus li. 11. contra Apionem. Liuius lib. 39.*

CAPVT XXXII.

Quinta & sexta præscriptio, à successione Episcoporum, & consanguinitate doctrinæ Apostolicæ.

CÆterum si quę audent interserere ætati Apostolicę, vt ideò videātur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerūt: possumus

5. Præscriptio. mus dicere: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem & antecessorem.* Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert. Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam inlicitũ est? Sed etsi

6. Præscriptio. confinxerint, nihil promouebunt, *ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diuersitate & contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicuius auctoris esse neque Apostolici*: quia sicut Apostoli non diuersa inter se docuissent, ita & Apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciuerunt, & aliter prædicauerunt. Ad hanc itaque formam prouocabuntur ab illis Ecclesiis, quę licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, vt multò posteriores, quæ denique quotidiè instituuntur: tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ita omnes hæreses ad vtramque formam,

formam á nostris Ecclesiis prouocatę, probent se quaqua putant Apostolicas. Sed adeò nec sunt, nec possunt probare quod non sunt: nec recipiuntur in pacem & in communicationem ab Ecclesiis quoquo modo Apostolicis: scilicet ob diuersitatem Sacramenti nullo modo Apostolicæ.

ANALYSIS. CAP. XXXII.

Duas hoc capite præscriptiones coniungit, quintam & sextam, vtramque prolepsi figuratam. Quinta est huiusmodi, quod etsi multæ hæreses ætatem suam Apostolis æquent, vt ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, tamen hac ratione vanitatis conuincendas. *Vbi non est legitima Episcoporum successio, ibi non est Ecclesia. Atqui Ecclesia Marcionis, Valentini, Lutheri, Caluini, &c. non habet illam successionem. E. non est vera Christiana Ecclesia.* Maiorem quamuis verissimam hæretici nostri pro sua impudentia negant: clamantes *successionis prærogatiuam in rebus spiritualibus nihil valere.* Foxus in 1. Apoc. p. 26. *Quia successio doctrinæ attendatur in Episcopis, non loci aut sedis.* Brut. Fulm p. 42. *adeò vt neque Christi tempore ex successione potuerit Ecclesia dignosci.* Beza volum. 3. pag. 134. 18. Et 141. 19. Sed facilè hæc impudentia retunditur. Primùm enim non potest Ecclesia vllo modò esse sine pastoribus & Episcopis. Ephes. 4. Hieron. contra Luciferianos. Deinde illi soli in Ecclesia veri semper Episcopi habiti sunt, qui ab Apostolis per legitimam successionem & ordinationem descendebant. Quemadmodum enim in veteri Testamento omnis Dei populus à 12. Patriarchis descendebat, & omnes Sacerdotes à Leui per Aaronem: Ita in nouo Testamento nulli sunt Pastores & Episcopi, nisi qui à duodecim Apostolis, quos primos noui Testamenti Sacerdotes Christus constituit,

V. Præscriptio ab ordine successionis.

Ratio successionis demonstratur.

vel eorum legitimis successoribus ordinate descendunt. Quæ causa est cur plerique Patres tam religiose ordinem successionis in Romana præsertim Ecclesia annotarint, vt Irenæus lib. 3. cap. 3. Epiphanius hæresi 27. Optatus lib. 2. cont. Parmen. Augustinus epist. 165. ad Generos.

Vbi successio. Iam minorem propositionem iterum negant hæretici, tam de se quàm de Catholicis. *Suas enim Ecclesias veram Apostolicam successionem habere* scribit Beza volum. 3. p. 145. l. 19. *Romanam autem Ecclesiam successione carere: vtpote quæ interrupta sit, & aliquando desierit.* Danæus tom. 1. respons. 757. 752. Beza volum. 3. p. 142. l. 2. VVittack. de verbo Dei 382. Martyr in locis 7. 7. Itaque *argumento à successione Apostolica personali euerti Romanam pseudEcclesiam, etiamsi de doctrina non quæratur.* Beza volu. 3. p. 134. l. 58. Sed vtrunque manifestissimum est mendacium. Romanorum enim Episcoporum à sancto Petro ad præsentem vsque Clementem VIII. continuam successionem sine vlla difficultate enumeramus, quod passim extantes catalogi demonstrant. Lutherum autem Caluinum & similem aliquem turbatorem, qui originem Ecclesiæ suæ ediderit; atque aliquem ex Apostolis vel Apostolicis cui successerit, vel à quo ordinatus sit, nominauerit, nullum adhuc vidimus.

VI. Præscriptio, à conspiratione doctrinæ cum vetere Apostolica. Confingent forte aliquid, atq; catenam ex arena connectent. Præoccupat igitur Tertull. ac 6. præscriptione gradum hunc obstruit. *Doctrina quæ non habet consanguinitatem cum Apostolica, ab Apostolis descendere non potest. Atqui hæretica doctrina consanguinitatem illam non habet, quin aduersa potius fronte cum Apostolica fide pugnat. E. Apostolis Originem suam ferre acceptam non potest.*

Minorem etsi strenuè negant nostri aduersarii, magnisque verborum ampullis Euangelicam & Apostolicam synceritatē iactant: tamen facilè istum tumorem comprimere norunt pij. Nam *nisi nunquam fuit Ecclesia, necesse est aliquos inter nos & Aposto-*

Apostolos intercessisse medios, qui genuinum Apostolicarum scripturarum sensum tenuerint, quique optimi huius litis iudices vel testes esse queat. At quamcunque sedecim seculorum ætatem de istorum hominum fide consulas, aut planè eam nescit, aut inter hæreses numerat. Qua de causa ipsi quoq; tantoperè hoc forum fugiunt, ac de erroribus omnium retrò seculorum conqueruntur: Imò quòd plus est, libenter sibi cum omni antiquitate certamen institutum esse profitentur: Cuius rei testimonia multa ex Caluino & Magdeburgensibus Bellarminus collegit lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 9. Vbi & *Theodosii Imperatoris* consilium valdè prudens commemorat, qui hac arte sui temporis hæreticos compescuit. Iussit principes sectarum conuenire, deinde petiit, an existimarent, antiquos patres, qui Ecclesiam rexerant ante dissidium illud, quod tunc de religione ortum fuerat, rectè consensisse, & verè sanctos & Apostolicos fuisse: quod cùm illi concessissent, subiunxit: *Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum scripta, & si cum illis consenserit, retineatur, sin minus abiiciatur.*

Hæreticos Apostolicā doctrinam non sectari.

Sozom. lib. 7. hist. cap. 12.

Theodosii ratio coarguendi hæreticos.

In fine soluit obiectiunculam. At multæ Ecclesiæ particulares nouiter cōstitutæ ipsæmet tali successione destituuntur? Resp. Neutiquam. Ab Apostolicis enim sunt proseminatæ,& cùm Apostolicis in fide conspirant Quorum neutrum hæretici ostendere possunt,&c.

ANNOTAT. IN CAP. XXXII.

Edant origines Ecclesiarum] Similia habet auctor, Pontifices omnes vsque ad Anicetum,sub quo Marcion cœperit, enumerans lib. 3. carm. aduers. Marcion. & Irenæus lib. 3. cap. 1. 2. 3. & lib. 4. cap. 43. 45. 46. & Cyprianus epistola 52. & 76. Origenes 1. Periarchon; B. Optatus lib. 2. aduers. Parmen. B. Augustinus in psalm. contra partē Donati & epist. 165. Qui omnes cū Tertulliano Ecclesiæ Catholicę notā potissimū faciūt successionē Episcoporū à B. Petro

Successio nota Ecclesia.

Ecclesia Romana ad sua vsque tempora, quos speciatim enumerant, Tertullian. Irenæus, Optatus, & Augustinus. Atque illud Augustini nunquam excidat contra epistol. Fundamenti cap. 4. *Tenet me in Ecclesia Catholica ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum.* I. P.

Censum deferre.

Census suos deferunt] Et alibi hac voce *census* vtitur Tertullianus, quam hîc accipe, pro dignatione, reputatione, vulgo æstimatione, in qua quis est. Igitur deferunt census suos Ecclesiæ, hoc est, eò se maiore putant auctoritate valere, cæterisque præcellere, quo propius ad Apostolos accedunt. I. P.

Polycarpus Smyrnæ angelus.

Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum] De Polycarpo Irenæus libr. 3. cap. 3. & apud Eusebium 4. Ecclesiast. histor. c. 13. & 5. cap. 19. & cap. 4. 15. Meminit etiam Ignatius epist. ad Antiochens. & propria ad ipsum Polycarpum. Ad Polycarpum proinde pertinet admonitio ad angelum Ecclesiæ Smyrnæ. Apocal. 2. I P.

Romanorū Episcoporū à S. Petro successio.

Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit] Non tamen à B. Petro primus fuit Clemens, nam huic loco sufficit illum à Petro ordinatum fuisse, quemadmodum ipse auctor docet 3. carm. ad Marc. vbi enumerat hoc ordine: *Petrus secundus, Linus tertius, Cletus, deinde Clemens, Anacletus Euaristus, Alexander, Sixtus.* Vbi disertis verbis sextum dicit Alexandrum. Vt inter veros & certos Pontifices Romanos habendi sint Linus & Cletus, idque ante Clementem. Quæ sententia post auctorem est Epiphanii hæres. 27. Damasi in Pontifical. cap. 23. & 4. Rufini in prol. epist. Clementis ad fratrem Domini, & Hieronym. Catal. script. Eccles. Quibus accedit auctor Chronici Chronicorum & Platina. Concinunt etiam martyrologia Bedæ, Vsuardi: & Romanum (atque adeò verisimiliter Eusebii & Hieronymi, ex quibus desumpta) vt omnino lectori Catholico amplectenda videatur

hæc

hæc ſententia. De reliquis difficultatibus latè hîc Pamelius.

Ad vtramque formam] Duas proponit auctor præſcriptionum ſeu exceptionum formas aduerſus hæreticos. Altera ducitur á defectu ſucceſſionis, altera ſumitur ab argumento mutuæ diſſenſionis. Signa duo certiſſima, quæque contra omnes hæreſes valuerunt & valebunt ſemper. I. P.

Ob diuerſitatem Sacramenti] Rectè intelligemus hoc de Sacramento fidei in Baptiſmo, quod quum ab hæreticorum confeſſione fidei diuerſum ſit, ideò diuerſitas Sacramenti hæreticis imputatur. Alioquin multa apud hæreticos & Catholicos eadem Sacramenta. I. P.

CAPVT XXXIII.

Septima præſcriptio ab hæreſeon iam damnatarum cum præſentibus conuenientia.

ADhibeo ſuper hæc ipſarum doctrinarum recognitionem, quæ tunc ſub Apoſtolis fuerunt, ab iiſdem Apoſtolis & demonſtratæ & eieratæ. Nam & ſic faciliùs traducentur: dum aut iam tunc fuiſſe deprehenduntur, aut ex illis quæ iam tunc fuerunt, ſemina ſumpſiſſe. Paulus in 1. ad Corinth. epiſtola notat *negatores & dubitatores reſurrectionis*. Hæc opinio prima Saducæorum: partem eius vſurpat Marcion & Apelles, & Valentinus, & ſi qui alii reſurrectionem carnis infringunt. Ad Galatas ſcribens, inuehitur in *obſeruatores & defenſores circumciſionis & legis*: Hebionis hæreſis eſt. Timotheum inſtruens, *nuptiarum*

1. Corinth. 15. 12.

Gal 5. 2.

1. Timoth. 4. 3.

rum quoque interdictores suggillat: Ita instituunt Marcion, & Apelles eius sectator. Æquè tangit eos, qui dicerent *factam iam resurrectionem*. Id de se Valentiniani adseuerant. Sed & cùm *genealogias indeterminatas* nominat, Valentinus agnoscitur; apud quem Æon ille nescio qui noui & nõ vnius nominis, generat è sua Charite sensum & veritatem: & hi æquè procreant duos, sermonẽ & vitam. Dehinc & isti generant hominem & Ecclesiam: de qua prima ogdoade æonum exinde decem alii, & duodecim reliqui æones miris nominibus oriuntur in meram fabulam triginta æonum. Idem Apostolus cùm improbat *elementis seruientes*, aliquem Hermogenem ostendit, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat, & ita matrem elementorum Deam faciens, potest ei seruire quem Deo compatat. Iohannes verò in Apocalypsi *idolothyta edentes & stupra committentes* iubetur castigare. Sunt & nunc alii Nicolaitæ, Caiana hæresis dicitur. At in epistola eos maximè *Antichristos* vocat, qui *Christum negarent in carne venisse* & qui non putarent *Iesum esse filium Dei*: Illud Marcion, hoc Hebion vindicauit. Simonianæ autem Magiæ disciplina *angelis seruiens*, vtique & ipsa inter idololatrias deputabatur, & à Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur.

1. Timoth. 2. 18.
Tit. 3. 9.
Gal 4. 9.
Apocalyps. 2. 14.
1. Ioan. 1. 7.
Colos. 2. 18.
Act. 8, 20.

ANA-

ANALYSIS CAP. XXXIII.

Septima præscriptio, præcedenti valdè affinis, est huiusmodi. *Doctrina iam olim ab hæreticis defensa, & ab Apostolis taxata, hodiè Apostolica esse nequit.* Atqui doctrina Marcionis, Apellis, Ebionis, Valentini, &c. talis est: quod decem exemplis probat. 1. Negata olim resurrectione per Sadducæos, & tunc per Marcionem, Valent. Apellem. 2. defensa circumcisione per Hebionem. 3. Interdicto matrimonio per Marc. & Apell. 4. Negata iterum resurrectione carnis per Valentinianos, qui iam factam resurrectionem affirmabant. 5. Genealogiis infinitis, quas sectabatur Valent. in Aeonibus. 6. Cultu elementorum per Hermogenem. 7. Esu idolothytorum & stuprorum per Nicolaitas, & Caianos. 8. Negatione Deitatis Iesu per Hebionem. 10. Cultu angelorum per Simonem Magum. Ergò, &c.

Veterũ hæreses manifesta.

Eâdem præscriptione hodiè nostri hæretici & quidem arctius constringuntur, qui non in postremis doctrinæ capitibus iam olim damnatas hæreses sapiunt. Cum [a] *Simone Mago*, cum [b] *Eunomio* & *Aëtio* iustificationem solius fidei docent. cum [c] *Manichæo* & *VVicleuo* liberum arbitrium tollunt [d] & fatalem necessitatem statuunt. cum [e] *Aërio* orationes pro mortuis & ieiunia dãnant. cum [f] *Donatistis* & *Nouatianis* totã defecisse Ecclesiam aiunt. cũ [g] *Iouiniano* virginitatem & viduitatẽ deprimunt. cum [h] *Vigilãtio* Sanctos in cœlis, Sanctorũ intercessiones & reliquias contemnunt, [i] adeoq; S. Hieronymum

Nouatores hodiè multas olim damnatas sententias amplectuntur.

[a] *Theodoretus lib. 1 de hæret. fabulis.*
[b] *August. hæresi 54.*
[c] *Hieronym. præfat. dial. cont. Pelag. August. hæres 46.*

[d] *Philip in loc com. anno 21. & cõment. in epist. Rom. p. 52. Luther. defens. art. 36. Calu. 2. instit. 5. 1. Beza in Actis Colloq. Mompel p. 522 & sequentibus.* [e] *August. hæres 53. Epipha. hæres. 75.* [f] *August. de Vnitate Ecclesiæ cap 12.* [g] *Hieronym. cont. Ioui. August. hæres. 82.* [h] *Hieronym. cont. Vigil. Caluin. 3. instit. 20. §. 21. & libr. 4. cap. 13. §. 7. Beza Volum. 1. 230.* [i] *Rainol. de idolo. 1 6. 5. Bulling. de orig. error. 82. 83. 84.*

iniustitiæ insimulant, qui *acriùs quàm verius in Vigilantium sanctum presbyterum intonarit, eumq; immeritò inter hæreticos numerauerit.* Sed quid plura? tota ferè doctrina hac scabie infecta est, quemadmodum eruditè Bellarm. demonstrat lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 9.

ANNOTAT. IN CAP. XXXIII.

Eierare. *Demonstrata & eierata*] Rectiùs quam deieratæ. Est autem eierare siue eiurare, rei cuipiam renunciare, repudiare rem, abiicere prorsus, & detestari, qua significatione etiam Cicero vtitur. I. P.

Nam & sic facilius traducentur] Hoc est inanes ostendentur, neque enim hic significat ignominiæ causa circumducere. I. P.

Aeon ille nescio qui] Contra Aeonas multa Irenæus & Tertull. quorum temporibus hæ genealogiæ grauabant Ecclesiam: & repetit Epiphan. in Panar. I. P.

Noui & non vnius nominis] Habet enim varia nomina primus Aeon, quemadmodum & vxor eius (vt ita loquar) Vide Tertull. lib. aduers. Valentin. I. P.

Iohan. verò in Apocalypsi] Hoc loco satis indicat auctor, eundem esse auctorem epistolarum Iohan. 1. & 2. & Apocalypsis, atq; adeò Ioh. Euangelistam, vt etiam in Scorpiaco, & lib. aduers. Marcion. I. P.

Caiana hæresis dicitur] De Caiana hæresi Auctor in Scorpiaco latiùs. Hieronymo Caina est lib. aduers. Vigilant. I. P.

Angelorum cultus. *Angelis seruiens*] Hoc de Simoniaca Magia dicitur, vt infra c. 46. & lib. de anima, qui locus notandus est, vt intelligat lector, quam angelorum seruitutem seu religionem impugnet Apostolus Colossen. 2.

I. P.

CA-

CAPVT XXXIV.

Occupatio: quod in primis illis hæresibus etiam reliquæ posteriores prædamnatæ sint.

HÆc sunt, vt arbitror, genera doctrinarum adulterinarum, quæ sub Apostolis fuisse ab ipsis Apostolis discimus: & tamen *nullam inuenimus institutionem, inter tot diuersitates peruersitatum, quæ de Deo creatore vniuersorum controuersiam mouerit.* Nemo alterum Deum ausus est suspicari: *facilius de filio quàm de patre hæsitabatur,* donec *Marcion* præter creatorem alium Deum solius bonitatis induceret: *Apelles* creatorem angelum nescio quem gloriosum superioris Dei, faceret Deum legis & Israëlis illum ũ igne affirmans: *Valentinus* æonas suos spargeret, & vnius æonis vitium in originem deduceret Dei creatoris. *His solis & his primis reuelata est veritas diuinitatis, maiore scilicet dignatione & pleniore gratiã à Diabolo consecutis,* qui Deũ sic quoque voluerit æmulari; vt de doctrinis venenorũ, quod dominus negauit, ipse faceret discipulos super magistrum. Eligant igitur sibi tempora vniuersæ hæreses, quæ quando fuerint, dum non intersit, quæ quando, dum de veritate non sint: vtique quæ sub Apostolis non fuerunt, eas dicere fuisse non possunt. Si enim fuissent, nomi-

Hæreses de Deo patre.

Ironia.

Luc. 6.

narêtur & ipſæ, vt & ipſæ coërcendæ. Quę verò ſub Apoſtolis fuerũt, in ſua nominatione damnantur. Siue ergò eædem nunc ſunt aliquanto expolitiores, quæ ſub Apoſtolis rudes, habent ſuam exinde damnationem: ſiue aliæ quidem illæ fuerunt, aliæ autem poſteà obortæ ſunt, & quasdam ex illis opiniones vſurpauerunt, *habendo cum eis conſortium prædicationis, habeant neceſſe eſt etiam conſortium damnationis*: præcedẽte illo fine ſupradicto poſteritatis, quo etſi nihil de damnatitiis participarent, *de ætate ſola præiudicarentur, tanto magis adulteræ, quanto nec ab Apoſtolis nominatæ*. Vnde firmius conſtat has eſſe quæ adhuc tunc nuntiabantur futuræ.

ANALYSIS CAP. XXXIV.

Hæreſes ab Apoſtolis non cognitæ, quid Iuris habeant.

Exceptio contra ſeptimam præſcriptionem. Esto damnatæ iam olim ſint ab Apoſtolis prædictæ hæreſes: quid hoc ad alias, quæ ab Apoſtolis neq; cognitæ neque damnatæ ſunt: inprimisque illas, quæ præter filium (vbi facilius erratur) etiam de Deo creatore vniuerſorum controuerſiam mouerunt, &c. Reſp. 1. per βίαιον tanto peiores ſunt iſtæ, quanto longius maiorum audaciam excedũt. Nemo enim olim ita deploratus fuit, vt de ipſo creatore litem mouere auſus ſit. At liberè nunc Marcion, Apelles & Valentinus hanc cauſam ventilant. 2. per Ironiam: his ſolis & his primis reuelata eſt diuinitus veritas, maiorem ſcilicet gratiam à Diabolo conſecutis, vt poſteriora tempora docerent; quod priora neſcierant. 3. Quocunque tempore hæreſes ſint, dum de veritate non ſint, nihil intereſt. Nam quæ ſub Apoſtolis fuerunt, ſiue

ſiue eædem, ſiue nunc paulò expolitiores, iam nominatæ, & nominando damnatæ ſunt. Quæ verò poſtea extiterunt, & quaſdam tantum veterum opiniones vſurpauerunt, habendo commune conſortium prædicationis, habent etiam damnationis. Denique quæ nouæ prorſus nihil de damnatitiis participant, ipſa poſteritate ſua damnantur: ſecundum illud Hieronymi Cont. Lucifer: *ex hoc ipſo, quod poſterius inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænunciauit.*

ANNOTAT. IN CAP. XXXIV.

Voluerit æmulari] Aemulor, non hic imitari eſt vt alibi; ſed per inuidiam contendere: eadem ſignificatione, qua æmulatio alibi pro inuidia ab auctore accipitur. I. P. *Aemulari.*

Aliquanto expolitiores.] Sic primum rudes fuerunt, vt hoc noſtro ſeculo ab elegantiolis ſtyli & cultu exteriore veritas doctrinæ æſtimatur, præpoſtero iudicio. I. P.

Habendo cum eis conſortium] Ita Gelaſius. 24. quæſt. 1. cap. 1. Quicunque in hæreſim ſemel damnatam labitur, eius damnatione ſeipſum inuoluit. Damnatitiæ hæreſes id eſt iam damnatæ, vt fictitium, quod fictum eſt. I. P.

CAPVT XXXV.

Quod hæreticæ dici non poſſint Eccleſiæ Apoſtolicæ, quæ nihil cum hæreſibus habeant commune.

HIs definitionibus prouocatæ à nobis & reuictæ hæreſes omnes, ſiue q̃ poſteræ ſiue q̃ coætaneæ Apoſtolorũ, dũ modo diuerſæ: ſiue generaliter, ſiue ſpecialiter notatæ

notatæ ab eis, dum modo prædamnatæ; *audeant respondere & ipsæ aliquas eiusmodi præscriptiones aduersus nostram disciplinam.* Si enim negāt veritatem eius, debent probare illam quoque hæresim esse, eadem forma reuictam, qua ipsæ reuincuntur: & ostendere simul vbinam quærenda sit veritas, quam apud illas non esse iam constat. *Posterior nostra res non est, immò omnibus prior est: hoc erit testimonium veritatis vbiq; occupantis principatū.* Quod ab Apostolis nō damnatur, immò defenditur: hoc erit indicium proprietatis. Quam enim damnant quasi extraneam: quamq; non damnauerunt, suam ostendunt, ideoque & defendunt.

Antiquitas.

ANALYSIS CAP. XXXV.

Primum concludit ex 7. præscriptione, insultatque hæreticis, vt & ipsi præscriptiones eiusmodi contra Catholicos afferant: Quorum veritati quia subscribere nolunt, hæreseos conuincant illos, atque alibi veritatis sedem ostendant, necesse est. Aut enim fides recta apud hæreticos est, quod iam falsum esse euicimus: Aut apud Catholicos, quod ipsi inficiantur. nisi igitur nusquam sit, & planè exulet mundo, ostendenda est alicubi, vt ad eam colendam aduolemus.

Deinde argumentum contrarium pro Catholica à prioritate repetit, & vrget: Posterior nostra res non est, immò omnibus prior est, hoc erit testimonium veritatis &c.

Maiorū instituta seruanda

Intueantur hoc speculum Nouatores, suamque fœditatem dextro aliquando oculo cognoscant, ne infe-

ne inferiores sint ipsis Ethnicis, quibus natura dictabat, *maiorum instituta tueri, sacris Caremoniisq; retinendis, sapientis esse.* Ast τὰ πάτρια ἔθη παρὰ πᾶσι παραβαίνειν ἄδικον: Patrios ritus migrare aut violare vbique gentium nefarium. Itaque huc pertinet illud Mæcenatis ad Augustum: *diuinum illud numen, omni modo, omni tempore, ipse cole iuxta leges Patrias: & alis vt colant, effice. Eos verò qui in diuinis aliquid innouant, odio habe & coerce. Non Deorum solum causa (quos tamen qui contemnit, nec aliud sanè quidquam magni fecerit) sed quia noua quadam numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum. Vnde coniurationes, seditiones, conciliabula existunt, res profectò minimè conducibiles principatui.*

Cicero 2. de diuin.

Aristot. Rhet. ad Alexand.

Dio Cassius lib. 52.

CAPVT XXXVI.

Octaua præscriptio ab authoritate Ecclesiarum Apostolicarum Cathedralium, Corinthiacæ, Philippensis, Thessalonicensis, & in primis Romanæ.

AGe iam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias Apostolicas apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, & repræsentantes faciem vniuscuiusque. Proximè est tibi Achaia, habes Corinthũ. Si non longè es à Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. *Si autẽ*

Italiæ

Romana Ecclesia laus.

Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: Vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Iohannes posteaquàm in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, q d docuerit, quid cum Aphricanis quoque Ecclesiis contesserarit. Vnum Deum nouit creatorem vniuersitatis, & Christum Iesum ex Virgine Maria filium Dei creatoris, & carnis resurrectionem: Legem & Prophetas cum Euangelicis & Apostolicis literis miscet, & inde potat fidem eam: aqua signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit, martyrio exhortatur, & ita aduersus hanc institutionem neminem recipit. Hæc est institutio, non dico iam quæ futuras hæreses prænunciabat, sed *de qua hæreses prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ sunt aduersus illam.* Etiam de oliuæ nucleo mitis & opimæ & necessariæ asper oleaster exoritur, etiam de papauere fici gratissimæ & suauissimæ, ventosa & vana caprificus exurgit. Ità *& hæreses de nostro fructicauerunt, non nostræ: degeneres veritatis grano & mendacio syluestres.*

1.Ioan.2.9.

ANALYSIS CAP. XXXVI.

Sensus 8. præscript.

Octaua præscriptio est huiusmodi, ***Doctrina consensum habens Ecclesiarum Apostolicarum, & in primis***

primis Romana, *cui totam doctrinam cum sanguine suo profuderunt Apostoli, vera est & orthodoxa. Atqui nostra Catholica doctrina talis est, haeretica non est.* E. Discant hic Romanomastiges, Lutherus, Caluinus, Beza, &c. Contra quem stimulum calcitrent. Vocant illi Romanam Ecclesiam non matrem aut statu felicem, sed *meretricem, & execrabilem Antichristi sedem.* Aliter hic Tertull. aliter S. Cyprian. lib. 1. Epist. 3. *Ad Romanam Ecclesiam perfidia habere non potest accessum.* Aliter Ambros. Orat. de obitu Satyri. *Is cum Episcopis Catholicis conuenit, qui cum Romana Ecclesia conuenit.* Aliter Gregorius Nazianz. in carmine de vita sua: *Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet Vrbem quae toti orbi praesidet.* Aliter denique S. Hieronym. lib. 3. Apolog. adu. Ruffinum: *Romana fides Apostolica voce laudata, praestigias haereticorum non recipit, etiamsi angelus aliter annunciet, quam semel praedicatum est, Pauli authoritate munita non potest mutari.* Sed plura huius generis in annotationibus.

Foxus in 17 Apoca. p. 663. Dan. tom. 1. respon. p. 386.

ANNOT. IN CAP. XXXVI.

Ipsa adhuc cathedra] Nomen cathedrae Apostolicae in Romana Ecclesia agnoscunt veteres pene omnes, & nominatim auctor lib. 3. carm. aduers. Marcion. Et Cyprian. Epist. 40. & Epist. ad Antonianum & Epist. 55. & Optat. lib. 2. aduers. Parm. quam ipsam Romanam Ecclesiã appellant Hieron. Prud. Prosper & alii. I. P.

Cathedra Apostolica Roma.

Ipsa authentica litera] Eas vocat Apostolorũ manu scriptas, aut subscriptas, vulgus originalia vocat. Et nimirum primariae illae Epistolae incredibili cura fuerunt conseruatae, vt plane Tertull. aetate extiterint integerrimae, quando etiam his temporibus instrumenta quadringentorum & quingentorum annorum seruẽtur in Grammatophylaciis.

Originalia Epistolarũ.

Proxime est tibi Achaia] Corinthus Achaiae in Isthmo duorum marium sita. Plin. lib. 4. c. 4. & 5. I. P.

Si non longè es à Macedonia habes Philippos] patet Actor. 16. I. P.

Si potes in Asiam tendere] Intellige Asiam minorem, vt & Apocalypſ. 1. I. P.

Romæ laus. *Si autem Italiæ adiaces habes Romam*] Excellens elogium, quod fruſtra eleuant & torquent vani Magdenburgenſes, tanquam Romana Iuriſdictio terminis Italiæ clauderetur: Ipſe enim ſuam Africam eidem ſubiicit Tertull. adeò etiam ſæuiſſimis Gothorum & Hunnorum tyrannis reuerendam. Sequitur magiſtrum Tertull. Cypria. epiſt. 55. & 45. Irenæi verba vide lib. 3. cap. 3. ne hoc Cōpendium grauemus. Quo conſilio omitto patres, concilia, & ipſum Iuſtinianum epiſtol. Inter claras C. de ſum. Trinitat. Irenæus auctor noſter & aliquot patres penè viſa ſcribunt, aut ab illis accepta qui viderant. Debet igitur primam & perpetuam fidem ſuam Roma tribus primis Apoſtolis Petro, Paulo & Iohanni: vt iam calumniatores hæretici tolerandi ab homine Chriſtiano non ſint. De Iohanne Vide etiam Euſeb. 3. hiſtor. 18. I. P.

Roma. *Statu felix Eccleſia*] Magnam laudem Eccleſiæ Romanæ agnoſcit hoc loco B. Rhenanus, quam omnes veteres ſummè venerati ſint, atque ex hoc loco liquere, vnde Apoſtolici nomen Pontifici Romano aduenerit. Cuius auctoritas plurimum orbi Chriſtiano profuerit, dum dogmatum concordiam ſartam tectam præſtat. Quæ præcipuè cauſa veteres Imperatores mouit, vt iſtā ſedē Conſtantinus priuilegiis; Iuſtinianus; Gothorū principes Longobardi, & cæt. pdiis ampliſſimis, Carolus M. Ludouicus pius; atque Rudolphus Habiſpurgius, terris atque profana ditione extulerint, auxerint atque ornarint. Idem & alibi docet Rhenanus ex Anna 1 Marc. lib. 15. Neque enim duntaxat fœlix Romanā Eccleſia; ſed & primā, vt iam mox ex Tertull. docebamus, & ex aliis ipſius libris, & qui eo maior eſt, Irenæo probari poteſt. Vide annotat. Pamelii in Cyprian. de Vnitate Eccleſiæ, & alibi.

alibi. Item Feuarden. in Irenæ. & N. Sanderum de visib. Monarchia lib. 7. & Hosium. I. P.

Cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt] similis locus lib. 4. aduers. Marcion. & Scorpiaco. Meminerunt quoque eorũ martyrii B. Linus Papa libris duobus ea de re conscriptis, Clemens Papa sæpius. Egesippus lib. 7. Dorotheus in Synopsi. Hieron. in Catal Ambrosius, Augustin. Orosius, Eusebius in Chron. & historia Eccles lib. 3. cap. 1. Quod autẽ dicit auctor: *Vbi Paulus Iohannis exitu*, hoc est, eodem mortis, quo Iohannes Baptista plexus est exitio, gladio scilicet. Meminit insuper horum martyrii Michael Glyc. hist. suæ part. 3. & Niceph. lib. 2. cap. 37.

Vbi Iohannes Apostolus, postea quam in oleum igneũ demersus] Addit Apóstolus ad distinctionẽ Iohannis Baptistæ, de quo paulò antè. Huc alludit Hieronymus lib. 1. aduers. Iouinianum. I. P.

Aqua signat, Spiritu sancto vestit] Primum hoc Baptismi, secundum confirmationis, tertium Eucharistiæ Sacramentorum efficientiam significat. de quibus infra latius. I. P.

Martyrio exhortatur] Huius mentionem facit Auctor propter refragatores martyriorum Gnosticos, vt in Scorpiaco. I. P.

De papauere fici] Quod Varro lib. de re rust. cap. 4. semen vocat & granum, hic auctor peculiariter Papauer fici dixit, de caprifico, id est, ficu Syluestri, Plinius lib. 15. cap. 19.

CAPVT XXXVII.

Concludit ex superioribus, quum scripturæ Christianorum sint, & hæreticis alienæ, minimè ex illis cum hæreticis disputandum.

SI hæc ita se habent, vt veritas nobis adiudicetur, quicunque in ea regula incedimus,

dimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit, constat ratio propositi nostri, definientis *non esse admittendos hæreticos ad ineundam de scripturis prouocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere.* Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo quod de sua electione sectati hæreticorum nomine admittunt. Ita nō Christiani nullū ius capiunt Christianarum literarū, ad quos meritò dicendū est, *qui estis? quando & vnde venistis? quid in meo agitis non mei?* quo denique Marciō iure syluā meā cædis? Qua licentia Valentine fontes meos transuertis? qua potestate Apelles limites meos commoues? Mea est possessio, quid hic cæteri ad voluntatem vestrā seminatis & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res. *Ego sum hæres Apostolorum.* Sicut cauerunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exhæredauerunt semper & abdicauerunt, vt extraneos, vt inimicos. Vnde autem extranei & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diuersitate doctrinæ, quam vnusquisque de suo arbitrio aduersus Apostolos aut protulit, aut recepit.

Apostrophe ad hæreticos.

Hæretici exhæredati.

ANAL.

ANAL. CAP. XXXVII.

Consectarium deducit ex superioribus, primãque præscriptionem de non admittendis ad scripturarum collationem hæreticis repetit, nouo adiecto argumento: Hæretici non sunt Christiani. E. nullum ius habent Christianarum literarum.

Antecedens probat, quòd nolunt cum Ecclesia in ea regula incedere, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit. Deinde quòd sua electione, à qua hæresis dicta est, Christum deseruerunt, atque aliud sibi numen finxerunt. *Hæretici cur non Christiani.*

Consequens eleganti interrogatione, & antithesi iuris Ecclesiæ, quod habet in scripturam, amplificat. Quinam vos estis miseri ranunculi, coaxãtes ex cauernuis, nostra est possessio: vos vt inimici extranei testamento Apostolorũ exhæredati estis, &c. legant nostrates & sapiant. Perpetua isthæc præscriptio est: Vnde S. Hierony. lib. 7. in Esaiã: *Nemo tam impius est, quem hæreticus impietate non vincat.*

ANNOTAT. IN CAP. XXXVII.

Sine scripturis] Refero ad probationẽ sine scripturis, quippe quum auctor nullis ad hoc scripturis vtatur, sed solum modo ea præscriptione quæ sequitur. I. P.

Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt] Similiter dixit supra cap. 7. 14. 16. vti & Cyprian. de vnitat. Eccles. & Hieron. contra Luciferianos & l. damnato C. de hæreticis. I. P.

Quid in meo agitis] omnia hæc Iurisconsulto rũ verba, inuadentium & aliena bona occupantium sunt. I. P.

Habeo origines firmas ab ipsis auctoribus] Auctor Iurisconsultis est, cuius res erat, à quo rem nobis emimus. Hinc auctoritas ipsum ius dominii. Quæ sequuntur, pura sunt vltimarum voluntatum seu testamentorum verba. I. P.

CAPVT XXXVIII.

Nona præscriptio, ab interpolatione scripturarum, hæreticis vsitata, non Catholicis.

ILlic igitur & scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, vbi diuersitas inuenitur doctrinæ. *Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent per quæ docerent hæresim.* Sicut illis non potuisset succedere corruptela instrumentorum eius, ita & nobis integritas doctrinæ non competisset sine integritate eorum per quæ doctrina tractatur. Et enim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, vt aliquid contrarium ei & in scripturis deprehensum, detractione, vel adiectione, vel transmutatione remediaremus? quòd sumus, hoc sunt. Ab initio suo ex illis sumus, antequam nihil aliter fuit quàm sumus. Quid denique fuit antequàm à ncbis interpolarentur? Cùm autem omnis interpolatio posterior credenda sit, veniens vtique ex causa æmulationis, quæ neque prior neque domestica est eius vnquam quod æmulatur, tam incredibile sapienti cuique, vt nos adulterum stylum intulisse videamur scripturis, qui sumus à principio & primi

primi, quam illos non intulisse, qui sunt & posteri. & aduersi. *Alius manu scripturas, alius sensu expositiones interuertit.* Neque enim si Valentinus integro instrumento vti videtur, non callidiore ingenio quàm Marcion manus intulit veritati: Marcion enim exertè & palam *machæra, non stylo* vsus est: quoniam ad materiam suam cædem scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit: quoniam nō ad materiam scripturas, sed materiam ad scripturas excogitauit: & tamen plus abstulit, & plus adiecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum, & adiiciens dispositiones non comparentium rerum.

ANALYSIS CAP. XXXVIII.

Nona præscriptio. Quicunque instrumenta doctrinæ, scripturas videlicet sanctas, interpolant: illi ipsi haud dubiè doctrinam adulterantur. Atqui hæretici tribus modis detractione, adiectione, transmutatione scripturas interpolant, Catholici integras seruant. E, hæreticis adulteratio doctrinæ deputanda est.

Propositionem maiorem ex eo probat, quia scripturæ fons sunt veritatis. Fonte autem turbato riuuli quoque turbidi & limosi fiunt. Et quæ interpolationis causa est, nisi vt cum instrumentis corruptis, vel ad priuatos sensus flexis, priuati etiam errores & hæreses hominum mentibus instillentur?

Catholici non corrūpunt scripturas.

Minorem primū de Catholicis, deinde de hæreticis probat. Catholici enim si scripturas corrumpunt

Hæretici quam varie scripturas aduiterent.

punt, ostendantur eius rei exempla, afferatur aliquid ex Apostolo fidei Romanæ contrarium: Tandẽ demonstretur, quid fidei ante corruptionem in orbe viguerit. Hæretici partim manu scripturas, partim sensu expositiones interuertunt. Alii enim libros quosdã è Canone resecant: Alii Canonicos stylo conficiunt, & vel detractione, vel adiectione, vel transmutatione ad materiã suã contorquent. Id quod hodie de nostris facilimè demonstrari potest. *Canonem* enim longe angustiorẽ habent Catholicis, Machæra excidentes Tobiã, Syracidẽ, Machabæos, atq; alios veteris Testamenti libros. Reliquos quos retinent vel *detractionibus* mutilant: vt cũ Acto. 15. vltimu versum plane omittunt: *Præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.* Et 2. Pet. 1. v. 10. Satagite vt per bona opa certã vestrã vocationem & electionem faciatis: Omittũt voculas tres *per bona op ra.* Vel *additionibus* onerant: Vt cum Romanorũ 3. v. 20. verbis Pauli *per legem enim cognitio peccati,* & v. 28. *Arbitramur iustificari hominem per fidem:* Vtrobique adiiciunt voculam TANTVM. Vel *distinctionibus* deprauant, vt cúm Acto. 19. Ne fateri cogantur, à Iohanne Baptizatos in pœnitentiã, ab Apostolis Lauacro Christi in remissionẽ peccatorũ rebaptizandos fuisse, verba illa Lucæ, *Dixit autem Paulus: Iohannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum dicens: In eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est in Iesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus,* &c. Hoc modo legunt ac distinguunt, ac si verba illa versus 5. *His auditis baptizati sunt, &c.* Non verba Lucæ de præsenti historia rebaptizatorum à Paulo (qui verus & genuinus sensus est) sed verba Pauli de præterito Iohannis more habenda sint, contra manifestũ historiæ scopum & contextum. Itẽ cum verba Pauli 1. ad Cor. 11. v. 19. *oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis,* hoc modo legunt, oportet hæreses ESSE INTER VOS: vt

Exempla.

Detract.

Addit.

Distinct.

bellam

bellam suam sententiam de solis ad Ecclesiam pertinentibus prædestinatis, qualescunque externo aspectu sint, tueantur. Vel denique *sensum verborum violentissima interpretatione* confodiunt & tollunt, cuius rei omnis disputationum Theologicarum campus passim exemplis abundat. Sed ne multi simus, sufficiant nobis mutua ipsorum de mutuis scripturæ versionibus, quas singulis ferè annis nouas cudunt, & recudunt, iudicia. Lutherus nullam nisi suam versionem tolerare potest; Zuinglius nullam nisi Tigurinam, Beza nullam nisi Bezæ, Castalio solius Castalionis. Itaq; *cùm aliquando Froschouerus Typographus Zuinglianus Tigurinam Translationē ad Lutherū misisset, hic contumeliosè reiecit, neq; aspicere dignatus est, monens Typographum ne post hac tale aliquid mittat: se enim libros eorum nec recipere nec legere velle, Nam Ecclesiæ Dei cum eis communicare non posse.* Zuinglius vicissim Lutheri translationem respuit, eumque sæpè scripturarum corruptarū & adulteratarum arguit. Eiusdē criminis Beza Castalionem, & Castalio Bezam integro volumine alligat: nec cuiquā istorum in hac quidem causa derogandam fidem arbitramur.

Calu. lib. 4. Instit. cap. 1. §. 2. Interpret. falsa.

Heretici suas mutuò versiones exagitant.

Lauath. in hist. Sacra. f. 32.

Zuingl. tō. 2. resp. ad Luth. lib. de Sacram. f. 41.

Beza in annot. noui test. passim. Castal. in defens. sua translat.

ANNOTAT. IN CAP. XXXVIII.

Quod sumus hoc sunt] id est, vnam profitentur nobiscum scripturæ fidem, professionem & viuendi modum, idque ex quo illę initium cœperunt, etiam antequam aliter crederetur aut viueretur, quàm nos viuimus aut credimus. I. P.

Antequam interpolarentur] Interpolare est formam nouam veteri cuipiam rei dare. Interpolantur scripturæ, quando sensus aut lectio noua & insueta Ecclesiæ proponitur, quam Catholica fides nec audiuit, nec admisit prius. I. P.

Interpolare.

Æmulari. *Veniens Stiq; ex causa æmulationis*] Aemulantur Apostolos, hoc est ambitione nimia conantur facere in Sacramentis &c. quod fecerunt Apostoli, iubente Christo. Quod autem quis æmulatur, id anterius est, & æmulantem præcedit, & vetus est, quod interpolatur. Id autem quod prius, verissimum: fictitium, quod sequutum est, I. P.

Neque enim si Valentinus] Marcion de vetere testamento nihil recipiebat: de nouo ex Lucæ Euangelio & epistolis aliquot Paulinis quædam in duos libros congesserat. Hoc est omnia sine dubio negare. Igitur machæra, gladio scilicet magno, confecisse cædem scripturarum dicitur. *Stylus* instar est paruæ cuiusdam columnæ, acuminatus, & habens mucronem, quo cultelli genere cautissimè confixit scripturas Valentinus, paraphrasten scripturæ pro libitu suo agens, eamquè contorquens ad suum sensum. Apud Rhetores *stylus* est ipsa structura sermonis & orationis. I. P.

Machæra. Stylus.

CAPVT XXXIX.

Hæreticos interpolando scripturas Virgiliocentonas & Homocentonas imitari.

Ephes. 6.12. HÆc sunt ingenia de spiritalibus nequitiæ, *cum quibus luctatio est nobis* fratres, meritò contemplandæ fidei necessaria, vt *electi manifestentur*, vt reprobi detegantur. Et ideò habent vim & excogitãdis instruendisque erroribus fœlicitaté: nõ adeò mirandã, quasi difficilé & inexplicabilé, cùm de secularibus quoque scripturis exemplũ præstò sit eiusmodi facilitatis.

1. Cor. 11.19 Scripturas interpolare facile.

Vis

Vis hodiè ex Vergilio fabulam in totum aliam componi, materia secundum versus, versibus secundum materias concinnatis? Denique *Ouidius Geta* Medeam tragœdiam ex Vergilio plenissimè expressit. Meus quidam propinquus ex eodem poëta, inter cætera styli sui otia Pinacem Cebetis explicuit. *Homerocentonas* etiam vocare solent, qui de carminibus Homeri propria opera more Centonario ex multis hinc inde compositis in vnum sarciunt corpus. Et vtique fœcundior diuina literatura ad facultatem cuiuscunque materiæ. *Nec periclitor dicere, ipsas quoque scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, vt hæreticis materias subministrarent*, cùm legam: *oportere hæreses esse*, quæ sine scripturis esse non possent. *Homerocentones.*

ANALYSIS CAP. XXXIX.

Dictam hæreticorum fraudem in consarcinādis & interpolandis scripturis, poëtarum vulgò vsitatis Cētonibus comparat, & argumento imparium amplificat. Quemadmodum enim illi ex Homero aut Virgilio versus vel versuum partes mutuati, nouum opus diuersissimi sensus conficiunt: quales à *Proba Falconia*, & ab *Ausonio* consuti extant, qui etiam Centonum legem præscribit his verbis: *Variis de locis, sensibusque diuersis quadam carminis structura in vnum sol. datur versum, vt coëant, aut cæsi duo, aut vnus, & sequens cum medio: Nam duos iunctim locare ineptum est*: Ita etiam vel maximè hæretici ex scripturis aliquot diuersissimi sensus nouum doctrinæ genus fabricant, sibique præcellentes Theologi videntur. *Centonum authores, et lex.*

Eadem similitudine *Hieronymus* vtitur epistol.

 ad Pau-

Hieron. de vitiosa scripturarum interpretatione ad Paulinum, *Multi nec scire dignantur*, inquit, *quid Propheta, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia: quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, deprauare sententias, & ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus* Homerocentonas, & Virgiliocentonas, *ac sic non etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit:*

Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cœlo demittitur alto?

Et patrem loquentem ad filium,

Nate meæ vires, mea magna potentia solus.

Et post verba Saluatoris in cruce,

Talia perstabat memorans, fixusq; manebat.

Puerilia sunt hæc, & circulatorum ludo similia, docere quod ignores. Imò vt cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire quod nescias.

lib. 1. aduer. hæres. S. Irenæus aliâ similitudine vtitur, æquè eleganti. Sic enim scribit. *Quemadmodum qui regis imaginem ex auro & gemmis pretiosis à solerte artifice fabricatam dissoluunt, & transferunt aurum illud & gemmas in canis imaginem, quam ex eâdem materia conficiunt: aiunt postea imaginem suam canis, esse regis imaginem, quoniam idem est aurum, & iidem pretiosi lapilli. Sic omninò hæretici fidei imaginem dissoluunt, & iidem sacræ scripturæ authoritatibus perperam expositis atque transpositis imaginem perfidiæ suæ conficiunt & ornant, dicentes illam esse fidei & veritatis imaginem, eò quod ex iisdem sacrarum scripturarum locis est constructa.*

ANNOTAT. IN CAP. XXXIX.

De spiritalibus nequitiæ] Sic Apostolus ad Ephesios vltim. qui vocat spiritualia nequitiæ in cœlestibus aërios quosdam malignos spiritus, nocendi nobis auidos atque potentes. Aër etiam cœlum dicitur, vbi habitant dæmonum aliquot: alii in inferno. Ab illis vt appositissimis ad errores & fraudes proce-

procedere hæreticorum ingenia, doceríque adserit hîc & c.seq. Tertull. I. P.

Vt hodie ex Virgilio fabulam] Circumfertur Probæ Falconiæ titulo opusculum huius generis ex Virgilio concinnatum, & similia alia, sed illud vt apocryphum damnatur distin. 15. vt non immerito stomachetur Hieronymus prologo ad Paulinum in Biblia. I. P.

Denique Ouidius Geta Medeam Tragœdiam] Videtur quidem Ouidius intelligendus, qui in Ponto apud Getas exulauit, cuius etiam liber refertur de laudibus Cæsaris Getice conscriptus. Et Ouidio Medea asscribitur à Tacito & aliis, vt si non Ouidii Nasonis, saltem Ouidii fuerit. I. P. *Ouidius Geta.*

Meus quidam Propinquus ex eodem Poeta] Oportet fuisse auctorem aliquẽ insignem, qui *Pinacem*, hoc est, Tabulam Cebetis, quæ extat, quum à maioris momenti scriptis ociaretur, explicauerit. I. P.

Homerocentonas etiam vocare solent] Libellus, qui hoc titulo extat, Eudoxiæ Augustæ ascribitur teste Zonara. I. P.

More Centonario] Quando quid ex verbis benè connexis, in fragmenta quędam distrahitur, ex quibus alterius post argumenti connectatur & coniungatur oratio, diuersissima à primi scribentis intentione, Latini vocãt hoc genus cõsarcinationis, centonas, metaphora à veste resarcita. I. P. *Centones quid.*

Et vtiq́; fœcundior diuina litteratura] ex qua scilicet omnes hæretici quærunt & quæsierunt semper suæ sectæ patrocinium. Facit huc supradict. epistola Hieronymi ad Paulin. & elegans Irenæi similitudo lib.1.cap.1.quam etiam proponit Epiphanius & late Quintinus hic. I. P.

Ipsas quoque scripturas] Posteri grata, & quæ huc respiciat, metaphora scripturam vocarunt ceream, eiusque cereum nasum dixere, quia possit ad libitum quocunque flecti, facilius est enim deprauare scripturam, quàm ex Virgilio centonas congerere. I. P. *Scriptura flexibilis.*

CA-

CAPVT XL.

Alia comparatione nefariam hæreticorum in scripturis peruertendis audaciam declarat: quod nempe ipse Diabolus Sacramenta cœlestia æmuletur.

Diabolus corruptelarũ author.

SEd quæritur, à quo intellectus interpretetur, eorũ quæ ad hæreses faciant? à Diabolo scilicet, cuius sunt partes interuertendi veritatem, qui ipsas quoque res Sacramentorum diuinorum in idolorum mysteriis æmulatur.

Diabolus simia Dei: imitatur Sacramenta.

Tinguit & ipse quosdam, vtique credentes & fideles suos: expiationem delictorum de lauacro repromittit, & sic adhuc initiat *Mithræ*: signat illic in frontibus milites suos, celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam. Quid? quod & *Summum Pontificem* in vnis nuptiis statuit? Habet & virgines, habet & continentes? Cæterum si Numæ Pompilii superstitiones reuoluamus, si Sacerdotalia officia insignia & priuilegia, si sacrificalia ministeria, & instrumenta, & vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum, & votorum curiositates consideremus, nonnè manifestè Diabolus morositatem illam Iudaicæ legis imitatus est? qui ergo ipsas res, de quibus Sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter affectauit exprimere in negotiis Idololatriæ, vtique & idem & eodem ingenio

Pompilii sacerdotiũ ex Iudaici cultus imitatione.

genio

genio gestiit, & potuit instrumenta quoque diuinarum rerum & Sanctorum Christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, prophanæ & æmulæ fidei attemperare. Et ideò neque à Diabolo immissa esse spiritalia nequitiæ, ex quibus etiam hæreses veniunt, dubitare quis debet; *neque ab Idololatria distare hæreses, quum & auctoris & operis eiusdem sint, cuius & Idololatria.* Deum aut finguntalium aduersus creatorem: aut si vnicum creatorem confitentur, aliter eum differunt, quàm in vero est. Itaque *omne mendacium quod de Deo dicunt, quodammodo genus est Idololatriæ.* *Hæreses ab Idololatria non distát.*

ANALYSIS CAP. XL.

Comparatio est imparium. Diabolus Christiana Sacramenta imitatur, Baptismum, Confirmationem, Cœnam, Pœnitentiam, Ordinem, Matrimonium (hæc enim sex Sacramenta disertè hîc nominantur) multò faciliùs igitur ministros suos hæreticos instruere potest, quo modo tabulas scripturarum ad sensum suum corruptas detorquere possint.

Antecedens illustrat exemplo religionis Iudaicæ, quam Diabolus in superstitionibus Ethnicis imitatus est.

Consequens amplificat Consectario, quod propterea hæreses ab Idololatria non differant, tùm originis similitudine, tùm formæ. Quouis enim de Deo mendacio naturam eius in Idolum transmutant.

ANNOTAT. IN CAP. XL.

Sacramentum multa significat.

Res Sacramentorum diuinorum] Agit de noui Testamenti Sacramentis. Variè autem vtitur hac voce Sacramenti Tertullianus: aliquando propriè, pro *iuramento*, quod Deo in Baptismo præstamus, vt supr. num 188. & alibi. Deinde pro *signo* quidem sacro, sed quod allegoricum sit, aut figura futurorum duntaxat. Alibi, quod propius huc accedit, pro *mysterio* (vt sæpe in veteri Testamento) idq; non solũ Christiano, sed etiam Ethnico, & Iudaico, & hæretico. Atque sic poterat verti à nostro interprete illud, 1. Corinth. 4. *dispensatores Sacramentorum Dei*, pro eo, quod voce Græca in Latinam Coloniam recepta legimus, *mysteriorum Dei*, habita enim sunt in primitiua Ecclesia tanquam mysteria, atq; ita Græcis patribus dicuntur, quæ Latinis ferè Sacramenta, quemadmodum hîc Tertulliano, & aliis. Etiam Dionysius Areopagita. Hierô. Eccles. 1 vbi patet; ea non nuda esse mysteria, seu signa, sed diuina, sed cœlestia, diuinamque gratiam conferentia, vt proindo non noua, sed Apostolica sit hæc definitio apud Au-

Sacramenti definitio.

gust. *Sacramentum visibile signum inuisibilis gratiæ*. quamuis paulo clarior descriptio Isidori: ob id *Sacramenta dici, quia sub tegumento rerum corporalium virtus diuina secretius operatur salutem, nempe à secretis virtutibus vel sacris.* Quô facit Cyprian. serm.

Sacram. 7.

de Baptismo. Sacramentorum sex numero hîc enumerantur ab Auctore: quibus vtique *extremam Vnctionem* adiecisset, si ethnicis æque atque præcedentia in vsu fuisset. I. P.

Tingit & ipse quosdam] Baptismi Christianum Sacramentũ æmulabatur Diabolus in Isidis & Mithræ mysteriis; vt latius lib. de Baptismo. I. P.

Expiationem delictorum de lauacro repromittit; & sic adhuc initiat] Videtur secunda Mithræ initiatio intelligi. illud *de lauacro* more Tertullianico intelligendum, pro: à lauacro, vel: post lauacrũ. De huius Sacramenti partibus & efficacia late auctor lib.

de pœ-

de pœnitent. Licet autem rarò Sacramentum vocetur à patribus, describitur tamē epithetis aut synonymis æquipollentibus, de quibus in annotat. I. P.

Mithra] Ceremonias *Mithra* late recenset Tertull. lib. de corona mil. quas paulò post referemus. eum Persæ Solem nominant, neq; initiatio, nisi seuera abstinentia præcedente, perficiebatur, de qua Suidas. Colebatur adhuc tēpore Constantini Alexandriæ Socrat. 3. cap. 2. & 15 cap. 16. I. P. *Mithras Persis Sol.*

Signat illic in fronte suos milites suos] Hoc pertinet ad Sacramentum Confirmationis, de quo latius lib. de Baptis. & Resurrect. car. Appellatur autē à Patribus Sacramentū seu mysterium, spiritale signaculum, mystagogia, sigillum dominicū, tam frequenter: vt non temere vel de Baptismo tot locos inuenias. Vide hic Pam. & in Cyprian. epistola 72. I. P. *Confirmationis epitheta.*

Celebrat & panis oblationem] In mysteriis Mithrę vt annotat Iustinus Apolog. ad Anton. Pium; Atqui de oblatione panis, eiusq; non communis, sed (teste Iustino loc. all.) verè incarnati illius Iesu carnis & sanguinis, siue sacrificio Christiano, latè libr. de orat. & de cultu fœminar. I. P. *Oblatio Panū.*

Et imaginem resurrectionis inducit] Ceremonia hæc inter mysteria Mithræ non satis liquet.

Et sub gladio redimit coronam] Auctor lib. de cor. mil. Quum Mithræ miles, & cęt. initiatur, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimū martyrii, dehinc capiti suo accommodatā, monetur obuia manu capite depellere, & in humerum si forte transferre, dicens: Mithram esse coronam suam atque exinde nunquam coronatur, & cæt. I. P. *Corona Mithra.*

Quid? quod Summū Pontificem] Hoc ad leges pertinet, quæ Flamini Diali, aut q̄ Pontifici Max. præscribebātur, ęmulabatur autē hic Sathanas Ordinis Sacramentū, cuius summus gradus est Pontificatus seu Episcopatus, de quo 1. Tim. 3 & 4. appellatur aūt Sacramentū à multis patribus; de quibus hîc Pā. I. P. *Imitatio Pontificatus.*

In vnis nuptiis statuit] Celebrarūt Ethnici matrimoniū iisdē ferè ceremoniis; q̄bus Ecclesia: ꝙ quidem

dem à Tertul. sexies Sacramentum appellatur, & à patribus magno numero; de quibus hic Pamel.

Habet & Virgines, habet & continentes] Hoc quidem manifestissimum est, etiam apud Hieronym. contra Iouinian. Sed benè alibi Tertull. vnde nos addiscamus, quantum Deo sanctitas placeat, quàm illam etiam inimicus adfectat: non vtique, vt alicuius boni sit affinis ille, sed vt Domini Dei placita contumelia adfectans. lib. de Monog. I. P.

Ceremoniarum catholic. defensio.

Si Numa Pompilii superstitiones] Egregiè Macereus hoc loco: *quidam*, inquit, *nobis obiicit, nostras ceremonias maiori ex parte desumptas a Numa Pompilio, & proinde reiiciendas*. Fefellit eum, inquit, quòd non considerarit astutiam sui patris & magistri. Diabolus enim eas mutauit ex veteri testamento, & Numæ tradidit, vt per eas ab illo & suis honoraretur & adoraretur. Quod ad nos attinet, quibus ad manum est vetus illud testamentum (etiamsi omittamus traditionem patrum) magis credibile est, desumpsisse nos inde, quàm è libris Pompilii & alioquin talium ceremoniarum obseruatio Deo grata est, quas tàm studiosè æmuletur Diabolus. I. P.

Nonnè manifestè Diabolus morositatem] illam accuratam præscriptionem Testamenti Veteris etiam vsque ad minutias intelligit, de qua in Leuitico. I. P.

Et Sanctorum Christianorum] Si coniecturæ locus sit, leg. scripturarum Christianarum. apta enim esset sententia. I. P.

Idolum quid.

Neque ab Idololatria distare hæreses] Idola dicuntur quandoque illa peccata, quibus hominum conscientiæ subiacent: quando in corde nostro varias pingimus imagines vitiorū, quibus tanquam Diis nostris inseruimus, & obtemperamus. Itaque & hæresis (nam carnis operibus adnumeratur) & auaritia est, Idolum Ephes. 5. Sed hîc in vero sensu est Idolum: *falsi cuiuspiam Dei* simulachrum, & Idololatra, eiusmodi commentitii Dei cultor & adorator.

tor. Tales omnes ſunt hæretici, qui vnum quidem Deum colunt, ſed per malam ſententiam immutant eum, vt Irenæus ait lib. 1. cap. 19. Sic Turcæ, & noſtri hæretici: Quia non eum Chriſtum, quem & qualẽ in omnibus fidei articulis agnoſcit Eccleſia, recipiunt: igitur falſi, & Idololatræ. Sic de hæreticis poſt Tertullianum & Irenæum Origenes homil. 12. ſupr. Hierem. ca. 16. Hieronymus in Dan. cap. 3. Athanaſius & Lucifer Cala: do Arrianis frequentiſſimè. I. P. *Hæretici Idololatræ.*

CAPVT XLI.

Decima præſcriptio, ab hæreticorum moribus & ἀταξίᾳ: cuius hîc aliquot ſpecies enumerat.

NOn omittam ipſius etiam conuerſationis hæreticæ deſcriptionem, *quàm futilis, quàm terrena, quàm humana ſit, ſine grauitate, ſine auctoritate, ſine diſciplina*, vt fidei ſuæ congruens. Inprimis quis catechumenus, quis fidelis, incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiunt: pariter orant: etiam ethnici ſi ſuperuenerint, Sanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras iactabunt. *Simplicitatem volunt eſſe proſtrationem diſciplinæ, cuius penes nos curam lenocinium vocant.* pacem quoque paſſim cum omnibus miſcent. Nihil enim intereſt illis, licet diuerſa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conſpirent. *Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur.* Ante ſunt perfecti catechumeni, quàm edocti: *ipſæ mulieres hæreticæ* quàm procaces, quæ *Confuſio ſtatuum.* *Laxitas diſciplinæ.* *Superbia.* *Mulierum πολυπραγμοσύνη.*

 audeant

audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere. *Ordinationes* eorum temerariæ, leues, inconstantes: nunc Neophytos conlocant, nunc seculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt. *Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebelliũ, vbi ipsum esse illic, promereri est.* Itaque alius hodiè Episcopus, cras alius, hodiè Diaconus, cras lector: hodiè presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt.

Ordinationum leuitas.

ANALYSIS CAP. XLI.

Præscriptio decima. Mores & ἀταξία hæreticorum summæ eos leuitatis & prophanitatis coarguit. Quomodo igitur apud eos veritatis sedes esse potest? Antecedens per tria integra capita declaratur. Et hoc quidem capite primum in genere proponitur, quòd conuersatio hæreticorum sit futilis, terrena, humana, sine grauitate, authoritate & disciplina. Deinde in specie exemplis aliquot comprobatur. Quorum 1. est *confusio statuum* quod neque catechumenos neq; fideles discernunt, & promiscue omnes etiam ethnicos ad sacra admittunt. Nam catechumeni (ne dum planè à fide alieni) non habebant ius ad vlla Sacramenta, itaq; quotiescunq; mysteria celebranda essent, Diaconi alta voce clamabant, *Catechumeni exeunto*. Hinc August. similiter catechumenos à fidelibus distinguit. Et Gregor. Nazian. orat. in S. lauacrum dicit, *Catechumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem, nisi intus ingrediatur per Baptismum.* Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 50. docet *Catechumenos esse apud Christianos id, quod erant incircumcisi apud Iudaeos, qui propterea non poterant vesci agno paschali.* Alterum

Exempla leuitatis hæreticæ.

Catechumeni.

Tract. 4. in Iohan.

rum

rum exemplum est *prestratio disciplinæ*: quæ vt olim sic hodie apud hæreticos ita laxa & putida est, vt quamuis subinde Catholicorum Episcoporum baculos pastoritios clauas Herculis, vel virgas Tyrannidis Assur vocare soleant, ipsosmet tamen verbi ministros sui miserè pudeat & tædeat. Quorum vtique hoc munus est, vilissimis calonibus subesse, infimo apud omnes loco esse, neminem in specie redarguere, publicè tantum aliquid quasi incerto scopo iactare, auditorum suorum nutu stare & cadere, loqui & tacere, non pascere, sed pasci, non regere sed regi, & miserrimam denique seruitutem omni vita seruire. *Prædicantium sors.*

III. *Coniuratio* cum hostibus aduersus veritatem: cuius infra cap. 43. aliquot exempla huc pertinentia commemorabuntur.

IV. Superbia ac præsumptio docendi etiam in *mulieribus*, quæ vbi per transennam tres Pauli literulas inspexerunt, aut longa aure ab aliquo graculo perceperunt, miras de iustificatione, de lege, de fide, atque omni deniq; secretiori Theologia turbas excitare, omniumq; oculos in se conuertere sciunt: longius etiam interdum septa transilientes. Qua de re quia multa præclarè literis commendauit eruditissimus vir Guilielmus Reginaldus lib. 2. Caluino-Turcismi ca. 15. & 16. plura hic coaceruare nolo. Tātum sibi à lapsu caueat lector, ne *reprehensionem Baptismi mulierū* Catholicæ Ecclesiæ impingat, quod V Vittacker. fecit, veteris Pepuzianorum hæreseos eam damnās, quod in casu necessitatis fœminis baptizādi facultatē committit. Nam Tertul. de publicis ministeriis loquitur. Hoc aūt extrema necessitas priuatim mulierculis officiū extorquet: Eaq; ratio ab omni antiquitate recepta fuit, vt ipse *Caluinus*, suo tamen more dictatorio præcepta dans, scribere cogatur: *Quod multis abhinc seculis, adeoq; ab ipso ferè Ecclesiæ exordio vsu receptum sed o, vt in periculo mortis Laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video quam firma ratione possit defendi.* *Muliebris Theologia.* *in fine libr. de Antichristo.* *lib. 4. instit. cap. 15. § 20.*

 V. Per-

V. Perturbatio ordinis Ecclesiastici, quæ hodiè tanta est, vt vix minima eius indicia apud turbatores istos appareant. Ipsi sine ordine ingressi, alios sine ordine ad sacra munia admittunt, nō collectitium tantum leuissimorum Apostatarum gregem, sed adolescentulos etiam imberbes, & vix leui aliqua literatura imbutos, à scholis adhuc Grāmaticis calentes. Imò quod plus est, sutores, sartores, textores, pelliones, pistores, atque omne genus cerdones, qui cū ad nullum vitæ genus sese idoneos deprehenderunt, ad cathedram Euangelicam tanquā ad certissimum asylum & mendicitatis abigendæ portum confugiunt; Qui cùm posteà præclarè spartā suam perindeatque ὄνος αὐλὸν ornant, accidit quod Tertull. hoc loco scriptum reliquit, vt alius hodiè Episcopus, cras alius, hodiè Diaconus, qui cras ludimagister, hodie minister, qui cras laicus. Denique vt hoc addā monachus hodie qui cras sponsus, & fortè pater ante quàm maritus.

Quales ministri Protestantiū.

ANNOTAT. IN CAP. XLI.

Quis catechumenus, quis fidelis] Apud antiquos populus diuersis quatuor gradibus distinguebatur: in competentes, catechumenos, fideles & pœnitentes. Catechumenus dicebatur, qui post petitum diu Baptismum, demum baptizandus, catechizabatur prius, hoc est, edocebatur in articulis fidei nostræ. Ea significatione catechumenos accipit Apostolus ad Gal. 6. quos ipsos Auctor alibi audientes siue auditores nuncupat. I. P.

Pacem quoque passim cum omnibus miscent] Pacem dare, miscere, est in ius communionis recipere, in consortium Ecclesiæ, à commissis facinoribus absoluere; quod absque satisfactione non debere fieri, nec ante conscientiam purgatam sacrificio & manu sacerdotis, liquet ex Cypriano serm. de lapsis. I. P.

Omnes tument] Mater omnium hæreseon est superbia, inde Auctor est Epiphan. contra Valen. omnes

omnes hæreticos sese cognominasse Gnosticos, hoc est, peritos, scientes. I. P.

Ante sunt perfecti catechumeni quàm edocti] Sic emendauimus ex man. Vatic. pro eo; quod erat: educati nam non aliud catechumeni quàm edocti, vtpotè illi, qui catechizantur, id est, docentur. Videmus hæc indies, & obstupescimus de audacia vel licentia, heri cerdo, triduo post Euangelicæ vitæ prædicans, admirandus. I. P.

Ipsæ mulieres hæreticæ] Quocunque modo est, aut fuit hæresis in ea fuit & est: dux fœmina facti: Habent suas Helenas & Philumenas procaces, hoc est petulantes, impudentes: quæ publicæ docere & contendere de religione non erubescunt. Id iam palàm cum auctoritate & pro imperio audent, hæc audimus & viuimus. I. P.

Exorcismos agere] Montanistas siue Pepuzianos arguit, apud quos etiam mulieres fungebantur sacerdotio, vt Epiphanius; & Augusti. testantur. Atqui ab æterno (ait Epiphan.) nulla mulier sacrificauit Deo. nō Eua, nec ipsa superbeata Virgo Maria. I. P.

Curationes repromittere] Quum nemo in muliere meritò reprehendere possit curationes infirmorum simplices, videtur alludere ad gratias curationum, de quibus 1. Cor. 2 quas sibi mulieres hæreticæ arrogabāt, atq; adeò sicut tinguere, hoc est, baptismi Sacramentū administrare audebant. Fortassis etiam Sacramentū extremæ vnctionis prætextu curationis conferre. de quo hic latè in annotat. I. P.

Forsitan & tinguere] Hoc tanquam prodigiosum & difficile creditu refert Tertull. scilicet, quod publicè & præsentibus viris baptizarent. vt libr. de Vel. Virginibus. I. P.

Nunc Neophytos conlocant] Contra interdictum Apostoli 2. Timoth. 4. non Neophytum. Neophyti sunt qui ex gentilium vita nuper admodū catechizati, statim ad Baptisma venerunt, atque inde mox ad Episcopatum prohibentur admitti Can. 2. Nicæ. Concil. I. & apud Hieron. & alios. I. P.

Nunc seculo obstrictos] Videtur intelligere eos qui pecuniæ gratia, seculo seu molestiis secularibus. 2. Timoth. 2. obstricti permanent Et Canon 60. Apost sic ha' et, ex Gentili vita conuersum recens baptizatum, id est, Neophytum, aut ex alio turpi vitæ instituto aduenientem, id est, seculo obstrictum, non est iustum mox in Episcopum deligere.

Nunc Apostatas nostros] Varii Apostatæ, sed in nomine communicāt, etiam illi, qui Christum abnegant, vt Iulianus I. P.

Iaq; al us ho:ie Episcopus, cras alius] Apud Montanistas tertium locum tenebant Episcopi, videntur alii hæretici ordinem Ecclesiast. pro libito frequenter immutasse, & ipsos Episcopos. Atqui Episcoporum mentio frequens est apud Tertull. alibi & supra cap 32 vbi non modo Episcopos agnoscit ab Apostolorum ætate, sed & successionē Episcoporum legitimam etiā cum auctoritate, quā summam profitetur in Romano Pontifice, quem lib. de Pudic. Episcopum Episcoporum nominat. Eosdē præsidentes nominat vide Cypria & ibi Pam. epist. 55. & 56.

Hodie Diaconus] Quorum etiam alibi meminit & baptizandi ius attribuit libr. de Baptismo. vide Cyprian. Pamel epist. 6; I. P.

Qui cras lector] Qui ordo notus & celebris in Ecclesia ante Cyprianum, quod negant stolidi Magdeburg. vt & Hypodiaconi non modo Cypriano, sed etiam Ignatio epistola ad Antiochenses. vbi habes etiam quatuor minores Ordines.

Hodie presbyter qui cras laicus] Presbyterorum sæpe meminit, & lib de pœnitent. cap. 9. vbi de confessione agitur Presbyteris aduolui & caris Dei adgeniculari. De quibus latiùs in adnotat. & Cyprianus epist. 3. & ibi Pamel.

Nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt] Quæ paulo ante ordinationes dixit; quemadmodū Cyprianus, ordinationes clericas Auctor libro de exhortat. ad Cast. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per

ordi-

ordinis confessum sanctificatus à Deo. Sed illius institutionem altius ab ipso Christo repetit Dionys. Areopag. Eccles. Hier. cap. 5. vbi indicat institutos quidem à Christo sacerdotes Apostolos, (nempe in nouissima cœna) sed à spiritu sancto consecratos Episcopos in die Pentecostes, quod etiam docet Hieronymus cōtra Lucifer. Cui consecrationi successit Manus impositio: quæ signum est visibile inuisibilis gratiæ, atq; adeò Sacramentum. Quare & sacras ordinationes plerumque vocare solent veteres. Immò & cum signo aliquo visibili seu miraculo frequenter conferebantur sacri ordines tempore Cypriani vt epist. 35. l. P.

CAPVT XLII.

Ἀταξία hæreticorum in verbi administratione, & mutua discordia.

DE verbi autem administratione quid dicam; cùm hoc sit negotium illis, non ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi? *hanc magis gloriam captant si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur*: quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. *Nostra suffodiunt, vt sua ædificent.* Adime illis legem Moysi, & prophetas, & creatorem Deum; accusationem eloqui non habent, ita fit vt *ruinas facilius operentur stantium ædificiorum, quàm exstructionis iacentium ruinarum.* Ad hæc solummodò opera humiles, & blandi & summissi agunt. Cæterùm nec suis præsidibus reuerentiā nouerunt. Et hoc est quod schismata

Heretici non infideles conuertunt, sed Catholicos peruertunt.

apud hæreticos ferè non sunt: quia cùm sint, non parent schismata; est enim vnitas ipsa. *Mentior si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem profectus rei.* Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innouare. Denique penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.

Hæreticorum instabilitas.

ANALYSIS CAP. XLII.

Perstat in asserenda hæreticorum leuitate, quatuor aliis in mediū allatis argumentis. Primum est ipsa doctrinæ infirmitas, quæ peruertere tantū Catholicos, infideles autem conuertere non potest. Vt valdè eleganter *Augustinus comparet hæreticos cum perdicibus, quæ congregant pullos quos non pepererunt.* Cùm è contrario Ecclesia sit columba fœcundissimà, quæ quotidiè nouos pullos parit. Et quos hodiè Gentilium Indorum vel Iudæorum vel Turcarum conuerterūt hæretici? Immò ipsi ad eos præcipiti lapsu inuertūtur, quod de Alamāno, Adamo Neusero, Bernhardino Ochino & aliis clarū est.

lib. 13. cōtra Faustum.

Caluino-Turcism. lib. 1. cap. 2.

II. Irreuerentia erga suos præsides: qua fit, vt nè manifesta quidem inter eos schismata appareant. Cū enim schisma separatio sit à legitimo Ecclesiæ capite vel Præsule, isti verò omnia obedientiæ repagula ita oderint, vt nullum vsquam superiorē agnoscant, vel quos sibi ipsis elegerunt dictatores, parui faciant, facinus facinore tegunt, suarumq; Synagogarum dissipationem leuiter excusant.

III. Ab intestinis hæreticorum dissidiis, quæ ita hodiè apud istos Babylonicæ Turris ædificatores iusto

iusto Dei iudicio inualuerunt, vt vix tres aut quatuor reperias sibi per omnia consentientes. Omnes quidem contra vnā Catholicam Ecclesiam non secus ac Herodes ac Pontius Pilatus contra Christum conspirant, sed cum ad suam religionem explicandam veniunt, in tot diuersas sententias abeunt, vt non regiones tantum & Prouinciæ, sed vrbes etiam, vici, & domicilia nouas semper Ecclesias exhibere videantur. Non de iis loquor capitibus, *in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores salua fidei compage non consonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit & verius*: Sed q̃ad ipsa fidei pertinent fundamenta, & hæreseos nomen verè erranti inurunt, apud hosce homines ita comparata sunt, vt quamuis hanc exulceratam discordiam tegere, ac fraternitatis dextera reconciliare velint, tamen syncretismus hic in ἄσπονδον πόλεμον exeat. In Colloquio Marpurgensi *cum Zuingliani orarent Lutherum, vt se pro fratribus agnosceret, ille nullo modo consentire voluit, sed durius illos allocutus est dicens: Vehementer se mirari, quomodo ipsum fratris loco habere possint, siquidem suam doctrinam veram & piam esse iudicent, sed hoc indicio esse, quod non existiment etiam ipsi, multum in hac causa esse situm.* Ac profectò si in capite causæ conueniunt, vnde tam variæ ac multiplices inter eos sectæ? alii sunt Antinomi, alii Osiandristæ, alii Stancaristæ, alii Maioristæ, alii Flacciani, alii Synergistæ, alii Adiaphoristæ, alii Vbiquitistæ, alii aliis nominibus sordent, & quidem omnes isti ex Lutheri vnius familia. Iam Sacramentarii, alii sunt Zuingliani, alii Caluinistæ, & hi iterum in Anglia duplices, Puritani & Protestantes, in Gallia duplices, Politici & Caussarii. Denique in Belgio itidem duplices, Liberi & Consistoriantes. Anabaptistarum greges ita varii nominis sunt, vt tædeat hisce commemorandis tempus terere. Sed intelligenti pauca. Nullum est

Hæreticorũ intestina bella.

August. lib. 1. contra Iulia. Pelagia.

Confer supra cap. 28.

Tom. 4. operũ Luth.

Secta Lutheranorũ.

Sacramentariorum secta.

certius indicium mendacii, quàm de iisdem diuersa dicere: *nec maius scelus, quàm scindere Ecclesiam, quod ipsam Idololatriam superat*, sicut verissimè dixit Dionysius epistol. ad Nouatum.

IV. Plerique nec Ecclesias habent, sed vagi & instabiles Hamaxobiorum instar hinc inde per syluas sua conuenticula exercent: quæ hodie fatalis Anabaptistarum sors est, hoc etiam nomine stultè ad se rapientium, quod Apocalyps. 12. de muliere in desertum fugiente habetur. Sed non omnis qui patitur, martyr est. Causa est ob quam iustè, causa est ob quam iniquè exules. Paulò aliter Pamelius in Annot. infra.

ANNOTAT. IN CAP. XLII.

Adime illis legem Moysi] Hoc est, desinant Moysi & Prophetis maledicere, & malum suum quendam Deũ iactare: non habebunt, quod obiiciant Christianis. Ita si huius temporis hæreticis probra adimas, quibus in Pontifices, Presbyteros & Ceremonias inuehuntur, sed aliud aliquod fidei nostræ argumentum tractare iubeas, mutierunt. I. P.

Et hoc est, quod schismata ferè apud hæreticos non sunt] Quia nullos morum suorum, vitæ seu doctrinæ magistros & præsides habent: subinde pro libitu singula mutantes & innouantes, quod sanè schisma foret inter Catholicos. Lego autem cum Man. & Rhen. quia quum sint, non parent, (id est, non apparent) schismata, est enim vnitas ipsa. Vt postremum istud Ironicos dictum intelligatur. I. P.

Plerique nec Ecclesias habent, sine matre] id est, matrice Ecclesia: sine sede, Episcopali nẽpe. Illud: quasi sibi latè vagantur: id est: absque mãdato, non missi, omni obedientia soluti prædicant, quaquauersum discurrunt, vagè & incertè per populos & regiones errant. I. P.

CAP.

CAPVT XLIII.

Ἀταξία hæreticorum in commerciis cum magis, aliisq; infamis curiositatis hominibus.

NOtata sunt etiam commercia hæreticorum cum magis quàm pluribus, cũ circulatoribus, cum astrologis, cum Philosophis curiositati scilicet deditis. Quærite & inuenietis, vbique meminerunt. *Adeò & de genere conuersationis qualitas fidei æstimari potest: doctrinæ index disciplina est.* Negant Deum timendum. Itaque libera sunt illis omnia & soluta. *Vbi autem Deus non timetur, nisi vbi non est? vbi Deus non est, nec veritas vlla est? Vbi veritas nulla est, meritò & talis disciplina est.* At vbi Deus, ibi metus in Deum, quæ est initium sapientiæ. Vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia adtonita, & cura solicita, & adiectio explorata, & communicatio deliberata & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & processio modesta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia.

Doctrina index disciplina est.

Gradatio.

Timor Domini initium sapientia.

ANALYSIS CAP. XLIII.

Duo vltima hæreticæ leuitatis argumenta. Vnũ ab infami cũ hominibus sceleratissimis conuersatione: de qua vetus prouerbium, ꝙ qui suis latet, socii moribus cognoscatur. *Pares enim cũ paribus facilimè*

Noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se.

Cic. de senect. *Chrysost. super Mat.* *Seneca Epist. 7.*

facilimè congregantur: & *diuersitas rerum nunquam potest habere concordiam, & multos solicitat societas nefanda.* Hærebit tibi *auaritia, quandiu auaro sordidoq́; conuixeris: herebit tumor, quandiu cum superbis conuersaberis: Incendunt libidines adulterorum sodalitia.*

Hæretici paciscuntur cum Turca.

Nostris hodie hæreticis eadem consuetudo exprobranda venit, & quidē grauior, nisi fortè Turcæ, Mahumetani, meliori apud nos loco sint, quàm Philosophi, Astrologi & Circulatores. *Caroli quinti* temporibus, quoties Turca in auxilium contra eum à protestantibus euocatus est? *Saxo* nō procul VVittenberga Turcicos Legatos ea ætate delitescentes habuit. Quod quamuis aliqui inficientur, inter ipsos tamen hæreticos supersunt, qui haud abnuunt, egoque ex ipsorum ore sæpius audiui.

Caluino Turcis. li. 1. cap. 2 p. 10.

Anno 1575. quum profligatus è Galliis princeps Condæus Basileæ versaretur, atque illic de ratione belli patriæ inferendi cum suis consultaret, Ministri Euangelici suaserunt, quando aliæ rationes causam Euangelicam tuendi viderentur impeditiores, Turcarum principi se submitteret, subsidiumque ab eo impetrans belli flammam perpetuò aleret, & sub Turcarum auspiciis ad Reipub. Christianæ principum ruinam, atque internecionem totis viribus incumberet. *Iidem Galli in secunda sua rebellione* Anno 1568. facto ipso multis

Ex literis Constantinop. scriptis ad Venetum patritium: in fine libri de furoribus Gallicis.

rationibus Turcæ subsidium implorarunt, quod fides protestantium Turcicæ esset quàm simillima, & principes Germani imperatorem à Consiliis contra Turcam impedire, item efficere possent, ne Gallus Hispanum ad Turcas è Maris mediterranei possessione depellendos iuuaret. Futuri præterea ipsi paratissimi ad turbas in Gallia Germaniaque concitandas, quotiescunque magno Imperatori videretur.

Angliæ Regina quam arcta amicitia Imperatori Turcico coniuncta sit, quæque fædera de mutua defensione

defensione cõtra alios omnes fœderatos, amicos, cognatos & fratres, absque vlla exceptione, personarum quarumcunque, cognationis, causæ, aut alterius contractus, iam dudum Reginaldus exposuit lib. 4. Caluino Turcismi cap. 21. Sed quid hoc? nonne id ipsum, quod Poëta ait:

Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.

Et profectò istis non contenti, plurimi ex ea familia ad ipsos principes tenebrarum, & spirituales nequitias aëris amicitiæ suæ terminos prorogarunt. *Haeretici nostri familiares diabolo.* Quòd ne ipsis calumniosè affingere videamur, domesticis ipsorum testimoniis comprobemus. *Lutherus* in libello de Missa priuata fatetur, se no cturno tempore à Satana conuentum, argumenta 5. contra sacrificium Missæ & ordinationem sacerdotum cum eo disputantem addidicisse. Alibi scribit *se probè Diabolum nosse, immò optimè: eundemq; in cubiculo secum inambulare: ac duos se præcipue Ludicros habere operum suorum inspectores, quos credat non vulgares, sed magnos Diabolos esse. Immò Doctores Theologiæ in isto collegio: à quibus etiam per otium argumenta Sacramentariorum & grauiora quidem audiuerit, sed verbo Dei vicerit.* Qualia multa de se horrenda confitetur Tom. 5. f. 485. à In Conui. f. 274. b. 281. b. 259. *Tom. 6. Ien. f. 28. b. Tom. 2. Ien. f. 77. a. In Conui. f. 275 a. 216. a.*

De *Carolostadio* nihil dicam. Lutherus, Kemnitius & Alberus eundem illi Achaten assignant. *Luth. tom. 3. Ien. f. 68. a.*

De *Zuinglio* audiamus historiam, ipsius manu ad posteritatis memoriã consignatam, libello quẽ subsidium Eucharistiæ vocauit tom. 2. f. 249. *Kemn. de Cœna p. 214.*

Cum verò tredecima Aprilis lux appeteret (vera narro adeoq; vera, vt celare volentem conscientia cogat effundere, quod Dominus impertiit, non ignorans, quantis me contumeliis risibusq; exponam) cum inquam, tredecima Aprilis Lux appeteret, visus sum mihi in somno multo cum tædio denuo contendere cum aduersario scriba, sicq; OBMVTVISSE, vt quod verum *Alberus cont. Carol. 2. 4. a. T. 2. a. Zuinglio apparet Spiritus dubius.*

Verum scirem. negante lingua beneficium suum, proloqui non possem qui me an oi Vt solent nonnunquam somnia falsa illudere nocte (nihil enim altius quàm somnium narramus, quod ad nos attinet: tametsi leue non sit, quod PER SOMNIVM DICIMVS *gratia Deo, in cuius solius gloriam ista prodimus) Vehementer turbare Videbatur. Ibi* ἀπὸ μηχανῆς *Visus est monitor adesse*, (ATER FVERIT AN ALBVS, NIHIL MEMINI, somnium enim narro) *qui diceret: Quin ignaue respondes .i. quod Exodi 12. scribitur, est enim phase, hoc est transitus Domini. Protinus Vt hoc phasma Visum est, simul expergefio, & è lecto exsilio, locum apud septuaginta Vndique primum circumspicio, ac de eo coram tota concione pro Virili dissero: qui sermo Vbi acceptus est, quemadmodum pau ò post dicemus, omnibus sacrarum literarum candidatis, qui adhuc non nihil pr pter p rabola obstaculum haerebant, omnem nebulam discussit: factumq; est, Vt tribus istis diebus, cœna Domini; par sceues ac resurrectionis tantum Pascha Christi celebratum sit, quantum ipse nunquam Vidi: eorumq; numerus qui ad allia ollasq; aegyptias respectarent, opinione longe minor esset* Hæc Zuinglius. Nec Anabaptistæ huius sodalitii planè expertes sunt: qua de re vide Manliū in locis Comm de Ecclesia p. 451. Sleidanū anno 25. & 34. Bulling lib. 1. Cont. Anabap. cap. 6. Quæ ergo existimatio istorum hominū esse potest, tam sacrilegæ & abominandæ conuersationis? Diabolus homicida est & mendax ab initio. Itaq; q ... is instinctu vel disciplina sentiunt & loquuntur, nil nisi execrabiles or.i blasphemias coxunt & sectantur. *Ille enim insidiatur Vniuersis, & eos qui Deum nesciunt, errore impedit, stultitia obruit, tenebris circumfundit, ne quis possit ad diuini nominis notitiam peruenire, in quo Vno & sapientia continetur, & Vita perpetua. Eos autem, qui Deum sciunt, dolis & astu aggreditur, Vt aut cupiditate aut libidine inuentat, aut peccatis deprauatos impellat ad mortem. Vel si dolo nihil profecerit, Violentia deiicere conatur.*

Lutherani dicunt fuisse spiritū illum sanctum, qui S lobo appingi solet.

Anabaptistarū commercia.

Conclusio.

Ioan. 8.44.

Lact. lib. 3. Instit.

Atque

Atque hæc de vno hæreticæ leuitatis argumẽto ꝑ hoc capite auctor suggerit. Alterũ est ab ipsorũmet profana licentia, atque intoleranda diuini metus conculcatione, quo tanquam æterna obliuione sepulto, nihil sibi ad salutem periculosum accidere posse autumant. *Hæreticorũ priuata impietas.* Quæ vt tanto robustior spes esset, Lutherus quasi tuba militari libertatẽ Christianam præcinuit, atque vt tanto confidentiorem militẽ haberet, ipse primus vestigia signauit, heri Monachus, hodie sponsus, cras maritus, perendie pater. Qua de re non possum, quin lepidam Erasmi Epistolam, olim ad amicum scriptam, & fortè ante hac paucis visam lectori communicẽ: Cuius authenticum exemplar ipsius Erasmi manu scriptum hic Moguntiæ extat apud Reuerendum & Nobiliss. Dom. Philippum Cratzium à Scharpffenstein, Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinensis præpositum & Archidiaconum &c. Patronum meum dignissimum, quem honoris causa nomino. Epistola autem sic habet. *Epistola Erasmi de fœcũdis Lutheri nuptiis.*

Optima spei Iuueni Danieli Mauchio *Vlmano*, Romæ *in familia* R.D. *Card Campegii.* S.P.

Amantem non redamare Daniel optime, vix ferarum est. Amas Erasmum ex libris cognitum. Ego redamo Danielem ex humanissimis modestissimisq́ literis non ignotum. dictus est Daniel vir desideriorum. quid itaq́ mirum si Desiderius Desiderium desideras? Sed quid narras? Cæteri quietis desiderio relinquunt principum aulas. Et tu velut è fluctibus temet in aulam velut in portum tranquillum contulisti? Nausea *sui similis est, tantum me faciens vbiq́ suis laudibus, quantum esse me immodicè amanti persuasit amor. Montini lepidissimis literis nescio an vacet nunc respondere. Nunciabis illi rem latam.*

Lutherus quod felix faustumq́, deposito Philosophi pallio duxit vxorem, ex clara familia Borna, puellam elegante forma, natam annos 26. sed indotatam & qua pridem desiderat esse vestalis. Atq; vt scias auspicatas fuisse nuptias, pauculis diebus post decantatum hymenæum noua nupta peperit. locatur ille in Crisim sanguinis, verum ea Crisis Orco dedit agricolarũ plus minus centum millia. Nunc remisit se Paroxysmus, & Nausea si venerit, reperiet malum aliquanto moderabilius. Bene vale & noster esto, debes autem si Nauseam sic diligis. Datum Basilea 6. d. Octob. Anno 1525.

Montino salutem plurimam.
Erasm. Rot. Tuus.

ANNOTAT. IN CAP. XLIII.

Cum circulatoribus] Vagi & circumforanei homines sunt, qui noua quæque captando populo circumferunt. Item histriones, qui cantillant in triuiis, & comædias agunt, per hos scilicet proficiunt hæretici. I. P.

Cum Astrologis] Diuinos & ariolos intellige, qui geneses astra & fata crepant, atque his spectris, tanquam de tripode responsis. auctoritatem quærunt apud non intelligentes. Hi ferè fauent hæreticis, vel in hæresim inclinant, aut quod proximũ est, Athei. I. P.

Cum Philosophis] quàm benè Philosophis & hæreticis conueniat, cap. 7. dictum est. I. P.

Doctrina Index disciplinæ] & quales magistri, tales discipuli. Doctrinam nominat à docendo: disciplinam à discendo. I. P.

Negant Deum timendum] Quem hæretici amãdum duntaxat tanquam sola fide Deo satisfiat, prædicant: Catholici timendum pariter & amandũ. Vide Hieronymum in Ose. 4. eleganter est enim & summè

& ſummè iuſtus Deus ideoque timendus. Quo ex timore maxima bona ſequuntur in Eccleſia Cathol. I. P.

Adiecto explorata] Iſtud reſpicit Canon Apoſto. 33. & ſignificat deligens examen, priuſquam recipiatur aliquis in conſortium publicum. Verbum iuris eſt adiectio. I. P.

Promotiò emerita] promotio hic eſt eius q fit Epiſcopus, & aliis in Eccleſia præficitur. Quod fieri de ſolis emeritis in ſuis Eccleſiis canones præcipiunt C. nec emeritis 61. diſtinct. Emeriti milites appellantur, qui militiæ tempus impleuerunt. I. P.

Apparitio deuota] id eſt: Presbyteri, Diaconi, & miniſtri, qui officii cauſa, præſto eſſe ſolent Epiſcopo, per timorem Dei fiunt obſequentes, & deuoti ſuo præſuli. Ita apparitores in lege, & hic Epiſcopalis apparitio, id eſt Epiſcoporum miniſtri. I. P.

Proceſſio modeſta] Propriè Epiſcopus procedere dicitur, quando pedo & mitra decoratus, elata cruce præcedente, cereis ac facibus prælucentibus, de templo aut templi ſacrario progrediens, quem circumſtat vndiquaque clerus, quem ſequitur populus, humi procumbens ad benedictionem. Publicas Litanias & ſupplicationes aptè quoque nunc appellamus proceſſiones. I. P.

CAPVT XLIV.

Concluſio 2. partis νȣθετικὴ, quòd vel metus futuri iudicii ab hæreſibus abſterrere nos debeat.

PRoindè hæc apud nos teſtimonia diſciplinæ ad probationem veritatis accedunt: à qua deuertere nemini expedit, qui

meminerit futuri iudicii: quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal astare reddentes rationē in primis ipsius fidei. *Quid ergò dicent, qui illam stuprauerint adulterio hæretico, virginem traditam à Christo?* credo allegabunt, nihil vnquam sibi ab illo vel ab Apostolis eius, & de ſęuis & peruersis doctrinis futuris prænunciatum, & de cauendis abominandisque præceptum. Agnoscent suam potius culpā, quam suorum, qui nos non antè præstruxerunt. Adiicient prætereà multa *de auctoritate cuiusq; doctoris hæretici*, illos maximè doctrinæ suæ fidem confirmasse, mortuos suscitasse, debiles reformasse, futura significasse, vti meritò Apostoli crederentur: quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis. Itaque veniam merebuntur. Si verò memores Dominicarum & Apostolicarum scripturarum & denunciationum in fide integra steterint, credo de venia periclitabuntur, respondente Domino: prænunciaueram planè futuros fallaciæ magistros in meo nomine & Prophetarum, & Apostolorum etiam, & discentibus meis eadem ad vos prædicare mandaueram, semel Euangelium, & eiusdem regulæ doctrinā Apostolis meis delegaueră: Sed quum vos non crederetis, libuit mihi postea ali-

Mimesis.

Matth. 24. v. 24.

Ironia.

Matth. 28. 19.

qua

qua inde mutare. Resurrectionem promisse iam etiam carnis, sed recogitaui ne implere non possem. Natum me ostenderam ex virgine, sed posteà turpe mihi visum est. Patrem dixeram qui solem & pluuias facit: Sed alius me pater melior adoptauit. Prohibueram vos aurem accommodare hæreticis, sed erraui. Talia capit opinari eos qui exorbitant, & fidei veritatis periculum non cauent.

Ioan. 6.55. *Matth.1.18.* *Matt. 5.45* *Matth.7.15*

ANAL. CAP. XLIV.

Epilogus valdè elegans institutarũ præscriptionum, seuerissimam adnectens parænesin, persistendi in certissima fide Catholica, & ab hæresibus omnibus diuertendi, metu nouissimi iudicii, vbi omnes contra facientes ἀναπολόγητοι tristissimam sententiam subibunt. Quid enim excusabunt quum tam sæpè de vitandis hæresibus moniti sint? cum tam dilucidè contra autoritatem hæreticorum etiam miracula facientium præmuniti? Cùm denique capita doctrinæ, resurrectionis nostræ, incarnationis & natiuitatis Domini ab hæreticis adulteratæ tam perspicuè in scripturis explicata videant? quam suam constantissimam voluntatem nunquàm in æternum quouis repugnante mutabit. Quod totum vt fortius sit, Ironias & Mimesios schemate illustrat author.

Rationes vitandarũ hæresium.

ANNOTAT. IN CAP. XLIV.

Qui illam stuprauerint &c.] Viuentibus Apostolis hæreses caput exerere non ausæ, illis demum extinctis, in Ecclesiæ excidium aduolarunt. Eges. apud Euseb. cap. 3. 32. & iam vigent hæreses, quia pastores & Episcopi deprimuntur à principibus. I. P.

Agnoſcent ſuam potius] Chriſtus & Apoſtoli prænunciarunt venturas & cauendas hæreſes: quod hæreticorum magiſtri non fecerunt: vt iam culpa magiſtrorum diſcipulis pateat. I. P.

Adiicient præterea] De præſtigiis Simonis Magi Menandri & aliorum quibus dementarunt populum, vide Epiphan. Benedictus Deus, qui hoc noſtro leuiſſimo ſeculo huiuſmodi faſa miracula non permittit hæreticis. I. P.

Reſurrectionem promiſeram] coniungit tres hæreſes. I. P.

Talia capit opinari] capit pro: accidit, aut poſſunt, accipit. Ita qui ſemel contumaciter errat, in profundum labitur, neque modum neque finem ſomniorum vel errorum faciens. I. P.

TERTIA

TERTIA LIBRI PARS, SPECIALEM IVDAISMI IV. ET CHRIStianiſmi XXV. Hæreſeon commemorationem continens.

CAPVT XLV.

De Iudaiſmi hæreſibus IV. Doſithei Samaritani, Sadducæorum, Phariſæorum, & Herodianorum.

SEd nunc quidem generaliter actum eſt à nobis aduerſus hæreſes omnes, certis & iuſtis & neceſſariis præſcriptionibus repellendas à conlatione ſcripturarum. De reliquo, ſi Dei gratia annuerit etiam ſpecialiter quibuſdam reſpondebimus. Quorum hæreticorum, vt plura prætercam, pauca perſtringam. Taceo enim Iudaiſmi hæreticos. *Doſitheum* inquam *Samaritanum*, qui primus auſus eſt prophetas, quaſi non in ſpiritu ſancto locutos repudiare. Taceo *Sadducæos* qui ex huius erroris radice ſurgentes, auſi ſunt ad hanc hæreſim etiam reſurrectionem carnis negare. Prætermitto *Phariſæos*, qui additamenta quædam legi adſtruendo à Iudæis diuiſi ſunt: Vnde etiam hoc accipere ipſum quod habent nomen, digni fuerunt: Cum his etiam *Herodianos*, qui Chriſtum Herodem eſſe dixerunt.

Tranſitio per ἀνακεφαλαίωσιν.

Iudaiſmi hæretici 4.

1. Doſitheus.

2. Sadducæi. Matt. 22. 23

3. Phariſæi. Matth. 15. c. 2. 3.

4. Herodiani.

ANALYSIS CAP. XLV.

Hactenus duæ libri partes, præstructio præfationis & præscriptionum aduersus hæreticos Decas, à collatione eos scripturarum iustis rationibus repellendi, & ad aliud certamen, vtrum Christiani sint, qui cum Ecclesia Catholica facere nolunt, reuocandi. Tertia nunc sequitur, specialem XXXI. hæreseon commemorationem continens: de qua vt prolixè deinceps agamus, nulla necessitas videtur, cum non admodum proposito nostro inseruiat, nec obscurum sit quicquam, Pamelii annotationibus adiectis.

Hæreticorum Catalogos iam multi olim & recens texuerunt: Irenæus, Philastrius, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, Euthymius. Damascenus, Isidorus, Rabanus, Honorius, Gratianus: Quibus hoc nostro seculo accedunt, Bernhardus Lutzenburgensis, Gabriel Prateolus, Sanderus de visibili monarchia lib. 7. denique ex hæreticis Schlusselburgius.

Præsens caput quod attinet, duabus id partibus continetur, transitione à superoribus ad sequentia. Deinde quatuor Iudaismi insigniorum hæresium expositione: de quibus plura in annotationibus.

ANNOT. IN CAP. XLV.

Taceo enim Iudaismi hæreticos] Iudaismi hæreses variè recensent: Philaster numero 28. Epiphanius XII. Honorius VIII. Auctor duntaxat quatuor: ex professo prætermittens Essenorũ sectam, quòd ea vel Iosepho teste cæteris sit probabilior, & neq; hæresis dici possit, quod, secundum Eusebium, primi ad fidem Christi conuersi sint, atque adeò primi ex illis Christiani exorti Monachi. De hæresibus Iudaismi latius in annotationibus. I. P.

Dositheum inquam Samaritanum] De hoc Epiphan. hæres. 13. & Hieronym. adu. Lucifer: vt alius videatur Dositheus qui à Theodoreto recensetur fab. hæret. 1. cap. 3. I. P.

Taceo

Taceo Sadduceos] Posteriores Dositheo, sic appellati à Saddoc Iudæo, aut à vt Saddic quod Hebraicè significat iustum. Latè de his Iosephus, Philaster, Epiphanius & Damascenus. De negata resurrectione notus locus in Euangelio. I. P.

Prætermitto Pharisæos] Quod hi additamenta quædam legi adstruxerint, patet Matth. 15. & 23. & apud Epiphan. hær. 16. de Scribis (quos sub Pharisæis comprehendit auctor) & hære. 17. nomen acceperunt ab eo, quod à Iudæis diuisi sunt, & Etymol. Hebraica. I. P.

Cum his etiã Herodianos] ita etiã Philaster, Epiphan. & Damasc. sed de Herode variant quem Damasc. Agrippã intelligit, de quo Act. 10. Herodis magni nepotem: Epiphanius verò alludens ad Herodianos, quorum mentio Matth. 22. Marc. 3. & 12. Herodem magnum sub quo Christus natus est. Vide Epiphan. hær. 20. I. P.

CAPVT XLVI.

De I. II. III. IV. & V. post Euangelium hæresibus, Simonis Magi, Menandri, Saturnini, Basilidis & Nicolai.

AD eos me conuerto, qui ex Euangelio hæretici esse voluerunt. ex quibus est primus omniũ *Simon Magus*, qui in actis Apostolorũ condignã meruit ab Apostolo Petro iustamque sententiam. Hic ausus est summam se dicere virtutem, id est, summum Deum. Mundum autem ab angelis suis institutum: à Dæmone se oberrante, qui esset sapientia, descendisse, 1 *Simon Magus.* *Act. 18. 9. 20. 21.*

 quæ-

quærendum apud Iudæos, ſe in phantaſmate Dei nõ paſſum, ſed eſſe quaſi paſſum.
2. *Menander*, Poſthunc *Menander* diſcipulus ipſius, ſimiliter Magus eadem dicens quæ Simon ipſe: quicquid ſe Simon dixerat, hoc ſe Menander eſſe dicebat, negans habere poſſe quenquam ſalutem, niſi in nomine ſuo baptizatus fuiſſet. Secutus
3. *Saturnius*, eſt poſt hæc & *Saturnius*, & hic ſimiliter dicens, innaſcibilem virtutem, id eſt Deũ, in ſummis & illis infinitis partibus & in ſuperioribus manere, longè autem diſtantes ab hoc Angelos inferiores mundũ feciſſe: Et quia ſplẽdor quidam luminis deſurſum in inferioribus refulſiſſet, ad ſimilitudinẽ illius luminis angelos hominem inſtituere, angelos curaſſe, hunc ſuper terram iacuiſſe reptantem: cuius lumẽ illud & virtutem illã ſuperiorem propter miſericordiam, ſcintillam ſaluam eſſe, cætera hominis perire: Chriſtũ in ſubſtantia corporis non fuiſſe, & phantaſmate tantùm quaſi paſſum fuiſſe: reſurrectionem carnis nullo modo futuram eſſe. Poſtea *Baſilides* hæ-
4. *Baſilides*, reticus erupit: hic eſſe dicit ſummum Deũ nomine *Abraxan*, à quo mentem creatam, quàm Græce νοῦν appellat. Inde verbum ex illo prouidentiã, ex prouidentia virtutẽ & ſapientiã: Ex ipſis inde principatus, & poteſtates, & angelos factos: deinde infinitas angelorũ æditiones & probolas: ab iſtis angelis *trecentos ſexaginta quinque cælos*

inſtitutos

institutos: & mundum in honore *Abraxa*, cuius nomen hunc in se habeat numerum computatum. In vltimis quidem angelis, & qui hunc fecerunt mundum nouissimum ponit Iudæorum Deum: Id est, Deum legis & Prophetarum: quem Deum negat, sed angelum dicit. Huic sortitò obtigisse semen Abrahæ; atque ideò hunc de terra Ægypti filios Israël in terram Chanaan transtulisse. Hunc turbulentiorem præ cæteris angelis, atque ideò & seditiones frequenter & bella concutere, sed & humanum sanguinem fundere. Christum autem non ab hoc qui fecerit mundum, sed ab illa Abraxa missum venisse in phantasmate: sine substantia carnis fuisse. Hunc passum à Iudæis non esse, sed vice ipsius Simonem crucifixum esse: Vnde nec in eum credendum esse qui sit crucifixus, ne quis confiteatur in Simonem credidisse. Martyria negat esse facienda, carnis resurrectionem grauiter impugnat, negans salutem corporibus repromissam. Alter hæreticus *Nicolaus* emersit. hic de septem Diaconis, qui in Actis Apostolorum allecti sunt, fuit. Hic dicit tenebras in concupiscentia luminis, & quidem fœda & obscœna fuisse: ex hac permixtione, pudor est dicere, quæ fœtida & immunda. Sunt & cætera obscœna. Omnes enim refert quosdam turpitudinis natos, & complexus & permixtiones execrabiles obscœnasque coniunctas, & quædam ex ipsis adhuc tur-

5. Nicolaus. Act. 6. 5.

piora. Natos præterea Dæmones, Deos & spiritus septem, & alia satis sacrilega pariter & fœda: quæ referre erubescimus, & iam præterimus. Satis est nobis quòd totam istam hæresim *Nicolaitarum* Apocalypsis Domini grauissima sententiæ auctoritate damnauit, dicendo: *Quia hoc tenes, odisti doctrinam Nicolaitarum, quam & ego odi.*

Apoc. 2. 6.

ANALYSIS CAP. XLVI.

Quinque primas Christianismi hæreses commemorat: de quibus eodem ordine S. Augustinus de hæresibus ad Quoduultdeum.

August. hæres. 1. *Act. 8. 19.*

Simoniani inquit à Simone Mago, qui baptizatus à Philippo Diacono, sicut in Actibus Apostolorum legitur, pecunia voluit emere à S. Apostolis, vt etiam per impositionem manus eius, daretur spiritus sanctus. Hic magicis fallaciis deceperat multos. Docebat autem detestandam turpitudinem indifferenter vtendi fœminis. Nec Deum fecisse mundum. Negabat etiam carnis resurrectionem: & asserebat se esse Christum. Itemque Iouem se credi volebat, Mineruam verò meretricem quandam *Selenen*, quam sibi sociam scelerum fecerat: Imaginesque & suam & eiusdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romæ tanquam Deorum simulachra authoritate publica constituerat. In qua Vrbe beatus Apostolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit. Dixerat enim se in monte Sina legem Moysi in patris persona dedisse Iudæis. Tempore Tyberii in filii persona putatiuè apparuisse: postea se in linguis igneis spiritum sanctum super Apostolos venisse. Christum autem nec venisse, nec à Iudæis quicquam pertulisse.

Menan-

Menandriani à Menandro etiam ipſo Mago diſcipulo eius, qui mundum aſſerebat non à Deo, ſed ab angelis factum. *August. hæreſ. 2.*

Saturniani à quodam Saturnio, qui turpitudinem Simonianam in Syria confirmaſſe perhibetur: qui etiam mundum ſolos angelos ſeptem præter conſcientiam Dei patris feciſſe dicebat. *Aug. hær. 3.*

Baſilidiani à Baſilide, qui in hoc diſtabat à Simonianis, quòd trecentos ſexaginta quinque cœlos eſſe dicebat, quo numero dierum annus includitur. Vnde etiam quaſi ſanctum commendabat, ἀβραξας, cuius nominis literæ ſecundum Græcam ſupputationem eundem numerum complēt. Sunt enim VII. α & β & ρ & α & ξ & α & ς. id eſt vnum & duo, & centum & vnum, & ſexaginta & vnum, & ducenta, quæ fiunt in ſumma trecenta ſexaginta quinque. (Mundum iſtum vel hominem nón credunt à Deo factum, ſed à trecenteſimo ſexageſimo quinto cœlo. Amatoria carmina ſtudioſè diſcunt. A Iudæis non credunt Chriſtum crucifixum, ſed Simonem Cyrenenſem, qui angariatus ſuſtulit crucem eius.) *August. hæreſ 4.* *ἀβραξας.*

Nicolaitæ à Nicolao nominati ſunt, vno, vt perhibetur ex illis ſeptem, quos Apoſtoli Diaconos ordinauerant. Iſte cùm de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, velut purgandi ſe cauſa permiſiſſe fertur, vt ea qui vellet vteretur. Quod eius factum in ſectam turpiſſimam verſum eſt, qua placet vſus indifferens fœminarum. Hi nec ab iis quæ Idolis immolantur, cibos ſuos ſeparant: & alios ritus gentilium ſuperſtitionum non aduerſantur. Narrant etiam fabuloſa de mundo, neſcio quæ barbara principum nomina miſcentes diſputationibus ſuis, quibus terreant auditores, quæ prudentibus riſum potius faciunt, quàm timorem. Intelliguntur autem etiam iſti non Deo tribuere creaturam, ſed quibuſdam pote- *August. hæreſ. 5.* *Act. 6. 5.*

potestatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate, vel credunt.

ANNOTAT. IN CAP. XLVI.

Hæres. 1. *Primus omnium Simon Magus*] Prima post Christum hæresis Simonis Magi, etiam Epiphanio hær. 21. Euseb. libr. 2. c. 12. Niceph. 2. c. 14. & ante hos Ignat. epist. ad Trallienses, Cyrill. Hierosf. catech. 6. Irenæ. 1. cap. 20. adhæc Philast. Theodoret. & D. Luc. Actor. 8. & August. hær. 1 qui de hoc latius. claruit Claudio & Nerone Cæsaribus. I. P.

Hæres. 2. *Post hunc Menander*] de quo latius Iren. libr. 1. c. 21. Euseb. 3. c. 20. Phila. Epipha. Theodor. & alii quē fugiendum monet Ignat. epist. ad Trall. vixit sub Vespasiano auct. Niceph. lib. 3. cap. 12. I. P.

Hæresis 3. *Secutus est posthac & Saturnius*] Quem Saturnilum vocat Epiphan. hær. 23. & Theodoret de quo etiam Irenæus cap. 22. Philast. August. Damasc. & Auctor lib. de anima sub Adriano eum commemorat. Euseb. lib. 4. c. 7. vt etiam Theodor. & Clemens Alex. lib. 7. stomatum. I. P.

Hæres. 4. *Postea Basilides hæreticus erupit*] Alexandrinus in Aegypto virus suum spargit, Euseb. vbi supra, & Irenæ. c. 23. D. Hieron. comm. in Amos, Mithram sub eodem aliarum literarum numero esse scribit, quem Basilides Abraxas portentuoso nomine appellauit. Similiter B B. Irenæ. & August. hær. 4. per literas septem Græcas vocis ἀβραξας explicat illud authoris: *Cuius nomen in se habeat numerum computatum.* Nam inquit, α & β vnum & duo, ρ & α centum & vnum ξ & α, sexaginta & vnum, & ς. ducenta faciunt, quæ fiunt in summa CCCLXV. Nec dissentiunt Epiphan. Theodor. & Damasc. nisi quod: *Abraxax* legunt, vbi tamen eædem Græcæ literæ. *Aeditiones & probola* Synonyma sunt. Et quod sequitur, *Vice ipsius Simonem crucifixum esse*, Cyre-

Cyrenæum nempe, vt etiam Auguſtin. & alii intelligunt. Vixit ſub Adriano Cęſare Euſeb. & Theodoret. teſtibus. I. P.

Alter hereticus Nicolaus emerſit] Fuit hæc hæreſis reuera ſecunda, & Simoni Mago contemporanea, quàm Auctor quidem attribuit Nicolao, de quo in Actis, quemadmodum Philaſt. Epiphan. Damaſcen. & Hieronymus aliquot locis, ſed aliter Clemen. Alexand. 3. Strom. & poſt eum Euſeb. 3. cap. 23. Auguſtin. hæret. 5. Theodor. hær. fab. 3. Nicephor. 3. cap. 15. *Nicolaum* excuſant, ſed duntaxat ab illo dictos *Nicolaitas* accuſant. Hinc puto ſic legi debere apud B. Ignat. epiſt. ad Trall. *Fugite quoque & immundiſſimos Nicolaitas, amatores libidinis, malos calumniatores, nam talis non fuit Apoſtolorum miniſter Nicolaus.* B. denique Irenæ. 1. cap. 27. Honorius, Iſidorus, Hrabanus & Gratianus dubiè loquuntur. & D. Iohannes in Apocalypſ. non niſi Nicolaitas fugiendos mandat. Philaſtrius & Epiphanius latiùs proſequuntur illos *quoſdam turpitudinis natos*, & cæt. Reliqui verò Irenæus, Euſebius, Clemens Alexandrinus, Theodoretus, Iſidorus, &c. Nicolaitas non aliud faciunt, quàm adſertores libidinis atque luxuriæ. *Vixit Nicolaus* Apoſtolorum tempore, atque adeò Claudii aut Neronis. I. P. *Hæreſ. 5.*

CAPVT XLVII.

De VI. VII. & VIII. hæreſibus, Ophitarum, Caineorum & Sethoitarum.

Acceſſerunt his hæretici etiam illi, qui *Ophitæ* nuncupatur. Nam ſerpentem magnificant in tantum, vt illum etiam *6. Ophitæ ſerpentem colunt.*

etiam ipſi Chriſto præferant. Ipſe enim, inquiunt, Scientiæ nobis boni & mali originem dedit. Huius animaduertens potentiam & maieſtatem Moyſes, inquiunt, æreum poſuit ſerpentem: Et quicunque ipſum aſpexerunt, ſanitatem conſecuti ſunt. Ipſe aiunt, prætereà Chriſtus in Euangelio ſuo imitatur ſerpentis ipſius ſacram poteſtatem, dicendo: Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Ipſum introducunt ad benedicenda Euchariſtica ſua. Sed tota iſtius erroris & ſcena & doctrina inde fluxit. Dicunt enim de illo ſummo primario æone complures alios æones extitiſſe inferiores; omnibus tamen iſtis æonem ante ſtare, cuius ſit nomen *Ialdabaoth*. Hunc autem conceptum eſſe ex altero æone æonibus inferioribus permixto: ſeque poſteà cùm in ſuperiora voluiſſet eniti, grauitate materiæ permixta ſibi, non potuiſſe ad ſuperiora peruenire, in medietate relictum, extendiſſe totum, effeciſſe ſic cœlum. *Ialdabaoth* tamen inferiùs deſcendiſſe, & feciſſe ſibi filios ſeptem: quem occluſiſſe ſuperiore dilatatione; vt quia angeli quæ ſuperiora eſſent, ſcire non poſſent, ipſum ſolum Deum putarent. Virtutes igitur illas & angelos inferiores hominem feciſſe: & quia ab infirmioribus & mediocribus virtutibus inſtitutus eſſet, quaſi vermem iacuiſſe reptantem: Illum verò

verò æonem ex quo *Ialdabaoth* processisset, inuidia commotum, scintillam quandam iacenti homini immisisse, qua excitatus per prudentiam saperet, & intelligere posset superiora. Sic rursum *Ialdabaoth* istum in indignationem conuersum, ex semetipso edidisse virtutem & similitudinem serpentis: Et hanc fuisse virtutem in paradiso, id est istum fuisse serpentem, cui Eua quasi filio Dei crediderat. Decerpsit, inquiunt, de fructu arboris, atque ideò generi humano scientiam bonorum & malorum contribuit. Christum autem non in substantia carnis fuisse: Salutem carnis sperandam omninò non esse. Nec non etiam erupit alia quoque hæresis, quæ dicitur *Cainæorum*. Et ipsi enim magnificant Cain, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata sit in ipso. Nam Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatum: & ideò inferiorem repertum. Hi qui hoc adferunt, etiam Iudam traditorem defendunt, admirabilem illum & magnum esse memorantes, propter vtilitates quas humano generi contulisse iactatur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Iudæ propter hanc causam reddendam putant. Animaduertens enim, inquiunt, Iudas, quòd CHRISTVS vellet veritatem subuertere, tradidit illum, ne subuerti veritas posset. Et alii sic contrà disputant & dicunt: Quia

7. *Cainæi præferunt Abeli Cainũ, & Iudam laudãt proditorem.*

Quia potestates huiusmodi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens generis humani, tradidit Christum, vt salus quæ impediebatur per virtutes, quæ obsistebant ne pateretur Christus, impedire omninò non posset: & ideò per passionem Christi non posset salus humani generis retardari. Sed & illa hæresis processit, quæ dicitur Setthoitarum. Huius peruersitatis doctrina hæc est: Duos homines ab angelis constitutos, Cain & Abel: propter hos magnas inter angelos contentiones & discordias extitisse; ob hanc causam illam virtutem quæ super omnes virtutes esset, quam matrem pronuntiant, dum Abel interfectũ dicerent, voluisse nasci concipi & hunc Seth loco Abelis: vt euacuarentur angeli illi, qui duos priores illos homines condidissent, dum hoc semen mundum oritur & nascitur. Permixtiones enim dicunt angelorum, & hominũ iniquas fuisse: ob quam causam illam virtutem, quam (sicut diximus) pronuntiant matrem, ad vindictam etiam *cataclysmum* inducere, vt & illud permixtionis semen tolleretur: & hoc solum semen, quod esset purum, integrum custodiretur. Seth enim illos qui seminis illos prioris instituissent, occultè & latenter; & ignorante illa matre virtute, cum illis octo animabus in arcam misisse etiam semen Cain, quo semen malitiæ non peri-

8. *Sethoitæ.*

ret,

ret, ſed cum cæteris conſeruatum & poſt cataclyſmum terris redditum, exemplo cæterorum excreſceret, & effunderetur, & totum orbem & impleret & occuparet. De Chriſto autem ſic ſentiunt, vt dicant illum tantummodò Seth; & pro ipſo Seth ipſum fuiſſe.

ANALYSIS CAP. XLVII.

Facile eſt hic capita pro numero hæreticorum diſtinguere. Tres igitur partes totidem hæretici efficiunt, Ophitæ, Caiani, Sethoitæ: de quibus eodem ordine Auguſtinus.

OPHITAE inquit à colubro nominati ſunt; coluber enim Græcè ophis dicitur. Hunc autem (colubrum qui decepit Adam & Euam) Chriſtum arbitrantur, ſed habent etiam verum colubrum quem nutriant & venerantur. Qui & incantante ſacerdote egreditur de ſpelunca, & aſcendit ſuper altare, innixum ſpeluncę, & oblationes eorum lambit, & inuoluens ſe circa eas, regreditur ad ſpeluncam: & ita confringunt oblationes in Euchariſtiam, quaſi à ſerpente Chriſto, vt illi putant, ſanctificatas. Tradunt huius ſerpentis cultum à Nicolaitis ſiue Gnoſticis ad eos deductum. *Aug. hær. 17*

CAIANI propterea ſic appellati, quoniam Cain honorant, dicentes eum fortiſſimæ eſſe virtutis: ſimul & Iudam traditorem diuinum aliquid putant eſſe, & ſcelus beneficium deputant: aſſerentes eum præſciſſe quantum eſſet generi humano Chriſti paſſio profutura, & occidendum Iudęis propterea tradidiſſe: illos etiam, qui ſchiſma facientes in primo populo Dei, terra dehiſcente perierunt (Chore, Dathan & Abiron) & Sodomitas colere perhibentur. Blaſphemant legem, & Deum legis authorem, carniſq; reſurrectionem negant. *Aug. hæres 18.* *Num. 16. 32*

Aug. hæres 19. SETHIANI Nomen acceperunt à filio Adæ, qui vocatus est SETH: eum quippe honorant, sed fabulosa & hæretica vanitate. Dicunt enim eum de superna matre natum, quam perhibent conuenisse cum superno patre: Vnde diuinum semen aliud nasceretur tanquam filiorum Dei. Hi quoque multa de principatibus & potestatibus vanissima fabulantur: quidam eos dicunt SEM filium Noë Christum putare.

ANNOTAT. IN CAP. XLVII.

Hæres. 6. *Qui OPHITAE nuncupantur*] Nam serpens, quem colebant, Græcè ὄφις est. Clemens Alexand. 7. strom. Ophianos vocat. Lego: Eucharistica pro eo, quod erat Eucharistia, quæ nusquam neutro, & plurali numero legitur. Hæc autem nefanda Ophitarum mysteria explicat B. August. *Ialdabaoth* interpretatur, Patres generans. Quo de latiùs Irenæ. Epiphan. hær. 27. August. & Theodoret. I. P.

Hæres. 7. *Erupit alia hæresis quæ dicitur CAINAEORVM*] Fortè, qui alibi Caiani dicuntur Auctori: Vt etiam Philastrio. Epiphan. Augustin. Damasc. & Hieron. Clementi Alex. Caianistæ. Irenæo & Theodor. magis propriè Caini. I. P.

Hæres. 8. *SETTHOITARVM*] Iidem Sethiani vocantur ab Epiphanio, Theodor. & Damasc. dicti à Seth Adæ filio, quem etiam venerabantur, testibus Philastrio & Augustino. I. P.

CAPVT XLVIII.

De IX. X. XI. hæresibus post Euangelium Carpocratis, Cerinthi & Hebionis.

9. Carpocrates. CArpocrates prætereà hanc tulit sectam. Vnã esse dicit virtutem in superioribus principalem; ex hac prolatos angelos atq; virtu-

virtutes: quos distantes longè à superioribus virtutibus mundum istum in inferioribus partibus condidisse: Christum non ex Virgine natum, sed ex semine Ioseph, hominem tantummodò genitum, sanè præ cęteris iustitiæ cultu, vitæ integritate meliorem: hunc apud Iudæos passum: solam animam ipsius in cœlo receptam, eò quòd & firmior & robustior cæteris fuerit: ex quo colligeret, tentata animarum sola salute, nullas corporis resurrectiones. Post hunc *Cerinthus* hæreticus erupit, similia docens. *10. Cerinthus.* Nam & ipse mundum institutum esse ab illis dicit: Christum ex semine Ioseph natum proponit, hominem illum tantùmmodò sine diuinitate contendens, ipsam quoq; legem ab angelis datam perhibens: Iudæorum Deum non Dominum, sed angelum promens. Huius successor *Hebion* fuit, Cerintho non in omni parte consentiens; *11. Hebion.* quod à Deo dicat mundum non ab angelis factum: & quia scriptum sit, nemo discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum, legem etiam proponit, scilicet ad excludendum Euangelium, & vindicandum Iudaismum.

ANALYSIS CAP. XLVIII.

De tribus quas iterum distinctè commemorat hæresibus, hæc Augustinus.

CARPOCRATIANI sunt à Carpocrate, *August. hæres 7.* qui docebat omnem turpē operationem, omnemq; adinuentionem peccati: nec aliter euadi atque

transiri principatus & potestates, quibus hæc placent, vt possit ad cœlum superius peruenire. Hic etiam Iesum hominem tantummodo, & de vtroque sexu natum putasse perhibetur, sed accepisse talem animam, quæ sciret ea quæ superna essent atque nunciaret. Resurrectionem corporis simul cum lege abiiciebat. Negabat mundum à Deo factum, sed nescio à quibus virtutibus. Sectæ ipsius fuisse traditur quædã *Marcellina*, quæ colebat imagines Iesu & Pauli & Homeri, & Pythagoræ, adorando incensumque ponendo.

Aug. hæres. 8. CERINTHIANI à Cerintho, iidemq; Merinthiani à Merintho, mundum ab angelis factum esse dicentes: & carne circumcidi oportere, atque alia huiusmodi legis præcepta seruari. Iesum hominem tantummodò fuisse nec surrexisse, sed resurrecturum asseuerantes. Mille quoque annos post resurrectionem in terreno regno Christi secundum carnales ventris & libidinis voluptates, futuros fabulantur, vnde etiam Chiliastæ sunt appellati.

Aug hæres. 12. HEBIONEI Christum etiam tantummodò hominem dicunt. Mandata carnalia legis obseruant, circumcisionem scilicet carnis, & cætera à quorum oneribus per nouum testamentum liberati sumus. Huic hæresi Epiphanius Sanseos & Elceseos ita copulat, vt sub eodem numero, tanquam vna sit hæresis, ponat, aliquid tamen interesse significans. Quamuis & in consequentibus loquatur de illis, ponens eos sub numero suo; Eusebius verò Elcesaitarum sectam commemorans, fidem in persecutione dicit negandam docuisse, & in corde seruandam.

ANNOTAT. IN CAP. XLVIII.

Hæres. 9. *Vnam esse dicit Virtutem*] A Carpocrate, Carpocratiani. & sic videtur corrigendus Epiphanius, qui habet Carpocras. De hoc latiùs sæpè dicti Auctores su-

res ſuprà. Quod ait tentata animarum ſola ſalute, id eſt: quandoquidem ſola animæ ſalus credatur: errorem eius de Metempſychoſi & reliquos, vide apud auctorem libr. de anima. Gnoſticorum præcipuus refertur ab Irenæo, Euſeb. &c. vixiſſe ſub Adriano cum Baſilide: genere Alexandrinus. vti refert Theodoretus. I. P.

Poſt hunc Cerinthus] Illud: poſt non ordinem temporis, ſed narrationis ſignificat. Erupit enim ſub Apoſtolis Cerinthus, vt latè Philaſtrius & Epiphanius, vt quem D. Iohan. in balneo reperiens fugerit. Irenæus 3. cap. 3. Euſeb. 4. 22. Epiphan. hæreſ. 30. narrat hoc de Hobione, vt videatur corrigendum de Cerintho. Vide etiam Hieron. in catal. ſcript. Eccleſ. Attribuunt illi Auguſtinus & poſteriores Chiliaſtrum errorem, à quo quum alieni non fuerint Irenæus & Tertull. ex propoſito omiſiſſe videntur: Corrigendi Iſidorus & Honorius qui leg. Cirinthus & Cirinthiani. I. P. *Hæreſ. 10.*

Huius ſucceſſor Hebion] Præponunt alii Hebionem Cerintho, ſed eodem tempore vixerunt vnà cum B. Iohanne Apoſtolo, vti conſtat ex catal. Hieronymi. Nominis Etymologiam, ac ſi dicas meritis inopem, ex Hebræo reddit Euſebius. I. P. *Hæreſ. 11.*

CAPVT XLIX.

De XII. XIII. XIV. hæreſibus poſt Euangelium, Valentini, Ptolomæi, ac Secundi & Heracleonis.

V*Alentinus* autem hæreticus multas introduxit fabulas: has ego circunducens breuiter expediam. Introducit enim pleroroma & Æones triginta: Exponit autem hos per Syzygias, id eſt cõiugationes quaſ- *12. Valentinus*

 dam

dam. Nam dicit in primis esse *Bython* & *Silentium*; ex his processisse semen, mente & veritatem: Ex quibus erupisse verbum & vitam: de quibus rursum creatum hominem & Ecclesiam. Sed enim ex his processisse duodecim æonas? de sermone autem & vita æonas alios decem: hanc esse ęonum triacontada, quę fit in pleromate ex ogdoade & decade, ac dyodecade. Tricesimum autem æonem, *Bython* illum videre voluisse, & ad videndum illum ausum esse in superiora pleromatis conscendere. Et quoniam ad magnitudinem ipsius videndam capax non fuit, in defectione fuisse, & penè dissolutum esse, nisi quia missus ad constabiliendum illum ille quem appellant *Horon*, confirmasset illum dicto *Iao*. Hoc pronunciatio appellat: Istum autem æonem in defectionem factum *Achamoth*, dicit in passionibus desiderii quibusdam fuisse & ex passionibus materias edidisse. Expauit enim, inquit, & extimuit, & contristata est, & ex his passionibus concepit & edidit. Hinc fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæcunque sunt in eis, ob quam causam omnia infirma esse & fragilia, & caduca, & mortalia quæcunque sunt ab ipso facta: Quoniam quidem ipse fuerit de Aporiatione conceptus atque prolatus: hunc tamen instituisse istum mundum ex his materiis, quas *Achamoth*, vel pauendo, vel timendo, vel contristando,

vel

vel ſudando præſtiterat. Nam ex pauore, inquit, tenebræ factæ ſunt ſ ex timore & ignorantia, ſpiritus nequitiæ & malignitatis: ex triſtitia & lachrymis, humida fontiũ fluminũ materia, marisq;. Chriſtum autem miſſum ab alio propatore qui eſt *Bythos*. Hunc autem in ſubſtantia corporis noſtra non fuiſſe, ſed ſpiritale neſcio quod corpus de cœlo deferentem, *quaſi aquam per fiſtulam, ſic per Mariam Virginem tranſmeaſſe*, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. Reſurrectionem huius carnis negat, ſed alterius, legis & prophetarum quædam probat, quædam improbat: id eſt omnia improbat, dum quædam reprobat. Euangelium habet etiam ſuum, præter hæc noſtra. Poſt hunc extiterunt *Ptolomæus* & *Secundus* hæretici, qui cum Valentino per omnia conſentiunt. In illo ſolo differunt. Nam cùm Valentinus Æonas tantum triginta finxiſſet, iſti addiderunt alios complures; quatuor enim primum, deinde alios quatuor aggregauerunt. Et quod dicit Valentinus, æonem trigeſimum exceſſiſſe de pleromate vt in defectionem, negant iſti. Non enim ex illa triacontade fuiſſe hunc qui fuerit in defectionem, propter deſiderium videndi propatoris. Extitit præterea *Heracleon* alter Hæreticus, qui cùm Valentino paria ſentit, ſed nouitate quadam pronunciationis vult videri alia ſentire.

13. *Ptolomæus & Secundus.*

14. *Heracleon.*

etiam ipſi Chriſto præferant. Ipſe enim, inquiunt, Scientiæ nobis boni & mali originem dedit. Huius animaduertens potentiam & maieſtatem Moyſes, inquiunt, æreum poſuit ſerpentem: Et quicunque ipſum aſpexerunt, ſanitatem conſecuti ſunt. Ipſe aiunt, prætereà Chriſtus in Euangelio ſuo imitatur ſerpentis ipſius ſacram poteſtatem, dicendo: Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Ipſum introducunt ad benedicenda Euchariſtica ſua. Sed tota iſtius erroris & ſcena & doctrina inde fluxit. Dicunt enim de illo ſummo primario æone complures alios æones extitiſſe inferiores; omnibus tamen iſtis æonem ante ſtare, cuius ſit nomen *Ialdabaoth*. Hunc autem conceptum eſſe ex altero æone æonibus inferioribus permixto: ſeque poſteà cùm in ſuperiora voluiſſet eniti, grauitate materiæ permixta ſibi, non potuiſſe ad ſuperiora peruenire, in medietate relictum, extendiſſe totum, effeciſſe ſic cœlum. *Ialdabaoth* tamen inferiùs deſcendiſſe, & feciſſe ſibi filios ſeptem: quem occluſiſſe ſuperiore dilatatione; vt quia angeli quæ ſuperiora eſſent, ſcire non poſſent, ipſum ſolum Deum putarent. Virtutes igitur illas & angelos inferiores hominem feciſſe: & quia ab infirmioribus & mediocribus virtutibus inſtitutus eſſet, quaſi vermem iacuiſſe reptantem: Illum verò

verò æonem ex quo *Ialdabaoth* processisset, inuidia commotum, scintillam quandam iacenti homini immisisse, qua excitatus per prudentiam saperet, & intelligere posset superiora. Sic rursum *Ialdabaoth* istum in indignationem conuersum, ex semetipso edidisse virtutem & similitudinem serpentis: Et hanc fuisse virtutem in paradiso, id est istum fuisse serpentem, cui Eua quasi filio Dei crediderat. Decerpsit, inquiunt, de fructu arboris, atque ideò generi humano scientiam bonorum & malorum contribuit. Christum autem non in substantia carnis fuisse: Salutem carnis sperandam omninò non esse. Nec non etiam erupit alia quoque hæresis, quæ dicitur *Cainæorum*. Et ipsi enim magnificant Cain, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata sit in ipso. Nam Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatum: & ideò inferiorem repertum. Hi qui hoc adserunt, etiam Iudam traditorem defendunt, admirabilem illum & magnum esse memorantes, propter vtilitates quas humano generi contulisse iactatur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Iudæ propter hanc causam reddendam putant. Animaduertens enim, inquiunt, Iudas, quòd CHRISTVS vellet veritatem subuertere, tradidit illum, ne subuerti veritas posset. Et alii sic contrà disputant & dicunt: Quia

7. *Cainæi præferunt Abeli Cainũ, & Iudam laudãt proditorem.*

Quia poteſtates huiuſmodi nolebant pati Chriſtum, ne humano generi per mortem ipſius ſalus pararetur, ſaluti conſulens generis humani, tradidit Chriſtum, vt ſalus quæ impediebatur per virtutes, quæ obſiſtebant ne pateretur Chriſtus, impedire omninò non poſſet: & ideò per paſſionem Chriſti non poſſet ſalus humani generis retardari. Sed & illa hæreſis proceſſit, quæ dicitur Setthoitarum. Huius peruerſitatis doctrina hæc eſt: Duos homines ab angelis conſtitutos, Cain & Abel: propter hos magnas inter angelos contentiones & diſcordias extitiſſe; ob hanc cauſam illam virtutem quæ ſuper omnes virtutes eſſet, quam matrem pronuntiant, dum Abel interfectũ dicerent, voluiſſe naſci concipi & hunc Seth loco Abelis: vt euacuarentur angeli illi, qui duos priores illos homines condidiſſent, dum hoc ſemen mundum oritur & naſcitur. Permixtiones enim dicunt angelorum, & hominũ iniquas fuiſſe: ob quam cauſam illam virtutem, quam (ſicut diximus) pronuntiant matrem, ad vindictam etiam *cataclyſmum* inducere, vt & illud permixtionis ſemen tolleretur: & hoc ſolum ſemen, quod eſſet purum, integrum cuſtodiretur. Seth enim illos qui ſeminis illos prioris inſtituiſſent, occultè & latenter; & ignorante illa matre virtute, cum illis octo animabus in arcam miſiſſe etiam ſemen Cain, quo ſemen malitiæ non periret,

8. *Sethoitæ.*

ret, sed cum cæteris conseruatum & post cataclysmum terris redditum, exemplo cæterorum excresceret, & effunderetur, & totum orbem & impleret & occuparet. De Christo autem sic sentiunt, vt dicant illum tantummodò Seth; & pro ipso Seth ipsum fuisse.

ANALYSIS CAP. XLVII.

Facile est hic capita pro numero hæreticorum distinguere. Tres igitur partes totidem hæretici efficiunt, Ophitæ, Caiani, Sethoitæ: de quibus eodem ordine Augustinus.

OPHITAE inquit à colubro nominati sunt; coluber enim Græce ophis dicitur. Hunc autem (colubrum qui decepit Adam & Euam) Christum arbitrantur, sed habent etiam verum colubrum quem nutriant & venerantur. Qui & incantante sacerdote egreditur de spelunca, & ascendit super altare, innixum speluncę, & oblationes eorum lambit, & inuoluens se circa eas, regreditur ad speluncam: & ita confringunt oblationes in Eucharistiam, quasi á serpente Christo, vt illi putant, sanctificatas. Tradunt huius serpentis cultum à Nicolaitis siue Gnosticis ad eos deductum. *Aug. hær. 17*

CAIANI propterea sic appellati, quoniam Cain honorant, dicentes eum fortissimæ esse virtutis: simul & Iudam traditorem diuinum aliquid putant esse, & scelus beneficium deputant: asserentes eum præscisse quantum esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Iudęis propterea tradidisse: illos etiam, qui schisma facientes in primo populo Dei terra dehiscente perierunt (Chore, Dathan & Abiron) & Sodomitas colere perhibentur. Blasphemant legem, & Deum legis authorem, carnisq; resurrectionem negant. *Aug. hæres 18.* *Num. 16. 32*

Aug. hæres. 19. SETHIANI Nomen acceperunt à filio Adæ, qui vocatus est SETH: eum quippe honorant, sed fabulosa & hæretica vanitate. Dicunt enim eum de superna matre natum, quam perhibent conuenisse cum superno patre: Vnde diuinum semen aliud nasceretur tanquam filiorum Dei. Hi quoque multa de principatibus & potestatibus vanissima fabulantur: quidam eos dicunt SEM filium Noë Christum putare.

ANNOTAT. IN CAP. XLVII.

Hæres. 6. *Qui OPHITAE nuncupantur*] Nam serpens, quem colebant, Græcè ὄφις est. Clemens Alexand. 7. strom. Ophianos vocat. Lego: Eucharistica pro eo, quod erat Eucharistia, quæ nusquam neutro, & plurali numero legitur. Hæc autem nefanda Ophitarum mysteria explicat B. August. *Ialdabaoth* interpretatur, Patres generans. Quo de latiùs Irenæ. Epiphan. hær. 27. August. & Theodoret. I. P.

Hæres. 7. *Erupit alia hæresis qua dicitur CAINAEORVM*] Fortè, qui alibi Caiani dicuntur Auctori: Vt etiam Philastrio. Epiphan. Augustin. Damasc. & Hieron. Clementi Alex. Caianistæ. Irenæo & Theodor. magis propriè Caini. I. P.

Hæres. 8. *SETTHOITARVM*] Iidem Sethiani vocantur ab Epiphanio, Theodor. & Damasc. dicti à Seth Adæ filio, quem etiam venerabantur, testibus Philastrio & Augustino. I. P.

CAPVT XLVIII.

De IX. X. XI. hæresibus post Euangelium Carpocratis, Cerinthi & Hebionis.

9. Carpocrates. CArpocrates præterea hanc tulit sectam. Vnã esse dicit virtutem in superioribus principalem; ex hac prolatos angelos atq; virtu-

virtutes: quos distantes longè à superioribus virtutibus mundum istum in inferioribus partibus condidisse: Christum non ex Virgine natum, sed ex semine Ioseph, hominem tantummodò genitum, sanè præ cęteris iustitiæ cultu, vitæ integritate meliorem: hunc apud Iudæos passum: solam animam ipsius in cœlo receptam, eò quòd & firmior & robustior cæteris fuerit: ex quo colligeret, tentata animarum sola salute, nullas corporis resurrectiones. Post hunc *Cerinthus* hæreticus erupit, similia docens. *10. Cerinthus.* Nam & ipse mundum institutum esse ab illis dicit: Christum ex semine Ioseph natum proponit, hominem illum tantùmmodò sine diuinitate contendens, ipsam quoq; legem ab angelis datam perhibens: Iudæorum Deum non Dominum, sed angelum promens. Huius successor *Hebion* fuit, Cerintho non in omni parte consentiens; *11. Hebion.* quod à Deo dicat mundum non ab angelis factum: & quia scriptum sit, nemo discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum, legem etiam proponit, scilicet ad excludendum Euangelium, & vindicandum Iudaismum.

ANALYSIS CAP. XLVIII.

De tribus quas iterum distinctè commemorat hæresibus, hæc Augustinus.

CARPOCRATIANI sunt à Carpocrate, *August. hæres 7.* qui docebat omnem turpē operationem, omnemq; adinuentionem peccati: nec aliter euadi atque

transiri principatus & potestates, quibus hæc placent, vt possit ad cœlum superius peruenire. Hic etiam Iesum hominem tantummodo, & de vtroque sexu natum putasse perhibetur, sed accepisse talem animam, quæ sciret ea quæ superna essent atque nunciaret. Resurrectionem corporis simul cum lege abiiciebat. Negabat mundum à Deo factum, sed nescio à quibus virtutibus. Sectæ ipsius fuisse traditur quædã *Marcellina*, quæ colebat imagines Iesu & Pauli & Homeri, & Pythagoræ, adorando incensúmque ponendo.

Aug. hæres. 8.

CERINTHIANI à Cerintho, iidemq; Merinthiani à Merintho, mundum ab angelis factum esse dicentes: & carne circumcidi oportere, atque alia huiusmodi legis præcepta seruari. Iesum hominem tantummodò fuisse nec surrexisse, sed resurrecturum asseuerantes. Mille quoque annos post resurrectionem in terreno regno Christi secundum carnales ventris & libidinis voluptates, futuros fabulantur, vnde etiam Chiliastæ sunt appellati.

Aug hæres. 12.

HEBIONEI Christum etiam tantummodò hominem dicunt. Mandata carnalia legis obseruant, circumcisionem scilicet carnis, & cætera à quorum oneribus per nouum testamentum liberati sumus. Huic hæresi Epiphanius Sanseos & Elcesæos ita copulat, vt sub eodem numero, tanquam vna sit hæresis, ponat, aliquid tamen interesse significans. Quamuis & in consequentibus loquatur de illis, ponens eos sub numero suo; Eusebius verò Elcesaitarum sectam commemorans, fidem in persecutione dicit negandam docuisse, & in corde seruandam.

ANNOTAT. IN CAP. XLVIII.

Hæres. 9.

Vnam esse dicit virtutem] A Carpocrate, Carpocratiani. & sic videtur corrigendus Epiphanius, qui habet Carpocras. De hoc latiùs sæpè dicti Auctores su-

res ſuprà. Quod ait tentata animarum ſola ſalute, id eſt: quandoquidem ſola animæ ſalus credatur: errorem eius de Metempſychoſi & reliquos, vide apud auctorem libr. de anima. Gnoſticorum præcipuus refertur ab Irenæo, Euſeb. &c. vixiſſe ſub Adriano cum Baſilide: genere Alexandrinus. vti refert Theodoretus. I. P.

Poſt hunc Cerinthus] Illud: poſt non ordinem temporis, ſed narrationis ſignificat. Erupit enim ſub Apoſtolis Cerinthus, vt latè Philaſtrius & Epiphanius, vt quem D. Iohan. in balneo reperiens fugerit. Irenæus 3. cap. 3. Euſeb. 4. 22. Epiphan. hæreſ. 30. narrat hoc de Hobione, vt videatur corrigendum de Cerintho. Vide etiam Hieron. in catal. ſcript. Eccleſ. Attribuunt illi Auguſtinus & poſteriores Chiliaſtrum errorem, à quo quum alieni non fuerint Irenæus & Tertull. ex propoſito omiſiſſe videntur: Corrigendi Iſidorus & Honorius qui leg. Cirinthus & Cirinthiani. I. P. *Hæreſ. 10.*

Huius ſucceſſor Hebion] Præponunt alii Hebionem Cerintho, ſed eodem tempore vixerunt vnà cum B. Iohanne Apoſtolo, vti conſtat ex catal. Hieronymi. Nominis Etymologiam, ac ſi dicas meritis inopem, ex Hebræo reddit Euſebius. I. P. *Hæreſ. 11.*

CAPVT XLIX.

De XII. XIII. XIV. hæreſibus poſt Euangelium, Valentini, Ptolomæi, ac Secundi & Heracleonis.

V*Alentinus* autem hæreticus multas introduxit fabulas: has ego circunducens breuiter expediam. Introducit enim pleroroma & Æones triginta: Exponit autem hos per Syzygias, id eſt cōiugationes quaſ- *12. Valentinus*

 dam

vel sudando præstiterat. Nam ex pauore, inquit, tenebræ factæ sunt: ex timore & ignorantia, spiritus nequitiæ & malignitatis: ex tristitia & lachrymis, humida fontiũ fluminũ materia, marisq;. Christum autem missum ab alio propatore qui est *Bythos*. Hunc autem in substantia corporis nostra non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de cœlo deferentem, *quasi aquam per fistulam*, *sic per Mariam Virginem transmeasse*, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. Resurrectionem huius carnis negat, sed alterius, legis & prophetarum quædam probat, quædam improbat: id est omnia improbat, dum quædam reprobat. Euangelium habet etiam suum, præter hæc nostra. Post hunc extiterunt *Ptolomæus* & *Secundus* hæretici, qui cum Valentino per omnia consentiunt. In illo solo differunt. Nam cùm Valentinus Æonas tantum triginta finxisset, isti addiderunt alios complures; quatuor enim primum, deinde alios quatuor aggregauerunt. Et quod dicit Valentinus, æonem trigesimum excessisse de pleromate vt in defectionem, negant isti. Non enim ex illa triacontade fuisse hunc qui fuerit in defectionem, propter desiderium videndi propatoris. Extitit prætereà *Heracleon* alter Hæreticus, qui cùm Valentino paria sentit, sed nouitate quadam pronunciationis vult videri alia sentire.

13. *Ptolomæus & Secundus.*

14. *Heracleon.*

Introducit enim in primis illud fuisse quod pronunciat, & deinde ex illa monade duo; ac deinde reliquas æonas, deinde introducit totum Valentinum.

ANALYSIS CAP. XLIX.

Pergamus conferre Augustinum, qui easdem quatuor hæreses catalogo suo inseruit.

Aug. hæres. 11. VALENTINIANI à Valentino, qui de natura rerum multa fabulosa confinxit. Triginta αἰῶνας, id est secula, asserens extitisse, quorum principium esse profundum & silentium, quod profundum etiam patrem appellat. Ex quibus duobus velut ex coniugio processisse perhibet intellectum & veritatem, & protulisse in honorem patris Aeonas octo. De intellectu autem & veritate processisse verbum & vitam, & protulisse Aeonas decem. Porrò de verbo & vita processisse hominem & Ecclesiã, & protulisse Aeonas duodecim. Itaq; octo & decem & duodecim fieri triginta Aeonas, habentes, vt diximus, principiũ de profundo & silentio. Christum autem à patre missum, id est, à profundo spiritale vel cœleste corpus secum attulisse: nihilumque assumpsisse de Virgine Maria, sed per illam tanquam per riuũ, aut per fistulam sine vlla de illa assumpta carne transisse. De tricesimo seculo dicit Diabolũ genitũ, & à Diabolo alios natos qui fecerint hunc mundum. Et ideò malitiam non arbitrio tribuit; sed naturæ mundi, id est, generi Diabolico. carnis resurrectionem negat, animam tantum & spiritum per Christum salutem accipere affirmans.

Aug. hær. 13 PTOLOMAEVS quoque discipulus Valentini hæresim nouam cõdere cupiens, quatuor Aeonas & alios quatuor asserere maluit.

Aug. hær. 12 SECVNDIANI hoc à Valentinianis distare dicuntur, quòd addunt opera turpitudinis.

HERA-

HERACLEONITÆ ab Heraclione discipulo superiorum, duo asserunt principia, vnum ex altero, & ex his duobus alia plurima. Feruntur autem suos morientes nouo modo quasi redimere, id est per oleum, balsamum & aquam, & inuocationes quas Hebraicis verbis dicunt super capita eorum. Aug. hær. 16.

ANNOTAT. IN CAP. XLIX.

Introducit enim pleroma & Aeones] De his Valentini somniis latè Auctor libr. cont. Valentini & ibi Pamelius. Syzygiæ, id est Coniugationes, Coniunctiones sunt matrimoniales & mox legendum: Hanc esse triacontada, id est, tricenarium, est enim singularis numeri. Quod dicit: Hoc pronunciatio appellat, ac si dicat, tale sortitur nomen ille pleromatis custos. Aporiatio quam Græco nomine ἀποϱίαν dicere solet Irenæus desperationem significat. Illud Tertulliani hic notandum: legis & Prophetarum quædam probat, quædam improbat, id est, omnia improbat dum quædam reprobat. I. P. Hæres. 12.

Ptolomæus & Secundus] Has hæreses alii distingunt, vt & ipse Auctor alibi, hic tanquam vnam recenset, propter communes vtrique errores, vide lib. 4. adu. Valent. etiã Irenæ. Epiphan. & Theodoretum. Vixerunt autem Ptolomæus & Secundus sub Antonino Pio, & M. Aurelio. I. P. Hæres. 13.

Extitit præterea Heracleon] De hoc Auctor lib. adu. Valent. Meminit etiam Irenæ. lib. 2. cap. 4. & Clemens 4. Strom. & maximè Philastrius & Epiphanius hæres. 36. I. P. Hæres. 14.

CAPVT L.

De XV. post Euangelium hæresi Marci & Colarbasi.

NOn defuerunt post hos *Marcus* quidam & *Colarbasus* nouam *hæresim ex* Marcus & Colarbasus.

Græcorum alphabeto componentes. Negant enim veritatem sine istis posse literis inueniri, Immò totam plenitudinē & perfectionem veritatis, in istis literis esse dispositam. Propter hanc enim causam Christum dixisse: *Ego sum α. & ω.* denique Iesum Christum descendisse, id est columbā in Iesum venisse, quæ Græco nomine quū περιστερὰ pronuntietur, habere secundum numerum, D. CCCI. percurrunt isti ω. ψ. χ. φ. υ. τ. totum vsque ad Alpha Beta, vt computant, ogdoadas, & decadas, ita vt afferre illorum omnes vanitates ineptū sit, & ociosum, quod tamen non tantùm iam vanum, sed etiam periculosum sit. Alterum Deum fingunt præter creatorem: Christum in substantia negāt carnis fuisse negant carnis resurrectionem futuram.

Apo. 1. 8. & 28. & 21. 6. & 22. 13.

ANALYSIS CAP. L.

Non admodum nobiles hi duo Hæresiarchæ fuerunt, Marcus & Calarbasus. Quos tamen ipsos Augusti: quoque recenset, nisi quod alphabeticam istorum sapientiam silentio præterit.

Aug. her. 14. MARCVS etiam nescio quis hæresim condidit, negans resurrectionem carnis, & Christum non vere, sed putatiuè passum asseuerans. Duo quoque opinatus est ex aduerso sibi esse principia, quiddā tale etiam ipse de Aeonibus sicut Valentinus affirmans.

Aug. her. 15. COLARBASVS secutus est istos non multum aliter sentiens, vitam omnium hominum & generationem in septem sideribus consistere affirmās.

ANNOT.

ANNOTAT. IN CAP. L.

Non defuerunt] Hos coniungit Auctor cum Irenæo; quemadmodum & Philastrius: Augustinus, Damascenus, Theodoretus separant: Sed Epiphanius nodum dissoluit: Primum scilicet secutum Marci doctrinam Colarbasum, vnamque hæresim fuisse, sed postea de suo quoque nomine cætus habuisse. I. P.

Nouam hæresim ex Græcorum Alphabeto] Marcus hæreticus penetrauit Gallias & Hispaniam. Hiero. in Epitaph. Lucinii Bœtici, Irenæ. lib. 1. c. 12. & 13. Philast. Epiphan. hære. 34. Theodoret. ibi autem: ita afferre, &c: haud dubie locus corruptus, nisi legamus, ita vt afferre. Vide etiam Augustin. hær. 14. & Damasc. De Marci præstigiis Magicis, vide initium lib. aduers. Valent. Vixisse putantur Marcus & Colarbasus tempore eodem, sub Antonino patre aut filio. I. P. *Hæres. 15.*

CAPVT LI.

De XVI. XVII. XVIII. & XIX. post Euangelium hæresibus Cerdonis, Marcionis, Lucani & Apellis,

16. *Cerdon.*

ACcedit his *Cerdon* quidā, hic introducit initia duo, id est duos Deos, vnum bonū, & alterū sæuum. Bonū superiorem: sæuum hūc, mundi creatorē. Hic Prophetias & Legē repudiat, Deo creatori renuntiat, superiores Dei filium Christum venisse tractat, hūc in substantia carnis negat, in phātasmate solo fuisse pronūtiat: nec omnino passum, sed quasi passum; nec ex virgine natum,

natum, sed omninò nec natum. Resurrectionem animæ tantummodò probat, corporis negat. Solum Euangelium Lucæ, nec tamen totum recipit. Apostoli Pauli neq; omnes, neq; totas Epistolas sumit. Acta Apostolorũ & Apocalypsim quasi falsa reiicit. Post hunc discipulus ipsius emersit

17. *Marcion.* *Marcion* quidam nomine, Ponticus genere, Episcopi filius, propter stuprum cuiusdam virginis ab Ecclesiæ communicatione abiectus. Hic ex occasione qua dictum sit, *omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem malos*, hæresim Cerdonis approbare conatus est, eadem dicere quæ illa superior hæreticus antè dixerat. Extitit post hunc *Lucanus* quidam nomine,

Matt.7.17.

18. *Lucanus.* Marcionis sectator atque discipulus: Et hic per eadem vadens blasphemiæ genera, eadem docet, quæ Marcion & Cerdon docuerant. Post hos subsequitur *Apelles* discipulus Marcionis, qui postea quam in carnem suam lapsus est, à Marcione segregatus est. Hic introducit vnum Deum infinitis superioribus partibus: hunc potestates multas angelosque fecisse: Propterea & aliam virtutem, quam dicit, Dominum dicit, sed angelum ponit. Hoc vult videri mundum institutũ ad imitationem mundi superioris, cui mundo permiscuisse pœnitentiam, quia non illum tam perfectè fecisset, quàm ille superior mundus institutus fuisset. Legem & Prophetas repudiat.

19. *Apelles.*

pudiat. Christum neque in phantasmate dicit fuisse, sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, vt Euangelium docet, sed in eo quod è superioribus partibus descenderat, ipso descensu sideream sibi carné, & aëream contexuisse: hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse, & sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in cœlo Spiritũ tantum reddidisse: hic carnis resurrectionem negat, solo vtitur & Apostolo, sed Marcionis, id est non toto. Animarum solarum dicit salutem. Habet prætereà priuatas, sed extra ordinarias lectiones suas, quas appellant *phanerosēis philumenes* cuiusdam puellæ, quam quasi prophetissam sequitur. Habet præterea suos libros, quos inscripsit *syllogismorum*, in quibus probare vult, quod omnia quæcunque Moyses de Deo scripserit, vera non sint, sed falsa sint.

ANALYSIS CAP. LI.

Manifesta est iterum huius capitis pro numero hæreticorum quatuor distinctio: ex quibus tres tantum apud Augustinum in venio, omisso Lucano, quem non adeò celebrem fuisse credibile est, & Marcionis præterea scholæ discipulum eodem cum præceptore fasce comprehensum.

CERDONIANI (inquit Augustinus) à Cerdone nominati, qui duo principia sibi aduersantia dogmatizant; Deumque legis ac Prophetarum non esse *Aug. hær. 21*

esse patrem Christi, nec bonum Deum esse, sed iustum, patrem verò Christi bonum: Christumque ipsum neque natū ex fœmina, neque habuisse carnem: nec verè mortuum, vel quicquam passum, sed simulasse passionem. Quidam verò in duobus principiis suis duos Deos ita eum dixisse perhibent, vt vnus eorum esset bonus, alter autem malus: resurrectionem mortuorum negant, spernunt etiam testamentum vetus.

Aug. hær. 22. Marcion quoque, à quo Marcionistæ sunt, Cerdonis secutus est dogmata de duobus principiis: quamuis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia: bonum, iustum, prauum: Sed Eusebius Synerum quendam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit authorem.

Aug. hær. 23. Apellitæ sunt, quorū Apelles est princeps, q duos qdem introducit Deos, vnum bonum, alterū malum; non tamen in duobus diuersis atque inter se aduersis esse principiis, sed vnum esse principiū: Deum scilicet bonum, & ab illo factum alterum: qui cum malignus esset, inuentus est in sua mundū malignitate fecisse. Hunc Apellem dicunt quidam etiam de Christo tam falsa sensisse, vt diceret eum non quidem carnem duxisse de cœlo, sed ex elementis mundi accepisse, quæ mundo reddidit, cum sine carne resurgens, in cœlum ascendit.

Annotat. In Cap. LI.

Hæres. 16. *Cerdon quidam*] Eius eosdē ferè errores omnes, quos hic Auctor recenset, recensent scriptores sacri supra memorati, nisi quod quosdam Marcioni attribuunt. Venit Romam sub Hygino Papa, & proinde sub Antonino Pio, vt præter Irenæum & reliquos testatur Cyprianus epistola 74. I. P.

Hæres. 17. *Post hunc discipulus ipsius emersit Marcion*] De Marcione late Auctor libris quinque carmine & Prosa, & Epiphan. lib. 4. c. 13. Irenæ. lib. 3. c. 3. ꝙ dicit: eadem dicere, repete ex priori membro, conatus est. I. P.

Exstitit

Exstitit post hunc Lucanus] Lucanum etiam interiicit inter Marcionem & Apellem Philastrius, vt etiam Epiphan. & Damasc. nisi quod Lucianum nuncupent. Attribuit huic etiam quod nuptias reprobaret Epiphan. & singularem quendam de anima errorem. Tertull. lib. de anima. I. P. *Hæres. 18.*

Post hos subsequitur Apelles] Frequens huius apud auctorem mentio, deque Philumene eius scorto. Quod ait: in carnem suam lapsus, alludit ad illud. 1. Cor. 6. Qui fornicatur in corpus suum peccat. Vixisse putatur M. Antonino Philosopho Imperat. I. P. *Hæres. 19.*

CAPVT LII.

De XX. & XXI. post Euangelium hæresibus Tatiani, & eorum, qui κατὰ Φρύγας dicuntur.

His hæreticis omnibus accedit, *Tatianus* quidam alter hæreticus. Hic Iustini martyris discipulus fuit, post hunc diuisa sentire cæpit. Totus enim secundũ Valentinũ sapit, adiiciens illud, Adam nec salutẽ consequi posse, quasi non si rami salui fiunt, & radix salua sit. Accesserunt alii hæretici, qui dicuntur *secundum Phrygas*: Sed horũ non vna doctrina est. Sunt enim qui *Kata proclum* dicuntur, sunt qui *secundum Æschinem* pronuntiantur. Hi habent aliam cõmunẽ blasphemiã: aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem & suã: & communẽ quidẽ illã, qua in Apostolis quidẽ dicant Spiritũ S. fuisse, paracletũ non fuisse: & qua dicant paracletum plura in Mon-

20. *Tacianus.*

21. *Cataphryges.*

in Montano dixisse, quàm Christum in Euangelium protulisse, nec tantum plura sed etiam meliora atque maiora. Priuatam auté blasphemam illi qui sunt Kata Æschinem, hanc habent, qua adiiciunt etiam hoc, vt dicant Christum ipsum esse filium & patrem.

ANALYSIS CAP. LII.

Aug. hær. 25 TACIANI (inquit Augustinus) à Tacio quodam instituti, qui & Encratitæ appellati sunt, nuptias damnant atque omnino pares eas fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt: nec recipiunt in suorum numerum coniugio vtentem siue marem, siue fœminam. non vescuntur carnibus, easque omnes abominantur: prolationes quasdam fabulosas seculorum etiam ipsi sapiunt: saluti primi hominis contradicunt. Epiphanius Tacianos & Encratitas ita discernit, vt Encratitas Taciani schismaticos dicant.

Aug. hær. 26 CATAPHRYGES sunt, quorum authores fuerunt *Montanus* tanquam Paracletus, & duæ Prophetissæ ipsius, *Prisca* & *Maximilla*. His nomen prouincia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt, ibiq; vixerunt: & etiam nunc in eisdem partibus populos habent. Aduentum Spiritus sancti à Domino promissum; in se potius quàm in Apostolis eius fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent: Et ideò dicunt eas per-
1. Cor. 13. 9. misisse Apostolum Paulum, quia *ex parte sciebat, & ex parte prophetabat: nondum enim venerat quod perfectum est.* Hoc autem perfectum in Montanum & in eius prophetissas venisse delirant. Sacramenta, perhibentur funesta habere. Nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi Eucha-

Euchariſtiam ſuam conficere perhibentur miſcentes eum farinæ, panemque inde facientes: qui puer ſi mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre, ſi autem vixerit, pro magno ſacerdote.

ANNOTAT. IN CAP. LII.

Tatianus quidam alter hæreticus] ſiue Tacianus, poſt hunc, hoc eſt poſt mortem Iuſtini diuiſa (potius diuerſa) ſentire cæpit. Ita & Irenæus 1. cap. 31. Euſeb. 4. cap. 27. Nicephor. 4. cap. 4. Philaſt. Epiphan. hære. 46. Theodoret. lib. 1. Damaſc. Hiero. in Catal. & Auguſt. hær. 25. lego Taciani à Taciano, pro eo quod hactenus Tacio. Adæ autem ſalutem ex pœnitentia non ſemel tribuit Tertullianus. Faciunt hunc Encratitarum, id eſt, qui ſe continẽtes vocabant, principem, damnantium nuptias Irenæus lib. 1. cap. 30. & alii. Vixit ſub Antonino Pio, vt in Philaſtrio mendum ſit illud: poſt Decii perſecutionem, pro quo reſtituendum Adriani, ſub quo paſſus Iuſtinus: I, P. *Hæreſ. 21.*

Acceſſerunt alii, qui ſecundum Phrygas] Ab eo ita dicti, quod maxime in Phrygia verſarentur. Legendum autem videtur ſemper κατὰ Phrygas pro eo quod legitur: Cataphryges, & ſimiliter: maximè quum etiam Hieronymus CataPhrygas aut Phrygas nuncupet catal. in Apollinario & Rhodone. Diſtinctio horum in eo qui κατά Proclũ, & qui ſecundũ Aeſchinẽ, peculiaris eſt Tertulliano, cui credendũ, quòd poſtea in eandẽ hæreſim inciderit. Procli mentio apud Euſeb. 6. cap. 14. & Nicephor. 4. c. 20. & Hiero. in Caio & Theodoret. apud quem pro Patroclo Proclus legendũ: & pro Canius Caius. Vide de his etiã Pacianum vbi ſupra. Peculiare etiã hoc auctori quod diſtinguit inter Spiritum ſanctũ & Paracletũ, quando alii, qui de horum hæreſibus ſcripſerunt, in Montano, non in Apoſtolis Spiritum ſanctum agnouerint. Sic Philaſtrius. Sed de his latius Hiero. epiſt ad Hedib. quæſt. *Hæreſ. 22.*

9. & epist. 54. nam Augustino teste hære. 86. ad Cataphrygas ille postea transiit: quos ante destruxerat. Exorta hæc hæresis eodem fere tempore cum Taciano. I. P.

CAPVT LIII.

De XXII. XXIII. XXIV. & XXV. post Euangelium hæresibus, Blasti, Theodoti Byzantii, Theodoti alterius, Praxeæ ac Victorini.

22. *Blastus.* Est præterea his omnibus etiam *Blastus* accedens, qui latenter Iudaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi XIIII. mensis. Quis autem nesciat, quoniam Euangelica gratia euacuatur, si ad legem Christum redigit? Accedit his

23. *Theodotus Byzantius.* *Theodotus* hæreticus Byzantius: qui posteaquàm Christi pro nomine comprehensus negauit, in Christum blasphemare non destitit, doctrinam enim introduxit, qua Christum hominem tantummodo diceret, Deum auté illum negaret: ex spiritu quidem sancto natum ex virgine, sed hominem solitarium atque nudum, nulla alia præ cæteris, nisi sola iustitiæ auctoritate.

24. *Theodotus alter.* Alter post hunc *Theodotus* hæreticus erupit, qui & ipse introduxit alteram sectam, & ipsum hominem Christũ tantummodò dicit ex Spiritu sancto ex virgine Maria cõceptũ pariter & natum, sed hunc inferioré esse, quàm Melchisedech, eò quod dictum

Psal 109. 4. sit de Christo: *Tu es Sacerdos in æternum secundum*

cundũ ordinẽ Melchisedech. Nã illũ Melchisedech præcipuæ gratiæ cœlesté esse virtuté: eò quòd agat Christus pro hominibus, deprecator & aduocatus ipsorum factus, *Melchisedech facere pro cœlestibus angelis atq; virtutibus.* nam esse illũ vsq; adeò Christo meliorẽ, vt apator sit, ametor sit, agenealogitus sit, cuius neq; initiũ, neq; finis comprehẽsus sit, aut cõprehẽdi possit. Sed post hos omnes etiam *Paxeas* quidã hæresim introduxit, quam *Victorinus* corroborare curauit: hic Deum patrẽ omnipotentẽ Iesum Christum esse dicit, hunc crucifixũ passumque contendit, mortuũ prætereà, seipsum sibi sedere ad dextram suam, cum profana & sacrilega temeritate proponit. 25. *Praxeas & Victorinus.*

ANALYSIS CAP. LIII.

Ex quatuor postremis pòstremi huius capitis hæresibus, tres tantum apud Augustinum inuenio, & duas quidem paululum diuersis nominibus.

BLASTVM enim procul dubio sub *Tessereseadecatitis* complectitur, qui hinc appellati sunt (inquit August.) quod non nisi quarta decima Luna (mense Martio) Pascha celebrant, quilibet septẽ dierum occurrat dies, & si dies dominicus occurrerit, ipso die ieiunant & vigilant. *Aug. hæres. 29.*

THEODOTIANI á Theodotione quodam instituti, hominem tantùmmodò Christum asseuerant. Quod dicitur idem Theodotion propterea docuisse, quia in persecutione lapsus isto modo se casus sui deuitare putabat opprobrium, si non Deum negasse, sed hominem videretur. *Aug. hæres. 33.*

THEODOTI alterius eadem vt puto secta est cum MELCHISEDECHIANIS, qui Melchisedech Sacerdotẽ Dei excelsi non hominẽ fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur. *Aug. hæres. 34.*

ANNOTAT. IN CAP. LIII.

Hæreſ. 22. *Blaſtus accedens*] Huius meminit Euſeb. 5. cap. 14. 19. & Nicephor. 4. cap. 20. & P. Hiero. in catal. in Irenæ. Videtur autem ſchiſma feciſſe, poſt concilia de Paſchate celebrata (quorum meminit Euſeb. 5. cap. 23. Certè eius diſcipuli aut Collegæ fuerunt *Quartadecimani*, ſeu *Teſſareſcadecatitæ*, ſeu *paſchatitæ* hæretici, ita dicti quod XIV. menſis more Iudæorum Paſcha celebrandum contenderent. Vixit igitur ſub Irenæo & proinde paulò ante Tertullianum. I. P.

Hæreſ. 23. *Accedit his Theodotus Byzant.*] Negauit Chriſtũ vti concordes Auctores tradunt. Philaſt. Epiphan. hæreſ. 54. Auguſt. hæreſ. 33. & Damaſc. Quæ negatio cauſa hæreſeos ſuæ fuit, vt ne diceretur Deum negaſſe quum Chriſtum negauit. Meminit huius Euſeb. 5. cap. 17. Nicephor. 4. cap. 20. ac 21. Vixit Theodoreto teſte. lib. 2. fab. hæret. ſub Victore Romano Pontif. atque adeò ſub Commodo Cæſare. I. P.

Hæreſ. 24. *Alter poſt hunc Theodotus*] Sed Melchiſedechianorum hæreſeos auctorem, facit Epiphanius Hieracem. hær. 55. & 67. Accedere tamen videtur Auctori Theodoret. lib. 2. Quod ait apator & cæt locus eſt Heb. 7. vbi nota aduerſus eos, qui Epiſtolam Pauli ad Hebræos apocrypham faciunt. Conſtat autem Melchiſedechianos & hunc Theodotum quàm proximè anteceſſiſſe Tertullianum; atque ideo non ſub Maximino, ſed ſub Seuero potius conſtituendos. I. P.

Hæreſ. 25. *Sed poſt hos omnes etiam Praxeas*] De Praxea & eius hæreſi latè lib. aduerſ. Praxean. Quis autem hic Victorinus, non perinde conſtat. I. P.

FINIS LIBRI TERTVLL. DE præſcriptionibus.

PRÆ-

PRÆSCRIPTIONVM
ADVERSVS HAERETICOS
perpetuarum Tractatus II.

Qui eſt

D. CAECILII CYPRIANI CARTHAGINIENSIS

Epiſcopi, & glorioſiſſimi Martyris Liber

DE VNITATE ECCLESIÆ Catholicæ.

ARGVMENTVM ET PARTITIO Libri.

TERTVLLIANO Hæreticorum fulmini præſcriptor ſuccedat CYPRIANVS, magiſtro diſcipulus, quadraginta circiter annis poſterior: Cuius vitam cum multi verboſè deſcripſerint, nos breuitatis ſtudioſi ſtrictiſſima D. *Hieronymi* narratiuncula contenti erimus, cuius verba in Catalogo ſic habent. *S. Cypriani Vita ex Hieronymo.*

CYPRIANVS *Afer primum glorioſè Rhetoricam docuit: Exinde ſuadente Presbytero Cæcilio, à quo & cognomentum ſortitus eſt, Chriſtianus factus, omnem ſubſtantiam ſuam*

pauperibus erogauit, ac post non multum tẽporis electus in Presbyterum, etiam Episcopus Carthaginiensis constitutus est. Huius ingenio superfluum est indicem texere, cùm sole clariora sint eius opera. Passus est sub Valeriano & Gallieno Principibus, persecutione octaua, eodem die, quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno.

Titulus & argumentũ præsentis libri.

Cæterùm præsens eius Liber, ex secundo operum tomo, *Pamelio* restauratore desumptus, olim de simplicitate plātorũ, nũc rectius de vnitate Ecclesię catholicę inscribitur. Hoc enim vnicè agit, atq; omni argumentorum robore contendit, vt vnam D. N. Iesu Christi in his terris Ecclesiam Catholicam demonstret, eamque visibilẽ, aspectabilem, perpetuam & nullis Satanæ technis vel molitionibus superabilẽ: Per totũ quidẽ terrarum orbem diuinæ gratiæ latitudine dispersam, sed vnius tamen Spiritus, vnius capitis Christi, & vicarii eius summi Pontificis communione, vnius denique fidei & Sacramentorum vinculo copulatam colligatamque: vt qui extra eã vel aliã fidẽ profitentur, vel retentã fidei sinceritate pacis vinculum schismate soluunt, certissimi hæretici, perditiq; matris desertores & æternæ patriæ proditores habendi sint. Cuius libri scribẽdi occasio fuit, NOVATVS presbyter Carthaginiensis sub Cypriano: qui propter plurima vitia (inter quæ vxoris prægnantis vterũ calcibus petens,

Occasio libri huius scribendi Nouatus.

tens, eã abortire fecerat) Ecclesia pulsus Romam venit. Mortuo Fabiano, *Cornelio*, qui in eius locum successerat insidias struxit, Cathedrã Sacerdotalem inuadere conatus. Cùmq; propter *Decii* persecutionẽ multi ab Ecclesia desciuissent, iis se ille ducem præstitit, ne ad Ecclesiam per pœnitẽtiam redirent. Disciplinam enim Ecclesiæ dissolutam querebatur, & nimis facilem lapsis reditum esse, per vnicam exhomologesin. Schismati errores manifestos adiecit, fidelibus post Baptismum nullum pœnitẽtia locum reliquum esse: ab orthodoxis baptizatos rebaptizandos: secundas nuptias prohibendas.

Huic ergo turbatori, ne qui se forte fidelium incautius adiungerent (*sermo enim hæreticorum serpit vt cancer, et si fieri posset, in errorem seduceret etiam electos*) præmunit eos hoc libro Cyprianus, docetque quanam via generali hæreticorum technas effugere, ac veram agnoscere Catholicã Ecclesiam vel simplicissimi queant, si firmo semp obtutu *cathedram Petri*, cui pascẽdas oues suas commisit Dominus, aspiciant, eiusque gubernatoribus toto fidei morũque obsequio subiiciantur. Cùm enim hoc modo ad veritatis originem reditur, ac caput à Christo constitutum quæritur, tractu longo atque argumentis opus non est. Infra in proposit. libri.

2. Tim 2 17 Matth. 24. 24.

Cathedra Petri fundament. m aspectabilis Ecclesiæ.

Quo nomine hic nobis tractatus vel maximè dignus visus est, quem huic praescriptionum operi insereremus. Partes eius constituimus quinque: *Exordium, Narrationem*, *Propositionem*, *Confirmationem*, *Confutationem*, ac denique *Conclusionem*, quae omnia sic ordine suis locis distincta & methodicè explicata, Lector ipso opere deprehendet.

D. CAECILII

CYPRIANI CARTHAGINIENsis Episcopi & gloriosissimi Martyris Liber

DE VNITATE ECCLESIAE CAtholicae.

CAPVT I

Exordium Paraeneticum.

Matt. 5. 13. *Matt. 10.16* CVm moneat Dominus & dicat, *vos estis sal terrae*, cùmq; esse nos iubeat ad
1. innocentiā *simplices*, & tamē cū simplicita-
2. te *prudentes*: quid aliud, fratres dilectissimi
Cauenda diaboli insidia. quàm prouidere nos conuenit, & sollicito corde vigilantes subdoli hostis insidias intelligere pariter & cauere, ne qui Christū
3. sapientiā Dei patris induimus, minus sapere in tuēda salute videamur? neq; enim p-
4. secutio sola metuēda est, & ea q̄ subruendis ac deiiciēdis Dei seruis apta impugnatione grassan-

grassantur. *Facilior cautio est, vbi manifestior formido est*; & ad certamen animus antè præstruitur, quando se aduersarius profitetur, plus metuendus est & cauendus inimicus, cùm latenter obrepit; cùm per pacis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, vnde & nomen *serpentis* accepit. Ea est eius semper astutia: Ea est circumueniendi hominis cæca & latebrosa fallacia: sic ab initio statim mundi fefellit, & verbis mendacibus blandiens, rudes animas incauta credulitate decepit: Sic Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet, rursus & fallere, latẽter accessit; Intellectus tamẽ est & retusus, & ideò prostratus, quia agnitus, atq; detectus: Vnde nobis exemplũ datum est, veteris hominis viam fugere, vestigiis Christi vincentibus insistere; ne denuò incauti in mortis laqueum reuoluamur, sed ad periculum prouidi accepta immortalitate potiamur. Imortalite autem potiri quomodo possumus, nisi ea, quibus mors expugnatur & vincitur, Christi mandata seruemus? ipso monẽte & dicente: *Si vis ad vitã venire, serua mãdata.* Et iterũ: *Si feceritis quæ mando vobis, iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Hos denique fortes dicit & stabiles, hos super petram robusta mole fundatos, hos contra omnes tempestates & turbines seculi immobili & inconcussa firmitate solidatos. *Qui audit*, inquit, *verba mea, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificauit do-*

Diabolus cur serpens nominetur.

Obedientia Christi præceptis debetur.

Matth. 19. 17.

Iohan. 14. 15.

Matth. 7. 24.

nit demum ſupra petram. Deſcendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt vẽti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: Fundata enim fuit ſuper petram. Verbis igitur eius inſiſtere, quæcunque & docuit & fecit, diſcere & facere debemus. Cæterum credere ſe in Chriſtum quomodo dicit, qui non facit quod Chriſtus facere præcipit? aut vnde perueniet ad præmium fidei, qui fidem non vult ſeruare mandati? nutet neceſſe eſt & vagetur, & ſpiritu erroris arreptus, velut puluis quem ventus excutit, ventiletur, nec ambulãdo proficiet ad ſalutem, qui ſalutaris viæ non tenet veritatem.

ANALYSIS CAP. I.

Exordii propoſitio. EXORDIVM hoc commune paræneticum ad reddendos lectores attentos comparatum, hanc propoſitionem habet: peſtiferas Diaboli inſidias, ſiue perſecutionum Tyrannicarum, ſiue vel maximè deceptionum hæreticarum, omni ſtudio ac diligentia Chriſtianis cauendas eſſe.

Ratio 1. Rationes affert ſex. 1. *Quia ſint ſal terræ:* id eſt, ad hoc conſtituti & vocati, vt ſalis inſtar à putredine alios conſeruare, & ipſorum fidem vitamque inſipidam condire, & maioris zeli acrimonia excitare debeant. *Matth. 5. v. 13.* Quod ſi autem hic ſal infatuatus fuerit, quorſum prodeſt, niſi vt conjectus foras pedibus conculcetur?

Rat. 2. 2. Ab alia Domini admonitione Matth. 10. *Eſtote ſimplices vt columbæ, prudentes vt ſerpentes.* Qua verò in re ſimplicitas columbina conſiſtit, niſi quod eſt *Columbina ſimplicitas.* ἀκέραιος, πραΰθυμος & ἀόργητος: id eſt nõ ſurgẽs in cornua vel vngues, manſueta, ſine bile. Vnde prouerbium πρᾳότερος περιστερᾶς: mitior columba. *Vide infra argum. 7.*

lumba. Contra verò prudentia serpentina lubricitate sua omnes facile insidias eludit, incantantium voces surdis auribus fallit, deniq; totum corpus in periculum pro salute capitis exponit. Hoc serpentino astu fideles quoque hæreticorum insidias declinent, & ad blandos sermones obsurdescant, & pro salute animæ corpus fortunamque libenter periclitentur.

3. Quia Christum sapientiam Dei patris induerint. *Quotquot enim baptizati sumus, Christum induimus, qui factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio.* Quæ autem sapientia est, in sempiterna salute tuenda negligentem esse? 3. Gal 3.27. 1. Corinth. 1.v.30.

4. A minori. Persecutiones manifestæ timentur & fugiuntur. Quanto magis igitur insidiæ clandestinæ hæreticorum, quæ & grauius lędunt, & ægrius cauentur? Tela autem præuisa minus nocent. Hoc argumētum amplificat à notatione nominis Diaboli, qui propterea SERPENS dicitur, quia more serpentis latenter adrepit & ferit. Deinde à facto: quia iam olim incautum protoplastum decepit: Et Christum Dom. impudenter aggredi ausus est. 4.

5. Ab exemplo Christi retundentis Diabolum, & superantis. 5.

6. Ab effectu duplici contrario, noxio & bono. Si non caueas tibi, retraheris in pristinum mortis gurgitem. Si attentus prospicias, potieris immortalitate. Hoc argumentum tanquam potissimū fusiùs persequitur, & scripturæ aliquot locis confirmat: quæ disertè docet, nec fidem in Christum sine obedientia præceptorum constare, neque extra hanc salutem sperari posse. Nobile autem Domini mandatum est, vt domum fidei nostræ non in arena fluctuationis hæreticæ, sed in petra certitudinis Catholicæ ædificemus. Hæc summa exordii est, quam paucis verbis complexus *Leo Papa* sic inquit: *Multa solicitudine præcauendum est Christianis, ne Diabolicis iterum capiantur insidiis, & eisdem rursum, quibus renunciauerunt, erroribus implicentur. Non enim* 6. serm. 8 Natiuitatis.

desinit

desinit hostis antiquus transfigurans se in angelum lucis, deceptionum laqueos vbique pretendere, & vt quoquo modo credentium mentes corrumpat instare.

ANNOTAT. IN CAP. I.

Titulus libri genuinus.

De vnitate Ecclesiæ] Titulum huius libri paucis indicat ipse Cyprianus epist. 51. *Sed & (inquit) Catholicæ Ecclesiæ vnitatem quantum potuit, expressit nostra mediocritas. Quem libellum magis ac magis nunc vobis placere confido.* E quo loco primus ego quod sciam, ante annos plus minus octo verum hunc huius libri titulum deprehendi. Nec dissentit D. *Pontius* in vita Cypriani, & titulo de vnitate citat hunc librum D. Augustinus contra Cresc. Grammatic. lib. 2. cap. 33. Eundem reperire est, non modo apud Manut. & Morel. ac in MS. omnibus, sed & apud *Trithemium* & in veteri excuso codice, qui adiiciunt præterea: ADVERSVS NOVATIANVM. Et cum cæteri DE VNITATE ECCLESIÆ legant duntaxat, nobiscum & cum Cypriano addit Cambron. CATHOLICÆ, quomodo etiam Antonius scripta Cypriani enumerans. Primus immutauit Remboldus, & nescio vnde reposuit titulum ψευδεπίγραφον DE SIMPLICITATE PRÆLATORVM, fortassis ob verba illa quæ in ipso libri frontispicio reperire est. *Cumque esse nos iubeat ad innocentiam simplices, & tamen cum simplicitate prudentes.* Quare mirari satis nequeo, non substitutum ab Erasmo titulum genuinum, præsertim quũ & in Cod. Gemblacensi reperiatur ille & ipse in indice operum hunc titul ediderit *adversus Nouatianũ schismaticũ de Eccles. vnitate.*

Titulus ψευδεπίγραφον.

CAPVT II.

Narratio præsentis fidelium discriminis.

CAuenda sunt autem, fratres dilectissimi, non solum quæ sunt aperta atque mani-

manifeſta, ſed & aſtutæ fraudis ſubtilitate fallentia. Quid verò aſtutius, quidue ſubtilius, quàm vt Chriſti aduentu detectus ac proſtratus inimicus (poſtquam lux gentibus venit, & ſoſpitandis hominibus ſalutare lumen effulſit, vt ſurdi auditum gratiæ ſpiritalis admitterent, aperirent ad Deum oculos ſuos cæci, infirmi æterna ſanitate reualeſcerent, claudi ad Eccleſiam currerent, multi claris vocibus & precibus orarent) videns ille idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitauerit nouam fraudem, vt ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? *Hæreſes inuenit & ſchiſmata*, quibus ſubuerteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet vnitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate, circumſcribit, & decipit noui itineris errore. *Rapit de ipſa Eccleſia homines*, & dum ſibi appropinquaſſe iam lumini, atque euaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit; vt cùm Euangelio Chriſti, & cùm obſeruatione eius, & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment, blandiente aduerſario atq; fallente, qui, ſecundum Apoſtoli vocem, *transfigurat ſe velut angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros Iuſtitiæ*, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam

2. Aſtutia Diaboli, poſt reuelatum Euangelium noua fraudis ſpecie homines circumuenientis.

3.

4. Ex viſceribus Eccleſiæ ſurgunt faces tantorum malorum.

2. Corinth. 11.14. 5.

fidiam ſub prętextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, vt dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.

ANALYSIS CAP. II.

Secunda pars huius libri *Narratio*, quinq; membra continet.

1. *Primum* enim repetit ſummam exordii de cauendis Diaboli fraudibus.

2. *Deinde* exponit aſtutam Diaboli molitionem, ſub ipſo Chriſti nomine homines in perditionem abducentis: Annexa ſimul iſtius rei cauſa, quæ eſt æmulatio ac dolor acceptæ cladis per Apoſtolos: quorum prædicatione Idola derelicta, & fana clauſa ſunt.

3. *Tertio* ſpeciatim artes Satanæ exponit, partim

4. hæreſi, partim ſchiſmate Eccleſiam infeſtantis. 4. Cauſam efficientē indicat, homines videlicet ex ipſa Eccleſia, qui cū planè illuminati videntur, tenebris nouis obruuntur & obruunt. Vbi nominatim pro iſto tempore Nouatum intelligit: quemadmodum nos hodiè Lutherum, Caluinum, Zuinglium intelligere debemus, quos tanquam paleas ex area Eccleſiæ excuſſos incendio huic Europæo Diabolus adhibuit.

5. *Quintò* & poſtremò alterum Narrationis membrum repetit & latiùs deducit, quomodo videlicet Pſeudoprophetæ iſti homines ita turpiter fallant, & ſecum in præcipitium abducant: Ampliſſima videlicet veritatis ſinceriſſimę pollicitatione, ac fictitia pietatis Larua: qui omnibus deceptoribus & hodiè familiariſſimus hamus eſt. Nos Reformati ſumus, inquiunt, nos Euangelici: illi Antichriſtiani, Idololatræ, &c.

ANNOTAT. IN CAP. II.

Aſſerentes noctem pro die] Locum hunc citat D. Bernhardus ſerm. de don. ſpiritus S. cap. 5. vbi proinde caſtigandus eſt pro eo quod habet, *Aſſerentes*. I. P.

CAPVT III.

Propositio cum sua enarratione.

HOc eò fit, fratres dilectissimi, dum *ad veritatis originem nõ reditur, nec caput quaritur*, nec Magistri cœlestis doctrina seruatur. Quæ si quis consideret & examinet tractu longo atq; argumentis opus non est. Probatio est ad fidẽ facilis cõpendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego tibi dico*, inquit, *quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferorum non vincent eam. Ego tibi dabo claues regni cœlorũ, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: *Pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suã, & illi pascendas mandat oues suas.* Et quamuis Apostolus omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat, *sicut misit me pater, & ego mitto vos: Accipite spiritum sanctum. Si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis tenebuntur*: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis; Sed *exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna*

1. Expedita via euadendi hæreticorum laqueos.

Matth. 16. 18.

Ioan. 21. 16. 17.

Super Petrum vnũ ædificata Ecclesia.

3 Occupatio.

Apostolis par bus Petrus quomodo superior.

Primatus Petri.

Atque huc pertinet elegans Cypriani dictum Epistola 55. ad Cornelium. *Neq; enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Cui si secundũ magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum sacerdotũ collegium quidquã moueret, nemo post diuinũ iudicium, post populi suffragiũ, post Coëpiscoporum consensum iudicẽ se iã non Episcopi, sed Dei faceret: nemo discidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens seorsum foris hæresim nouã conderet, nisi si ita est aliquis sacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, vt putet sine Dei iudicio fieri sacerdotẽ, cùm Dominus in Euangelio suo dicat: Non: duo passeres asse veneunt, & neuter eorũ cadit in terram sine patris voluntate? Cùm ille nec minima fieri sine voluntate Dei dicat, existimat aliquis summa & magna, aut non sciente aut non permittente Deo, in Ecclesia Dei fieri, & sacerdotes, id est, dispensatores eius, non de eius sententia ordinari? Hoc est fidem non habere, qua viuimus, hoc est Deo honorem non dare, cuius nutu & arbitrio regi & gubernari omnia scimus & credimus.*

Ex contemptu summi Pontif. omnes hæreses & schismata.

Iudex Episcopi, iudex Dei.

Nullus sacerdos sine Dei nutu.

Matth. 10.

August. epist. 225. ad Albin. Neque enim sanctificatio presbyteri non est opus Dei.

Confirmationis seu enarrationis loci sunt duo: Matth. 16. v. 18. & Iohan. 21. v. 16. 17. Quorum vno promittitur S. Petro Regendæ Ecclesiæ Primatus seu Pontificatus, altero exhibetur. Promittitur Matth. 16. sub duabus elegantibus & apertis Metaphoris: Quarum prior est *Petra* seu lapidis fundamentalis in ædificio: Posterior est clauium. Quod enim in ædificio fundamentum est, id Petrus in Ecclesia esse debuit, nempe caput, Rector & gubernator. Itaq; dixit ad eum Dominus, *tu es Petra* (nam Syriacè Dominus loquebatur, vbi Cephas Petram significat: quemadmodum non minus etiam Græcè tam πέτρος quàm πέτρα lapidem significat) *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Deinde cui potestas clauium alicuius arcis vel domus datur, ille proculdubio summã eius potestatem ac gubernatio-

Enarratio propositionis.

Locus Matthæi 16. expenditur.

Hiero. in 2. cap. ad Galat.

 natio-

nationem accipit, quia illo claudente nemo aperit, & illo aperiēte nemo claudit. Hinc Dominus ad Petrum: *Dabo tibi* inquit *claues regni cælorū, quodcunq; ligaueris super terra, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cælis.*

Locus Ioan. 21. expenditur. Hunc promissum S. Petro summæ potestatis Ecclesiasticæ, præstat demum Dominus à resurrectione Iohan. 21. cum illi trina cōfessione trinam abnegationem reuocanti ac corrigenti ita inquit. *Simon Ioannis pasce oues meas.* Quid est autem *pascere* nisi præbere cibum, ducere, tueri, præesse, regere, castigare, quæ omnia ad officium pastorale pertinent? Quæ vero sunt *oues* Christi, nisi multitudo credentium toto orbe Eois & Occiduis, Meridionalibus & Septentrionalibus partibus dispersa, & vnius capitis vinculo colliganda, vt fiat *vnum ouile & vnus pastor.* Atq; hæc omniū à principio patrum constans semper sententia fuit, qui nunquam aliter verba Domini interpretati sunt.

Iohan. 10. v. 16.

Consensus Patrum in nostrā expositionem.

Origenes cap 6. ad Roman. Petro cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super terrā fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo, nisi caritatis exigitur.

S. Basilius serm. de iudicio Dei. Ille beatus, qui cæteris prælatus discipulis fuit, cui claues regni cœlestis commissæ.

S. Chrysostomus Hom. 55. in Matth. Deus concedere solus potest, vt futura Ecclesia tot tantisq; fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor & caput Homo Piscator atq; ignobilis. Hunc vniuerso terrarum orbi Christus præposuit: sicut Ieremiam vni genti pater.

S. Ambrosius in 2. Corinth. 12. Primatum non accepit Andreas, sed Petrus. Sic passim alii quoque capitis, totius orbis Magistri, principis discipulorum, præfecti orbis, &c. Nomen S. Petro tribuunt. Vt execranda hæreticorum nostrorum peruersitas sit, qui meretricia fronte asseuerare audent, *Apostolos inter sese omnes fuisse pares.* Hyper. in locis 677. 678.

Hæreticorū perfidia, S. Petro Primatum detrahentiū.

Nec

Nec vllum Apostolicum vnquam fuisse vniuersale ministeriale caput. Beza volum. 3. p. 135. l. 1. *Petrum nullum ius habuisse in alios Apostolos.* Caluinus 4. instit. 6. §. 8. *Nec eum Præfectum cæteris.* Danæus Tom. 1. respons. p. 235. 236. 237. 239. 243. *Nullum vnquam Petro Primatum collatum.* ibidem 279. *Quia Petra super quam fundata est Ecclesia non Petrus sit, sed Christus.* Martyr in locis p. 799. Danæus tom. 1. respons. 244 Kimedont de verbo Dei 178. *Neq; vni illi claues regni cœlorum commissæ sint.* Hyper. in locis 674. Foxus in Apocal. p. 25. Et in cap. 11. Apocal. p. 227. Quod posterius vt aliquo colore pingant (nam priora euidentissima mediacia sunt, quod tum ex iis quæ diximus supra, tum ex *Baronio* nostro tom. 1. Annaliū cap. 228. & *Bellarmino* lib. 1. de Romano Pontif. cap. 10. 11. & sequentibus ad finem vsque libri constare potest) tanquam graue firmamentum offerunt obiectiunculam, quam hoc sibi loco Cyprianus tanquam ineptiarum istarum præscius soluendam vltimo loco proposuit. Est autem obiectio talis. *Baronius.* *Obiectio contra Primatum Petri ab reliquorum Apost. paritate.*

Apostoli ab resurrectione parem potestatem à Domino accipiunt, cùm inquit Iohan. 20 v. 21 23. *Sicut misit me pater & ego mitto vos. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ verba ita exponunt patres, vt aperte dicant, factos esse his verbis Apostolos Christi vicarios, immò ipsum Christi officium & authoritatem accepisse, qua omnis Ecclesiastica potestas continetur. Pater enim filiū misit summa potestate præditum. At Christus ita mittit discipulos, sicut ipse missus erat à Patre. Si ergo idem datur Apostolis per illa verba, ego mitto vos, quod Petro fuerat promissum per illud; tibi dabo claues, & postea exhibitum per illud, pasce oues meas: quomodo stabit Primatus Petri. *Luther. lib. de potestate Papæ.* *Caluinus li. 4. instit. cap 6 § 4 et sequentib.* *Bellarm. lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 23.*

Respondet Cyprianus, ista Primatum Petri non euertere. Cū enim duplex sit potestas Ecclesiastica, vna ordinis, quæ ad Sacramenta conficienda & ministranda pertinet, altera iurisdictionis, quæ ad populum *Solutio obiectionis.*

pulum Christianum regendum gubernandumque spectat: Vtramq; pari modulo omnes à Christo acceperunt, nec ius suum reliqui Apostoli à Petro expectarunt. At præter ista communia aliud priuilegium soli Petro cessit, vt ad cauenda schismata vniuersa quocunq; loco communi operâ collecta Ecclesia in ipso tanquam capite, ac summo noui Testamenti Pontifice cohæreret, ac postea tempore consequenti omnis ordinaria potestas Episcoporū ex ipso solo tanquam fonte deduceretur. Sic INNOCENTIVS I. Epist. ad Concilium Carthaginense: *à Petro* inquit *ipse Episcopatus, & tota autoritas nominis huius emersit.* Et Leo serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum: *Si quid* inquit *commune cum eo alijs voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid alijs non negauit*: Et epist. 89. *Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in beatissimo Petro Apostolorum omniū summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.*

Solius Petri priuilegium.

Apud August. epist. 91.

Probatur solutio aliorum Patrū & Pontificum consensu.

Atq; hoc modo etiam B. Hieron. respondet, lib. 1. in Iouinianum. *Inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio. Sed cur non Iohannes electus est virgo? ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens ac penè puer progressa ætatis hominibus præferretur.* Et Optatus lib. 2. contra Parmenianum: *Cathedra,* inquit, *vna est, & negare non audes, scire te Petro primā in vrbe Roma cathedram esse collatam, vbi sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde Cephas appellatus, in quo vno Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisq; defenderent, vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularē Cathedrā alteram collocaret. Ergo cathedra vna est, quæ est prima de dotibus. In ea sedit primus Petrus. succedit Linus, Lino Clemens,* &c.

Instantia.

Instantia. Atqui pariter Apostoli omnes dicuntur *fundamenta Ecclesiæ* Ephes. 2. v. 20. & Apocal. 21.

v. 14.

v.14. quo alludens B. Hieronymus lib. 1. in Iouinianum: *Sed dicis,* inquit, *super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & ex aquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.* Respondet Bellarm. tribus modis Apostolos omnes fuisse Ecclesiæ fundamēta, sine vllo tamē Petri prę-iudicio 1. Quia ipsi primi Ecclesias vbiq; fundarūt, & sic quisq; Ecclesiæ à se collectæ fundamentū dici potest. 2. Quia nō semper Ecclesiæ noui articuli reuelātur, sed in ea doctrina acquiescimus, quā semel Apostolorū traditione accepimus. 3. Ratione gubernationis, in qua tamē differentia est. Omnes enim fuerunt capita quidem, Rectores & Pastores Ecclesiæ vniuersæ, sed non eodem modo quo Petrus. Illi enim habuerunt summā atq; amplissimam potestatem, vt Apostoli seu legati; Petrus aūt vt Pastor ordinarius. Deinde ita habuerunt plenitudinē potestatis, vt tamen Petrus esset caput eorum & ab illo penderent, non è contrario: quod & iam supra citatis Hieronymi verbis, & epist. 84. S. Leonis ad Anastasium Episcopū Thessalonicensem patet, vbi quasi explicans hanc Cypriani disputationem, *Inter Beatissimos* inquit *Apostolos in similitudine honoris fuit quadam discretio potestatis: & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præmineret. Idq; magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis Prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: Et rursus quidam in maioribus vrbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vnquam à suo capite dissideret.*

Responsio. lib. 1. de Roma. Pontif. cap. 11.

Apostoli omnes quo pacto sine iniuria Primatus Petri Fundamenta Ecclesiæ.

S. Leo.

Sed vt tandem cōcludamus, summa est, pares fuisse Apostolos Apostolica potestate, & Apostolica in omnes populos Christianos authoritate, sed nō fuisse omnimodò pares inter se, quia Petro inter ipsos fratres tanquam Iudæ inter duodecim Patriarchas datus est principatus, cuius sedes quasi radix esset & fons, vnde vnitas Ecclesiæ dimanaret. Quam suam

Conclusio.

ſententiã multis aliis in locis explicatã reliquit *Cyprianus*, vt epiſt. 55. ad Conciliũ *Nauigare audent ad Petri Cathedram & Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt.* Et Epiſt. 73. ad Iubaianum. *Nos Eccleſiæ vnius caput & radicem tenemus. Nam Petro primum Dominus, ſuper quem ædificat Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit.* Et infra. *Eccleſia quæ vna eſt, ſuper vnum, qui claues eius accepit, voce Domini fundata eſt.*

ANNOTAT. IN CAP. III.

Hoc eo ſit fratres dilectiſſimi] latiſſimè & apertiſſimè hîc repetitur, quod paucis dixerat Epiſt. L V. Cyprianus, initium hæreſeon & ſchiſmatum eſſe Romani Pontificis contemptum. Atq; adeò quantumuis id quidam aliorſum detorqueant illud, *nec caput quæritur* prorſus de Pontifice Romano intelligendum venit. Nam explicans quod ſit illud caput, *probatio eſt* inquit *ad fidem facilis compendio veritatis: Loquitur Dominus ad Petrum*, &c.

Hoc erant vtiq; cæteri]. Non eſt quod pro ſe iſtud torqueant aduerſarii contra Petri Primatum, præſertim ſi iuxta Manut. locus hic legatur, ad quem quam proxime accedit illud Cambronenſis codicis: *Et quamuis Apoſtolis omnibus parem tribuat poteſtatem, vnam tamen Cathedram conſtituit, vnitatis eiuſdem originem atq; rationem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant & cæteri quod Petrus, ſed Primatus Petro datur, vt vna Eccleſia & Cathedra monſtretur. Et paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi cõſenſione paſcatur.* Vide Remundum Rufum contra Molinæum & Alanum Copum Dialog. I. contra Magdeburgenſes cap. 20. de loco hoc diſputantes latiſſime. Statueram autem teſtimonia veterũ paucis hic adnotare de Primatu Petri ſupra alios Apoſtolos, verum ne ſim prolixior, remitto lectorem ad locos citatos in an-

Petri et reliquorum Apoſtolorũ comparatio.

notat.

notat. Epiſtolarum LV. & LXXII. ſufficiant hoc loco Canon vnus Concilii Niceni ac loci duo D. Hieron. alter lib. 1. contra Iouinian. alter libr. 1. contra Pelagian. Illic *ſuper Petrum*, inquit, *fundatur Eccleſia. Et licet idipſum in alio loco ſuper Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eis Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Hic vero: *Quid Platoni* (inquit) *& Petro? vt ille princeps philoſophorum, ita hic Apoſtolorum fuit. Super quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt.* Niceni Concilii Canon vulgo ſextus, ita legitur in Cod. venerandæ Antiquitatis D. Vedaſti Atrebatenſis, ſcripto ante annos plus minus octingentos: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum. Teneat autem & Aegyptus Libyæ & Pentatopolis, ita vt Epiſcopus Alexandria harum omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia conſtitutus eſt. Itaque & in cæteris prouinciis priuilegia ſalua ſint Eccleſiarum.* I. P.

Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.

CAPVT IV.

Confirmatio: eiuſque argumenta quatuor prima.

QVam vnam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum ſpiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat & dicit: *Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ electa genitrici ſuæ.* Hanc Eccleſiæ vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Ec- 1.

Cant. 6. 9.

2. Relinquens Petri Cathedrã fidem deſerit, atque extra Eccleſiam eſt.

est Ecclesia, deserit; in Ecclesia se esse con-
5. fidit? quãdo & Apostolus Paulus hoc idem
doceat, & Sacramentum vnitatis ostendat,
Ephes. 4. 4. dicens: *Vnum corpus & vnus spiritus, vna*
spes vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides,
Episcopi v- *vnum baptisma, vnus Deus.* Quam vnita-
nitatis ma- tem firmiter tenere & vindicare debemus,
ximè stu- maximè Episcopi, qui in Ecclesia præsi-
diosi sun- demus, vt Episcopatum quoque ipsum v-
to. num atque indiuisum probemus. Nemo
fraternitatem mendacio fallat, nemo fi-
dei veritatem perfida præuaricatione cor-
Occupatio. rumpat. Episcopatus vnus est, cuius à sin-
gulis insolidum pars tenetur. Ecclesia
quoque vna est, quæ in multitudinem la-
tiùs incremento fœcunditatis extenditur:
quomodo solis multi radii, sed lumen v-
num, & rami arboris multi, sed robur v-
num tenaci radice fundatum. Et cùm de
fonte vno riui plurimi defluunt, numero-
sitas licet diffusa videatur exundantis co-
piæ largitate, vnitas tamen seruatur in o-
4. rigine. Auelle radium solis à corpore, diui-
sionem lucis vnitas non capit: ab arbo-
re frange ramum, fractus germinare non
poterit: à fonte præcide riuum, præci-
sus arescet. Sic & Ecclesia Domini luce
perfusa per orbem totum radios suos por-
rigit. Vnum tamen lumen est quod vbi-
que diffunditur, nec vnitas corporis se-
paratur: ramos suos in vniuersam terram
copia vbertatis extendit, profluentes
lar-

largiter riuos latius expandit: Vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater fœcunditatis successibus copiosa.

ANAL. CAP. IV.

Hactenus scopum seu metam vidimus, ad quam deinceps Cyprianus omni argumentorrm robore collimaturus est. Nempe vnam esse in mundo Catholicam Ecclesiam, super Petri sedem inconcussa stabilitate fundatam, ad quam omnes conuenire, & à qua nemo vnquam quouis prætextu recedere debeat. *Sequitur* nunc vt argumenta ordine supputemus, quæ alii aliter numerant. Nos recensuimus XIX. Quorum *primum est* ex dicto *Cant. 6. v. 9. Sexaginta sunt Reginæ & octoginta Concubinæ, & adolescentularũ non est numerus. Vna est columba mea perfecta mea, vna* est matri *suæ, electa genitrici suæ.* Vbi notandũ coñuniter ea, q̃ in Canticis desponsa sub variis figuris dicuntur, ad Ecclesiam Catholicam referri: de qua Paulus Ephes. 5. 25. *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea &c.* Sed tamẽ quia sæpè parum commodè multa quadrant, alii eadem de B. virgine, alii de qualibet anima perfecta intelligunt, quod probabilius videtur. Etenim si per vnicam illam sponsam intelligas Ecclesiam, quid intelliges per Reginas, concubinas & adolescentulas, quas omnes fouet sponsus & diligit? Igitur per matrem intelligitur Ecclesia, per reginas, Concubinas & adolescentulas intelliguntur animæ imperfectiores, fideles tamen & bonæ. Dicitur enim cap. 1. *Propterea adolescentulæ dilexerunt te.* At per vnicam, perfectam, sponsam & columbam intelligitur anima perfecta. Sic etiam in eo quod dicitur, cap. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Si per amicã intelligas Ecclesiam: quid intelliges per cæteras filias? num con-

Recapitulatio.

Argument. 1. confirmat.

Sponsa in Cant quid.

Bellar. li. 3. de Eccles. milit. cap. 7.

gregationem infidelium? absit. Loquitur igitur de anima perfecta quæ inter multas peccatrices in eodem horto Ecclesiæ commemoratur. *Augustin.* Epist. 48. *Dicuntur*, inquit, *spinæ propter malignitatem morum, dicuntur filiæ propter communionem Sacramentorum.*

2. II. Argumentum. Vnitas Ecclesiæ ad fidem pertinet. *Credimus enim vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam* E. sine hac vnitate nemo se fidem tenere putet: ac per consequens qui Petri cathedram super quam vnam fundata est Ecclesia (attendat Lector) deserit, extra Ecclesiam magno suo periculo vagatur.

3. *Epist. 40.* III. A dicto Pauli Ephes. 4. 4. Quod ipsum alibi vrgens Cyprianus, *Deus vnus est* inquit, *& Christus vnus, & vna Ecclesia, & cathedra vna super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunq; humano furore instituitur, vt dispositio diuina violetur.*

Huic argumento annectit hortatiunculam ad Episcopos, vt ipsi maximè vnitatis tenaces sint: deinde prolepsin, cum multi hinc inde sint Episcopi, & variæ Ecclesiæ particulares, quomodo vnus Episcopatus, & vna Ecclesia sit. Respondet vnitatem istam in Identitate originis, & vinculo pacis consistere: Quia omnes ex vno, & omnes cum vno cohærere debent. Id quod duplici similitudine Solis & fontis illustrat.

4. IV. Ex superioribus similibus. Radius solis à corpore diuulsus obtenebrescit, ramus ab arbore excisus, arescit: riuus à fonte præcisus, arescit. E. neque ab Ecclesiæ vnitate segregatus florere Spiritu potest. Ex hoc loco elicit Augustin. propriissimã vocis CATHOLICÆ significationẽ, refellitque Donatistas, se quoque impudenter Catholicos asserentes, quod nostros quoq; nouatores inuerecundè *Confer Collation. 3. diei. cap 3.*

facere

facere videas. *Nunc* inquit, *quoniam vos potius esse Catholicos testimonio B. Cypriani affirmare conatus es: attente paululū quā Ecclesiam dixerit ille Catholicā, cū eius defenderet vnitatē: Ecclesia, inquit, Domini luce perfusa, per totū orbē radios suos porrigit: Vnū tamē lumen est, quod vbiq; diffunditur, nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos largius expandit: Vnum tamen caput est & origo vna & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa. Quid igitur & vos ipsos fallitis, & alios fallere mendaciis impudentibus vultis? si huius martyris testimonio vestra est Ecclesia Catholica, ostendite illam per vniuersam terram ramos suos copia vbertatis extendere. Hinc etiam & Græco vocabulo Catholica nominatur. Quod etiam Græce ὅλον dicitur, latine totū vel vniuersum interpretatur. Per totum ergo siue secundum totum est καθ᾽ ὅλον. vnde Catholica nuncupatur. Si hoc nosti, quare te nosse dissimulas? si autem ignoras, quare non prius quàm loqueris, quod nescis, eos qui norunt, interrogas? Quod si displicet tibi, non Græcam, sed aliquam linguam inueni, qua doceas Catholon, non per totum, siue secundum totum, vel secundum vniuersum significare: Et recede à testimonio Cypriani. Ille namq; contra te loquitur: qui vides quid dicat. Per orbem totum dicit. & per vniuersam terram porrigi, extendiq; Catholicam; Græco eius nomini, ac diffinitioni consentiens. Tu aliud tenere, sentire, dicere reperiris, & dum Cypriano teste inniteris, Cypriano teste mentiris.*

Lib. 2. contra Gaudentium cap. 2.

Confer lib. 3. contra Cresco. Grammat. cap. 65.

Catholicū vnde dicatur.

CAPVT V.

Alia quinq; argumenta pro vnitate Ecclesiæ.

ILlius fetu nascimur, illius lacte nutrimur? Spiritu eius animamur. *Adulterari non* 5.

potest

Errare Ecclesia nequit. potest sponsa Christi, incorrupta est & pudica: vnam domum nouit, vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo ser-
6. uat, hæc filios regno quos generauit, assignat.
7. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur.
Extra Ecclesiã nulla salus. Nec perueniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. *Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* Si potuit euadere quisquã, qui extra arcam Noë fuit; & qui extra Ec-
8. clesiam foris fuerit, euadit. Monet Domi-
Matt. 12.30 nus & dicit; *qui non est mecum, aduersus me est, & qui non mecum colligit, spargit.* Qui pacem Christi & concordiam rumpit, aduersus Christum facit. Qui alibi præter Ecclesiam colligit, Christi Ecclesiam spar-
9. git. Dicit Dominus, *Ego & pater vnum su-*
Ioan. 10. 30. *mus.* Et iterum de patre & filio & Spiritu
1. Ioan. 5. 7. sancto scriptum est: *Et hi tres vnum sunt,* & quisquam credit hanc vnitatem de diuina firmitate venientem, Sacramentis cœlestibus cohærentem, scindi in Ecclesia posse, & voluntatum collidentium diuortio separari? Hanc vnitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet patris & filii fidem, vitam non tenet & salutem.

ANALYSIS CAP. V.

5. **V. Argumentum pro tenenda Ecclesiæ vnitate, est à commodis eius, nos vberibus suis nutricantis,**

cantis, & Deo educantis. Quò pertinet illud Augustini ad Honoratum: *Sed de me quid dicam, qui tam Catholicus Christianus eram: Qui nunc vbera Ecclesiæ post longissimam sitim penè exhaustus atque auidus tota auiditate repetiui, eaque altius flens & gemens concussi & expressi, vt id manaret, quod mihi sic affecto ad recreationem satis esse posset, & ad spem reducendam vitæ ac salutis.* Quæ causa cur tam sæpè MATRI conferatur: vt Epist. 238. Augustini: *Catholica MATER quæ vos in hæreditatem Christi ab ex hæredata præcisione fugiētes pio sinu suscepit, &c.* De vtilit. Creden. cap. 1. Ecclesia mater.

VI. A perpetua Ecclesiæ integritate, quæ adulterari, hoc est adulterinam doctrinam sequi aut proponere non potest: quod probè Nouatores nostri obseruent. *Tertull. de præscript. cap. 28. Age omnes Ecclesiæ errauerint, nullam respexerit Spiritus sanctus, vti eam in veritatem deduceret, &c. neglexerit officium Dei villicus Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm ipse per Apostolos prædicabat: Ecquid verisimile est, vt tot ac tanta in vnam fidem errauerint?* 6. Ecclesia non errat.

August. lib. 1. contra Cresconium, cap. 33. *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat Auctoritas, vt quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate sancta scriptura demonstrat.* Et epist. 118. *Disputare contra id, quod vniuersa Ecclesia sentit, insolentissimæ insania est.*

VII. Ab effectu noxio. Deserens Ecclesiam excidit à promissis Dei, nec saluari potest: quod multis verbis explicat, ac postea similitudine arcæ Noë illustrat: quam typum Ecclesiæ fuisse, etiam August. docet lib. 5. de baptismo cap. vlt. & Hiero. Epist. ad Damasum de tribus Hypost. & Dialog. &c. 7.

VIII. Ex Matth. 12. v. 30. Qui non cum Christo in Ecclesia est, hostis eius est & dispergit. 8.

IX. Ab

IX. Ab vnitate patris & filii. Pater & filius vnum sunt essentia ac voluntate. Ergò & nos consensione, vniusque Catholicæ Ecclesiæ communione vnum esse debemus.

CAPVT VI.

Figuræ duæ pro vnitate Ecclesiæ.

10. HOc vnitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur; quando in Euangelio *tunica Domini nostri Iesu Christi non diuiditur*, omnino nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis ipsam potius indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta atq; indiuidua tunica possidetur. Loquitur ac dicit scriptura diuina: *de tunica autem quia de superiore parte non consutilis, sed per totum textilis fuerat, dixerunt ad inuicem: non scindamus illam, sed sortiamur de ea cuius sit.* Vnitatem illa portabat de superiore parte venientem, id est de cœlo & à patre venientem: quæ ab accipiente ac possidente scindi omninò non poterat, sed totam semel & solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit & diuidit Ecclesiam Christi. Contra denique cum *Salomone* moriente regnum eius & populus scinderetur, *Achias Propheta Ieroboam* Regi obuius factus in campo, in duodecim scissuras vestimentum suum disci-

Tunica Domini incōsutilis figura Ecclesiæ.

Ioan 19. 23.

11. *Scissio vestimenti Achiæ emblema schismatis.*

discidit dicens, *Sume tibi decem scissuras,* 3.Reg.11.31.
quia hæc dicit Dominus: Ecce scindo regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem sceptra, & duo sceptra erunt ei propter seruum meum Dauid, & propter Hierusalem ciuitatem, quam elegi, vt ponam nomen meum illic. Cum duodecim tribus Israël scinderentur, vestimentum suum propheta Achias discidit. At verò quia Christi populus non potest scindi, tunica eius per totum textilis & cohærens diuisa á possidentibus non est: indiuidua, copulata, connexa, ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam cohærentem: Sacramento vestis & signo declarauit Ecclesiæ vnitatem.

ANALYSIS CAP. VI.

Sequentia duo argumenta X. & XI. sunt ex duabus contrariis figuris, tunicæ videlicet Christi inconsutilis, & scissi vestimenti Achiæ: Quarum illa vnitatis Ecclesiasticæ, Hoc verò dici schismatis typus fuit. Infra de duodecim abusionibus seculi prior similitudo paulò aliter applicatur. *Infælix,* inquit, *est, qui abiicit disciplinam. Audet enim extra milites aliquid, qui Dominum crucifigentes, non eius sciderunt tunicam, qui Ecclesiæ Christi scindit disciplinam. Sicut enim tunica totum corpus præter caput tegitur, Ita disciplinâ, omnis Ecclesia præter Christum qui caput est Ecclesiæ, & sub disciplina non est, protegitur & ornatur. Ipsa enim tunica contexta desuper fuerat per totum, quia eadem disciplina Ecclesia a Domino de cœlo tribuitur & integratur. De qua Dominus cùm ad patrem ascendisset, postquam resurrexit à mortuis ad Apostolos suos loquebatur, dicens: Vos autē sedete hic in ciuitate quoadusq; induamini virtute ex alto. Tunica ergo corporis Christi, disciplina Ecclesiæ est:* Cap 11. Figura tunicæ Christi. Ioan 19.24 Luc.24.49

qui

qui autem extra disciplinam est, alienus est à corpore Christi. Non scindamus igitur illam, sed sortiemur de illa cuius sit: id est non soluamus quicquam de mandatis Domini, sed vnusquisq; in eo, in quo vocatus est, in eo permaneat apud Dominum.
Posterior similitudo per se satis manifesta est.

CAPVT VII.

Alia octo argumenta pro vnitate.

QVis ergò sic est sceleratus & perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, vt aut credat scindi posse, aut audeat scindere vnitatem Dei? Vestem Domini? Ecclesiam Christi? Monet ipse in Euangelio
12. suo, & docet dicens: *Et erit vnus grex, & Ioan. 10. 16. vnus pastor.* Et esse posse vno in loco aliquis existimat aut multos pastores, aut multos greges? Apostolus item Paulus
13. hanc eandem nobis insinuans vnitatē, obsecrat & hortatur, dicens: *Obsecro* inquit, *vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu 1. Cor. 1. 10. Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Sitis autem compositi in eodem sensu, & in eadem sententia.* Et iterū dicit: *Sustinentes inuicem in dilectione, satis Ephes. 4. 3. agentes seruare vnitatem Spiritus in coniunctione pacis.* Stare tu & viuere putas posse de Ecclesia recedentē? sedes sibi alias & diuersa domicilia condentē? cùm dictū sit ad
14. Iosue. 2. 18. 19. *Raab*, in qua præformabatur Ecclesia: *Patrem tuum & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum*

in domum tuam, & erit omnis qui exierit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit: Item Sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege contineat, quàm vt agnus, qui in figura Christi occiditur in domo vna edatur. Loquitur Deus dicens: *In domo vna commedetur, non eiicietis de domo carnem forâs.* Caro Christi & sanctum Domini eiici fôras non potest, nec alia vlla credentibus præter vnam Ecclesiam domus est. Hanc domum, hoc vnanimitatis hospitium designat, & denunciat Spiritus sanctus in Psalmis dicens: *Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo*: In Domo Dei, in Ecclesia Christi vnanimes habitant, concordes & simplices perseuerant. Iccirco in *Columba* venit Spiritus sanctus. Simplex animal & lætum est, non felle amarum, non morsibus sæuum, non vnguium laceratione violentum: hospitia humana diligere, vnius domus consortium nosse, cùm generant simul filios edere, cùm commeant volatibus inuicem cohærere, communi conuersatione vitam suam degere, oris osculo concordiã pacis agnoscere, legem circa omnia vnanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc charitas obtinenda, vt colũbas dilectio fraternitatis imitetur, vt mansuetudo & lenitas agnis & ouibus coæquetur. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas? & canum rabies? & vene-

Rahab figura Ec. lesia. 15.

Exodi 12. 3. &c.

16.

Psal. 67. 7.

17. *Matth. 3. 16* *Columba natura.*

18.

O num

num letale serpentum? & cruenta sæuitia bestiarum? gratulandum est cum tales de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oues Christi sæua sua & venenata contagione prædentur. Cohærere & coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cũ pace, cum fœcunditate, sterilitas, cum fõtibus siccitas, cum tranquillitate tempe-
19. stas. *Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere.* Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. Hos execratur & percutit Iohannes Apostolus, dicens: *Ex nobis exie-*
1. Ioan. 2. 19 *runt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum.*

ANALYSIS CAP. VII.

XII. Ex dicto Christi Iohan. 10. quod alibi la-
12. tius deducens: *Dominus* inquit, *insinuans nobis v-*
Epist. 76. *nitatem de diuina auctoritate venientem, ponit &*
ad Magnũ. *dicit: Ego & pater vnum sumus: ad quam vnita-*
Ioan. 10. 30. *tem redigens Ecclesiam suam, denuò dicit: Et erit v-*
nus grex & vnus pastor. Si autem grex vnus est, quo-
Ioan. 10. 16. *modo potest gregi adnumerari, qui in numero gregis non est? aut pastor haberi quomodo potest, qui (manente vero pastore, & in* Ecclesia *Dei ordinatione succidanea præsidente) nemini succedens, & à seipso incipiens, alienus fit & prophanus, dominicæ pacis ac*
Psal. 67. 7. *vnitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id est, in Ec-*

in Ecclesia Dei, in qua non nisi concordes atq; vnanimes habitant?

XIII. Ex duobus Pauli dictis, schismata prohibentis & vnitatem Spiritus in coniunctione pacis seuerissimè præcipientis, 1. Cor. 1. 10. Ephes. 4. 3. 13.

XIV. Ex figura Raab, cuius familia tota sub vno tecto, & iisdem parietibus tuta fuit, Israëlitis Iericho occupantibus, Iosuæ 2. v. 18. 14.

XV. A figurâ paschatis, quòd multi simul cōgregati in vna domo comedebant. Exodi 12. 3. quæ duo argumenta latius explicat Epist. 67. ad Magnum. *Foris enim non esse Ecclesiam, nec scindi aduersum se, aut diuidi posse, sed inseparabilis atq; indiuiduæ domus vnitatem tenere; manifestat scriptura diuinæ fides cùm de Sacramento pascha & agni, qui agnus Christum designabat, scriptum sit: In domo vna comedetur, non eiicietis de domo carnem foras. Quod item circa* Raab, *quæ ipsa quoq; typum portabat* Ecclesia *expressum videmus: cui mandatur & dicitur, patrem tuum, & matrem tuam & fratres tuos, & totam domum patris tui, colliges ad te ipsam in domum tuam, & omnis qui exierit ostium domus tuæ foràs, reus sibi erit. Quo Sacramento declaratur in vnam domum solam, id est, in Ecclesiam, victuros & ab interitu mūdi euasuros, colligi oportere. Quisquis autem de collectis foràs exierit, id est, si quis quamuis in Ecclesia gratiam consecutus, recesserit, & ab Ecclesia exierit, reum sibi futurum, id est, ipsum sibi quod pereat imputaturum.* 15. *Exod. 12. 3. 7. Iosua. 2. 18. 19.*

XVI. Ex dicto Psal. 67. 7. Deus habitare facit vnanimes in domo: id est in Ecclesia, quæ est Domus Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis. 1. ad Timoth. 3. 15. 16.

XVII. A natura columbæ, cuius specie apparuit Spiritus sanctus. Matth. 3. 16. Marc. 1. 10. Lucæ. 3. 22. Confer quę suprà diximus in Exordio, de natura columbæ & serpentis. 17.

XVIII. A contraria natura Luporū, canum, serpentum: quibus similes sunt schismatici, quos 18.

magno Ecclesiæ bono separari dicit. Confer supra Tertull. de præscript. cap. 3. argum. 7.

19. XIX. Desertio Ecclesiæ leuitatem indicat, malamque indolem: permansio firmitudinem. Ergo manendum potius quàm recedendum. Antecedens declarat similitudine tritici & palearum, item inualidarum arborum: Et tandem testimonio Iohan: de quo S. *Augustinus tract.* 3. in Epist. Iohan. *Omnes hæretici* inquit, *omnes schismatici ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt, sed non exirent, si ex nobis essent: antequam exirent ergo, non erant ex nobis: si antequam exirent non erant ex nobis, multi intus sunt, non exierunt, & tamen Antichristi sunt.* Et infra: *Et qui intus sunt, certè sunt in corpore Domini nostri Iesu Christi, quando adhuc curatur corpus ipsius, & sanitas perfecta non erit, nisi in resurrectione mortuorum: sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali, quando euomuntur, tunc releuatur corpus; sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia releuatur, & dicit quando eos euomit, atque proiicit corpus, ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me? non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant cùm inessent.*

Confer supra Tertull. de præscrip. cap. 2.

Elegans simile.

ANNOTAT. CAP. VII.

Sitis autem compositi in eodem sensu] Ita exc. & Cambiron. ad marg. idem in contextu & Afflig. Sitis autem perfecti. vtrumque significat vox Græca κατηρτισμένοι. quanquã prius magis accedat ad propriam significationem eius vocis: nam καταρτισμον vocat Paulus Aegineta, cum laxati artus componendo redeunt ad iuncturã, inde translatio facta. I. P.

Cum generant simul filios edere] ita excusi & M.S. omnes, quare rectè hic dissentit Morelius à Pierio, q cõtendit legendũ, educare. Edere autem, inquit, in lucē producere, & excludere fœtũ significat, q Aristoteles ἐκκολάπτειν & ἐκτυπεῖν dicit: Notum

tum est enim Columbas vicissim ouis incubare, id est, συνεπωάζειν. Eadem significatione dixit Plin. lib. 10. cap. 32. fœminam edunt quæ rotundiora gignuntur oua. Nouè autem filiorum nomē pullis Columbinis adaptat, nec dissimiliter equis Columella lib. 6. cap. 37. I. P. *Filii pro pullis.*

Hac est in Ecclesia noscenda simplicitas] ita simplicitatem accipit, vt à duplicitate distinguatur, quomodo etiam D. Augustinus contra Cresc. loco citato, atque hinc non malè coniecit Remundus Rufus inscribendum potius librum hunc, *de simplicitate Ecclesiæ,* quam *de simplicitate prælatorum.* I. P. *Simplicitas.*

Cum tales de Ecclesia separentur] De Ecclesia separari dixit, quod nos excommunicari. Vide Epist. 38. sequitur autem pulcherrima ἐναντίωσις. I. P.

CAPVT VIII.

Conclusio confirmationis.

HInc hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet vnitatem. Fieri verò hæc Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, vt dum corda & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra, manifesta luce clarescat. Per Apostolum præmonet Spiritus sanctus, & dicit: *Oportet & hæreses esse, vt probati manifesti sint in vobis.* Sic probātur fideles, sic perfidi deteguntur: sic & *Hæreses cur esse sinantur.* *1. Cor. 11. 19.*

ante iudicii diem hîc quoque iam iustorum atque iniustorum animæ diuiduntur, & à frumento paleæ separantur. Hi sunt qui se vltrò apud temerarios conuenas sine diuina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege cõstituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt: quos designat in Psalmis Spiritus sanctus, *sedentes in pestilentiæ cathedra*, pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices; venena letalia linguis pestiferis euomentes: quorum *sermo vt cancer serpit*: quorum tactus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit. Contra eiusmodi clamat Dominus, ab his refrænat & reuocat errantem plebem suam dicens, *nolite audire sermones Pseudoprophetarum*: *Quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos. Loquuntur sed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abiiciunt verbum Dei, pax erit vobis, & omnibus ambulantibus in voluntatibus suis, omnis qui ambulat in errore cordis sui, non venient super eum mala, non locutus sum ad eos, & ipsi prophetauerunt. Si stetissent in substantia mea, & audissent verba mea, & si docuissent populum meum, conuertissem eos à malis cogitationibus eorum.* Hos eosdem denuò Dominus designat & denotat dicens: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare.*

Hereticorum descriptio.

Psalm. 1. 1.

2. Tim. 2. 17.

Dehortatio à Pseudoprophetis.

Ierem. 23. 16. 17. 22.

Ierem. 2. 13.

tare. Quando aliud baptisma præter vnum esse non possit, baptizare se posse opinantur. Vitæ fonte deserto, vitalis & salutaris aquæ gratiam pollicentur. Non abluuntur illis homines; sed potius sordidantur: nec purgantur delicta; sed immò cumulantur. Non Deo natiuitas illa, sed Diabolo filios generat. Per mendacium nati, veritatis promissa non capiunt. De perfidia procreati, fidei gratiam perdunt. Ad pacis præmium venire non possunt, qui pacem Domini discordiæ furore ruperunt.

Ephes. 4. 5.

Cypriani error de baptisme.

ANALYSIS CAP. VIII.

Quadrimembris est hic Epilogus. Primo etenim loco causam exponit & originem hæreseon, quæ ex neglecta fidei vnitate oriuntur. Item causam finalem: cur Deus hæreses esse permittat, vt videlicet probati manifesti fiant, 1. Corinth. 11. 19. *Deinde* quæ sit natura hæreticorum & schismaticorum, vt videlicet ipsi iniussi currant, non ordinati doceant, & Episcopatus honorem ad se violẽter rapiant: quemadmodum idipsum Epist. 76. ad Magnum exemplo declarat Cyprian: *Nouatianus* inquit, *in Ecclesia non est, neq; Episcopus computari potest, qui Apostolica traditione contempta nemini succedens* à *se ipso ordinatus est.*

Nobis hodie affatim exempla suppetunt turbulentissimi reformatores nostri, qui nulla ordinationis lege summa Ecclesiæ gubernacula inuolarunt. Quis enim *Lutherum* Episcopum VVittenbergen-

Haretici nostri ordinatione carent.

Episcopatū eius accipiat alter. *Psal.* 108. 8.

bergensem, quis *Zuinglium* Episcopum Tigurinū, quis *Oecolampadium* Episcopum Basiliensem (sic enim in Epitaphio celebratur) quis *Caluinum* Episcopum Geneuensem, quis alios alibi præpositos vocauit, ordinauit, constituit? Neque enim quisquam (*si Concilium* Nicænum *primum audstur cap. 4. & Cartha. 4. cap. 12.*) Episcopus fieri potest, nisi à tribus Episcopis ordinetur, vel ex dispensatione ab vno, assistentibus Albatibus. Si plebeculam suam causantur, quicquid de vocatione sit, sciant belluæ multorum capitum nullum ordinationis ius concessum esse: *nec quenquam plus iuris in alterum transferre posse, quàm ipse habeat.*

Episcoporū ordinatio quas leges habeat.

Tertiò quantopere sint cauendi Pseudoprophetæ, duobus Ieremiæ locis ostendit. Ierem. 23. & 2.

Postremò rationem ex priuato suo de Anabaptismo hæreticorum errore annectit: de quo nihil opus hic multa dicere. *Augustinus* Epistol. 48. ad Vincentiū: *Cyprianus*, inquit, *sensisse aliter de baptismo, quàm forma & consuetudo habebat Ecclesiæ, non in Canonicis, sed in suis & in Concilii literis inuenitur. Correxisse autem istam sententiam non inuenitur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt: quanquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant, sed sub eius nomine à præsumptoribus atque mendacibus fuisse confictum.* Et infra. *Porrò autem Cyprianus, aut non sensit omninò quod eum sensisse recitatis: aut hoc postea correxit in regula veritatis: aut hunc quasi næuum sui candidissimi pectoris cooperuit vbere charitatis, dum vnitatem Ecclesiæ toto orbe crescentis & copiosissimè defendit, & perseuerantissimè tenuit vinculum pacis. Scriptum est enim: Charitas cooperit multitudinem peccatorum.*

Cyprianus an errorem suum retractarit.

1. *Pet.* 4. 5.

ANNOT-

ANNOTAT. IN CAP. VIII.

Hinc hæreses] Disertis verbis docet, hæreses oriri ex schismate, de quo supra latius epistolâ LV. I. P.

Manente propria libertatis arbitrio] En assertionem liberi arbitrij. I. P.

Hi sunt qui se vltro] Manut. legit. hinc, sed prius habent MS. nostri cum cæteris excusis. Agit autem contra Nouatianum & eius schismatis sequaces: ille enim sine vlla ordinationis lege præpositus constitutus est, nemine Episcopatum dante, Episcopi Romani sibi nomen assumpsit, vti supra latius in epistolis sub Cornelii Pontificatu scriptis. Optime autem quadrant hæc ipsa verba in nostræ tempestatis hæreticorum ministros. I. P.

CAPVT IX.

Confutatio contrariarum obiectionum.

NEc se quidam vana interpretatione decipiant, quòd dixerit Dominus, *vbicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum*. Corruptores Euangelii atque interpretes falsi extrema ponunt, & superiora prætereunt, partis memores, & partem subdolè comprimentes. Vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita capituli vnius sententiam scindunt. Dominus enim cum discipulis suis vnitatem suaderet & pacem: *Dico*, inquit, *vobis, quoniam si duobus ex vobis conuenerit in terra, de omni re, quamcunque petieritis, continget vobis à patre meo qui in cœlis est. Vbicunque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum*: ostendens non multitudini, sed vnanimitati de-

Obiectio 1.
Matth. 18. 20.
Contra falsos scripturarum interpretes.
Matth. 18. 19.

precantium plurimum tribui. *Si duobus*, inquit, *ex vobis conuenerit in terra*, vnitatem priùs posuit; concordiam pacis antè præmisit, vt conueniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo conuenire; cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum vniuersa fraternitate non cõuenit; Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos cõstat à Christo & ab eius Euangelio separari? *non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt.* Et cùm hæreses & schismata postmodum nata sint: dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput atq; originem reliquerunt. Dominus autem de Ecclesia sua loquitur, & ad hos qui sunt in Ecclesia loquitur: vt si ipsi concordes fuerint, si, secundum quod mandauit & monuit, duo aut tres licet, collecti vnanimiter orauerint, duo aut tres licet sint, impetrare possint de Dei maiestate quod postulant.

Hæretici à Catholicis defecerunt, non contra.

Vbicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego, inquit, *cum eis sum*; cum simplicibus scilicet atq; pacatis, cum Deum timentibus, & Dei præcepta seruantibus. Cum his duobus vel tribus licet, esse se dixit. Quomodo & cum *tribus pueris in camino ignis* fuit; & quia in Deum simplices, atque inter se vnanimes permanebant flammis ambientibus medios spiritu roris animauit? Quomodo *Apostolis duobus in custodia clausis*, quia simplices, quia vnanimes erant,

Marc. 3. 25.

Act. 5. 19. 20.

erant, ipſe adfuit; ipſe reſolutis carceris clauſtris, vt verbum, quod fideliter prædicabant, multitudini traderent, ad forum rurſus impoſuit.

Quando ergo in præceptis ſuis ponit & dicit, *vbi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum*: non homines ab Eccleſia diuidit, qui inſtituit & fecit Eccleſiam: Sed exprobrans diſcordiam perfidis, & fidelibus pacem ſua voce commendans, oſtendit magis eſſe ſecum duobus aut tribus vnanimiter orantibus, quàm cum diſſidentibus plurimis; plusq; impetrari poſſe paucorum concordi prece, quam diſcordioſa oratione multorum. Ideò & cùm orandi legem daret, addidit dicens: *Et cùm ſteteritis ad orationem, remittite ſi quid habetis aduerſus aliquem, vt pater veſter qui in cœlis eſt, remittat vobis peccata.* Et ad ſacrificium cum diſſenſione venientem reuocat ab altari, & iubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem Deo munus offerre: quia *nec ad Cain munera reſpexit Deus*: neque enim pacatum habere Deum poterat, qui cum patre pacem per zeli diſcordiam non habebat. Quam ſibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli ſacerdotum? an ſecum eſſe Chriſtum, cùm collecti fuerint, opinantur; qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur.

[Margin: βίαιον. — Marc. 11. 25 — Matt. 5. 23. 24. — Gen. 4. 5]

ANA-

ANALYSIS CAP. IX.

Quinta libri pars sequitur ἀνασκευὴ seu confutatio vanorum prætextuum, quos hæretici ac schismatici scelestæ separationi suæ prætendere solent. Quibus refellendis ferè longius inhæret Cyprianus, quàm κατασκευῇ vnitatis, quia suis plerunque deliriis decuplo plus hæretici tribuunt, quàm constantissimæ ac probatissimæ Ecclesiæ veritati. Ac nisi à suis præiudiciis probè deiiciantur, omnem Catholicorum frustrantur operam. Est autem *I. Obiectio ex Matth. 18.* huiusmodi.

Obiectio 1. Dominus etiam duobus vel tribus in nomine suo conuenientibus, præsentiam suam promisit. Ergo non necesse est omnes in vastum illud Catholicæ Ecclesiæ gremium congregari.

Simile χρηστοφύγετον hæretici nostri de grege pusillo, & muliere Apocalyptica in desertum eiecta afferunt, de quo infra commodius in Augustino.

Responsio. Huic aũt obiectioni variè *respondet* Cyprianus.

1. 1. per ἐπίπληξιν, obiurgans fraudulentiã hæreticorũ in scripturis truncatè citandis, sine vlla antecedentium & consequentium consideratione, qua de re multa supra ad Tertullianum diximus cap. 38.

2. & 39. Vide & August. lib. 2. de doct. Christ. c. 13. & Hieron. super cap. 4. Amos. & super cap. 25. Matth. *ex antecedentibus*, inquit, *& consequentibus colligitur verus scripturæ sensus*, & Celsus I. C. *Inciuile est*, inquit, *tota lege non perspecta, & vna tantum eius parte proposita iudicare velle de toto legis sensu.* Deinde verum loci sensum exponit, loqui Dominum de conuenientibus inter se, & precantibus etiam paucis, sed magna subintellecta limitatione, vt vnanimes & concordes sint spiritu. At hoc iis qui ab Ecclesia scissi sunt, conuenire non potest, qui cum corpore Christi Ecclesia, & cum vniuersa fraternitate non conueniunt. 3. per occupationem.

3. Atqui hoc ipsum hæretici de Catholica queruntur,

quod

quod suis cum conuenticulis conuenire nolit, adeoque sibi tanquam purioribus cum Ecclesia diuinæ gratiæ promissionem vendicant. Respondet Cyprianus, stultè hoc fieri, cùm *prior Ecclesia fuerit posterior hæresis.* Non enim Catholici ab hæreticis, sed hęretici à Catholicis, *in quorum primò doctrinam apud Romanensem Ecclesiam crediderunt*, defecerunt. Vide supra Tertul. cap. 29. & 31. Legant hoc Thrasones, qui cum *se ab Romana Ecclesia defecisse glorientur, idque Vtile & necessarium fuisse iudicent*, Martyr in locis p. 789. Bulling. in Decad. Germ. 336. 339. *Adeò Vt etiamnum omnibus à Papatu secessionem necessariam scribant.* Martyr ibidem 808. Impudente tamen ore *ipsi Romanæ Ecclesiæ fœdissimam defectionem imputare audent.* Martyr in locis 789. Foxus in 10. Apocalyps. 193. Et in caput 13. Apocalyps. p. 392. Si enim defecit, à qua priori defecit Ecclesia? quando, quo loco, quibus reclamantibus, quibus iudicantibus & damnantibus? Nam quod Apostolicam puritatem causantur ipsi, pueriles ineptiæ sunt, cùm ne vllo quidem iudicio, vlla firma ratione criminationem suam veram ostendere possint. *Apostatæ sunt illi, qui nullum retrò seculum perfidiæ suæ inueniunt consentiens.* Est vtique plana illa, certa & infallibilis Apostolicæ doctrinæ iudicandæ norma, priorum retrò seculorum omnium, & in primis quæ puriora censet hostis ipse, scrinia scrutari, & quid de fidei disciplina tenuerint, explorare: Cùm fieri non possit, quin aliquo saltem tempore veritas caput ex tenebris exeruerit. Hoc mihi æuum, hos patres, hanc Ecclesiam nominari volo, si non Apostatæ desertores isti nostri haberi volunt.

Hæretici accusant Catholicos, quod secum iacere nolint.

Tertul. de præscript. cap. 30.

Romana Ecclesia nō defecit, quia nulla prior Ecclesia, à qua defecerit.

4. *Quartò* repetit principalem responsionem, eamque latiùs explicat, & duobus exemplis, sociorum Danielis in fornace, & duorum Apostolorum in carcere vnanimiter inter se, & pacificè cum Ecclesia precantium.

5. Quintò per retorsionem. Eo ipso sequitur, præ-

ceptam

ceptam à Domino vnitatem, & schismaticam perfidiam condemnatam esse. Qui enim non conueniunt inter se precantes, neque in nomine Domini congregantur, neutiquam exaudiuntur. At hæretici & schismatici in nomine suo, capitali odio prosequentes Ecclesiam, conueniunt, Ergo nunquam exaudientur, sed precatio eorum fiet in peccatum.

6. 6. A minori. In ipsa Ecclesia implacabiles donum suum frustra ad altare offerunt. Multo igitur magis aperti Ecclesiasticæ vnitatis hostes.

ANNOTAT. IN CAP. IX.

Hæretici scripturarum fures & adulteri.

Corruptores Euangelii atque interpretes falsi] Hæreticis propriam esse scripturarum deprauationem & corruptam interpretationem toto libro de præscriptionibus hæreticorum pulchrè docet *Tertullianus*, & *Vincentius Lyrinensis* de prophana hæresum nouitate. Vnde & ab *Origene* in 2. cap. ad Roman. scripturarum vocantur fures & adulteri, & eius rei similitudinem ex malè transformata Regis imagine, videre est apud *Irenæum* lib. 1. aduers. hæret. cap. 1. de mutilatione scripturarum id ipsum docent veteres. Hæreticorum enim alii reiecerunt Euangelia, vt refert D. Augustinus lib. Retract. 2. cap. 16. alii Epistolas omnes Pauli, teste Euseb. lib. 3. histor. Ecclesiast. cap. 27. Origine in Psalm. 82. & Irenæus lib. 1. contra hæreticos. cap. 26. & 29. Alii vniuersam Moysi legem & veteris instrumenti scripturas, vt Manichæi testibus D. August. contra Faustum: & Eusebio lib. 5. capite vltimo. I. P.

Conuenticula.

Dum sibi conuenticula diuersa constituunt] Pulchrè conuenticula hæreticorum dicit in Ecclesias, sed Ecclesiam vnam Catholicam vbique inculcat. I. P.

CAP.

CAPVT X.

Secunda & tertia Obiectio, à fortitudine Martyrum quorundam apud hæreticos, ac professione nominis Christiani.

TAles etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordiæ, nec passione purgatur. *Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est*: ad regnum peruenire non poterit, qui eam, quæ regnatura est, derelinquit. Pacem nobis Christus dedit, concordes atque vnanimes esse præcepit: dilectionis & charitatis fœdera incorrupta atque inuiolata seruari mandauit: exhibere se non potest martyrem, qui fraternam non tenuit charitatem. Docet hoc & contestatur Paulus Apostolus dicens, *& si habuero fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum distribuero omnia mea, & si tradidero corpus meũ vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil proficio. Charitas magnanima est, charitas benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum. Omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, charitas nunquam excidit*: nunquam inquit, excidit charitas, hæc enim semper in regno erit: hæc in æternum fraternitatis sibi cohærentis vnitate durabit: ad regnum cœlorum non

2. Obiectio

Martyres nulli extra Ecclesiam.

1. Cor. 13. 2. Charitas.

potest

potest peruenire discordia. Ad præmia
Iohan.5.11. Christi qui dixit, *hoc est mandatum meum vt diligatis inuicem, quemadmodum dilexi vos*, pertinere non poterit, qui dilectionem Christi perfida dissensione violauit. Qui
Iohan.14.16. charitatem non habet, Deum non habet. Ioannis beati Apostoli vox: *Deus*, inquit, *dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in illo manet.* Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt; ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis inte-
Occidit 3. ritus. *Occidi talis potest, coronari non potest.* Sic se Christum esse profitetur, quomodo & Christum Diabolus sæpè mentitur, ipso Domino præmonente & dicente: *Multi venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, & multos fallent.* Sicut ille Christus non
Matth.13.6 est: quamuis fallat in nomine illius: Ita nec Christianus videri potest, qui non permanet in Euangelii eius & fidei veritate. Nam & prophetare & dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, sublimis vtique & admirabilis res est, non tamen regnum cæleste consequitur, quisquis in his omnibus inuenitur, nisi recti & iusti itineris obseruatione gradiatur. Denun-
Matt.7.22. ciat Dominus & dicit, *Multi mihi dicent in illo die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophe-*

prophetauimus? & in tuo nomine dæmonia exclusimus? & in nomine tuo magnas virtutes fecimus? Et tunc dicã illis, nunquã vos cognoui, recedite à me qui operamini iniquitatem. Iustitia opus est, vt promereri quis possit Deũ iudicem: præceptis eius & monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem. Dominus in Euangelio cũ spei & fidei nostræ viam compendio breuiante dirigeret, *Dominus Deus tuus*, inquit, *Deus vnus est?* Et, *diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc est primum mandatum: Et secundum simile huic, diliges proximum tuum tanquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ.* Vnitatẽ simul & dilectionem magisterio suo docuit. Prophetas omnes & legem præceptis duobus inclusit. Quam verò vnitatem seruat, quàm dilectionem custodit aut cogitat, qui discordiæ furore vesanus Ecclesiam scindit, fidem destruit, pacem turbat, charitatem dissipat, Sacramentum profanat.

Marc. 12. 30 31.

ANALYSIS CAP. X.

Præclarè scripsit Cyprianus Epist. 73. ad Iubaianum, *hæreticos esse simias Catholicorum.* Quemadmodum igitur præter multa veritatis κριτήρια etiam sanguinis testimoniũ Catholica Ecclesia possidet multis hominũ myriadibus, ita constanter ac fortiter Christi disciplinam profitentibus, vt ne iugulum quidem securi, pectus gladio, corpus rogo sub-

Hæretici simiæ Catholicorũ, etiam Martyres iactant.

subtraxerint: Ita etiam Synagoga malignantium hanc sibi laudem vendicat, affertq; in præiudicium cruenta quædam capita, Donato, Nouato, Luthero, Caluino, Mennoni ac similibus Gymnosophistis sinceritatis testimoniũ perhibentia. Vnde nunc *altera obiectio* enascitur in hunc ferè sensum. Martyrium est veritatis testimonium. Atqui inter ipsos hæreticos frequentissima martyria vidimus: Ergo non ita plane numen ab illis abest, aut si maximè nubecula alicuius erroris obtecti fuerunt, macula tamen ista sanguinis effusione abluitur.

Respondet Cyprianus simplici negatione: nec peccata schismatis aut hæreseos sanguine expurgari, neq; istiusmodi capite plexos Martyres censendos esse. Ratio 1. Quia non seruent pacis à Christo iniunctè præceptum Ecclesiæ quotidiè oblatrantes, & vnitatem eius flagitiosè proculcantes. Ratio altera quia neq; charitatem sectantur omnium meritorum nostrorũ animam: Sine qua omnia mortua sunt, teste Paulo 1. Corinth. 13. 2. & Christo Iohan. 5. 12. Iohan. 14. 16. Hinc concludit supplicia hæreticorum etiam patientissimè tolerata non fidei coronam esse, sed pœnam perfidiæ. Quo pertinet elegans *Augustini* locus lib. 1. contra Epistolam Parmeniani cap. 8. *Si quisquis ab Imperatore vel à iudicibus ab eo missis pœnas luit, continuo martyr est, omnes carceres martyribus pleni sunt, omnes catenæ iudiciariæ martyres trahunt, in omnibus metallis martyres ærumnosi sunt, in omnes insulas martyres deportantur, in omnibus pœnalibus locis iuridico gladio martyres feriuntur, ad omnes bestias martyres subriguntur, aut iussionibus iudicum viui ignibus concremantur.*

Heretici excisi non sunt martyres.

2.

August. locus.

Et Epist. 157. ad Festum. *Martyres veros non facit pœna sed causa.* Quod pronunciatum quia libenter amplectuntur sectarii nostri. *Martyr in locis* 652. *Rainoldus de Idolola.* R. E. Epist. §. 4. *Rimedont* de verbo Dei p. 230. *Foxus in* 14. Apocalyps. p. 486. Mirari satis nequeo, cur toties martyres suos inculcet Calu. in act. 6. 9. & 19. 34. *Martyr in locis* 1096. *Foxus* in

14. Apo-

14. Apocalypſ p. 56. Et in cap. 11. Apocal p. 250. 251. In primis autem *Iohan. Sturmius epiſt. ad Antoniũ Cokum* equitem Anglum, quæ præfixa eſt opuſculis aliquot Buceri de Cœna vbi ſic ſcribit. *Poſtremo loco, quod primo loco collocandum erat: nullam rationem gerunt eorum, qui ſuo ſanguine ſuam doctrinam comprobarunt, quorum ignes & incendia in Italia, & Gallia, apud Belgas & Anglos, in conſpectu Dei adhuc lucidiſsimas flammas emittunt. Non animaduertunt, cùm hos ſcriptores hæreticos & Atheos nominant, multas ſe alias condemnare Eccleſias quæ plures Martyres ediderunt, quàm nos rixatores libros. Horum flammas non ſenſimus nõ vidimus, immò videre & audire nolumus: Qui ſine cruciatu, immò ſine metu cruciatus, frigore in hypocauſtis caliduli: Æſtu in vmbra frigiduli. quos volumus, & quæ volumus probamus. Rurſum, & quæ volumus & quos volumus improbamus, vexamus, condẽnamus, proſcribimus, pa'o, propè & cruci affigimus: In ipſas propè uſtrinas & rogos impellimus.*

Tertia obiectio eſt à Larua profeſſionis Chriſtianæ & glorioſa venditatione ſcripturarũ: quam ſupra quoq; in Tertulliano cap. 15. habuimus. Quicquid ſit de vnitate, ſaltem Chriſtum profitẽtur hæretici & verbo eius ad docendos populos vtuntur. Quis igitur tantoperè ſaluti ipſorum diffidat. *3. Obiectiõ.*

Reſpondet Cyprianus 1. per inſtãtiam: etiam Diabolus Chriſtum profitetur: nec tamen conſors erit præmii Sanctorum Deinde talibus ab impoſtoribus dehortatus nos eſt Dominus, cùm inquit, *multi venient in nomine meo,* &c. 3. non permanent iſti in Euangelii eius ſemel tradita veritate, ſed nouà inuehentes antiquant vetera. 4. à minori, non prophetæ nec mirabiliarii extra iuſti itineris obſeruantiam ſaluantur Matth. 7. Quanto minus vaniſſimi iſti nugiuendæ? 5. Summa præceptorum Dei in caritate & vnitate conſiſtit. Matth. 22. At penes iſtos non caritas ſed odium, non vnitas ſed ſchiſma regnat. Quorſum igitur Chriſtiani nominis vſurpatio? *Chriſtiani nomẽ ille fruſtrà ſortitur: qui Chriſtũ* *Reſponſio multiplex.* *Matth. 24.* *Chriſtianus quis,*

August. de doct. Christiana. *minimè imitatur. Quid enim tibi prodest vocari, quod nones, & nomen vsurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt gere, & merito tibi Christiani nomen assume.*

CAPVT XI.

Quarta obiectio, ab exemplis eorum, qui ex Catholica ad hæreticos deficiunt: annexa grauissima ad hæreticos fugiendos admonitione.

4. Obiectio. Postrema tempora defectionibus scatet. MAlum hoc dilectissimi fratres iam pridem cœperat, sed nunc creuit eiusdem mali infesta clades, & exurgere, ac pullulare plus cœpit hæreticæ peruersitatis & schismatum venenata pernicies: quia sic in occasu mundi fieri oportebat, prænuntiante per Apostolum nobis & præmonente spiritu sancto: *In nouissimis*, inquit, *diebus aderunt tempora molesta, & erunt sibi homines placentes, superbi, tumidi, cupidi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impii, sine affectu, sine fœdere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, stupore inflati, voluptates magis, quàm Deum diligentes, habentes deformationem religionis, virtutem autem eius abnegantes. Ex iis sunt qui repunt in domos, & prædantur mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis: Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Et quomodo Ioannes & Mam-*

2. Timoth. 3. 1. 2. &c. ad 10. vers.

Mambres restiterunt Moysi: sic & hi resistunt veritati, homines corrupti sensu, reprobi circa fidem, sed non proficient plurimum. Imperitia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Adimplentur quæcunque prædicta sunt; & appropinquante iam seculi fine, hominum pariter ac temporum probatione venerunt. Magis ac magis aduersario sæuiente error fallit, extollit stupor, liuor incendit; cupiditas excæcat, deprauat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat.

Non tamen nos moueat aut turbet multorum nimia & abrupta perfidia, sed potius fidem nostram, prænunciante rei veritate corroboret, vt quidam tales esse cœperunt, quia hæc ante prædicta sunt; instruente Domino & dicente, *Vos autem canete, ecce prædixi vobis omnia.* Vitate quæso vos eiusmodi homines, & à latere atque auribus vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis arcete: sicut scriptum est, *sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* Et iterum, *corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ.* Docet Dominus & admonet à talibus recedendum. *Cæci sunt*, inquit, *duces cæcorum. Cæcus autem cæcum ducens, simul in foueam cadent.* Auersandus est talis atque fugiendus, quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. *Peruersus est eiusmodi, & peccat, & est à semet ipso damnatus.* An

Hortatio per digressionem.

Marc. 13. 23

Cauendi heretici.

Ecclesiast. 28, 28.

1. Corin. 15. 33.

Matth. 15. 14.

Tit 3. 11.

Rebelles sacerdotibus, hostes Christi.

esse sibi cum Christo videtur, qui aduersus Sacerdotes Christi facit? qui se à cleri eius & plebis societate secernit? Arma ille contra Ecclesiam portat, contra Dei dispositionem repugnat; hostis altaris, aduersus sacrificium Christi rebellis, pro religione sacrilegus, inobsequens seruus, filius impius, frater inimicus, contemptis Episcopis & Dei sacerdotibus derelictis constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare: nec dignatur scire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduersione punitur. Sic *Chore* & *Dathan* & *Abiron*, qui sibi contra Moysen & Aaron Sacerdotem sacrificandi licentiam vindicare conati sunt, pœnas statim pro suis conatibus pependerunt. Terra compagibus ruptis in profundum sinum patuit: Stantes atque viuentes recedentis Soli hiatus absorbuit. Nec tantùm eos qui auctores fuerant, Dei indignantis ira percussit: Sed & cæteros ducentos quinquaginta participes eiusdem furoris & comites, qui coagulati cum iisdem simul ad audaciam fuerant, exiens à Domino, ignis properata vltione consumpsit; admonens scilicet & ostendens contra Deum fieri, quicquid improbi fuerint ad destruendam ordina-

Hostia.

Exempla pœnarum in schismaticos.

dinationem Dei humana voluntate conati. Sic & *Ozias Rex*, cùm thuribulum ferens, & contra legem Dei sacrificium sibi violenter assumens, resistente sibi *Azaria* sacerdote, obtemperare nollet & credere; diuina indignatione confusus, & lepræ varietate in fronte maculatus est; ea parte corporis notatus offenso Domino, vbi signantur, qui Dominum promerentur. Et *filii Aaron*, qui imposuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Dominus; in conspectu statim Domini vindicantis extincti sunt. Quos imitantur scilicet atque sectantur, qui Dei traditione contempta alienas doctrinas appetunt, & magisteria humanæ institutionis inducunt; quos increpat Dominus & obiurgat in Euangelio suo dicens, *reiicitis mandatum Dei, vt traditionem vestram statuatis*, Peius hoc crimen est, quàm quod admisisse lapsi videntur; qui tamen in pœnitentia criminis constituti, Deum plenis satisfactionibus deprecantur. Hic Ecclesia quæritur & rogatur: illic Ecclesiæ repugnatur. Hic potest necessitas fuisse: illic voluntas tenetur in scelere. Hic qui lapsus est, sibi tantùm nocuit: illic qui hæresim vel schisma facere conatus est, multos secum trahendo decepit. Hic animæ vnius est damnum: Illic periculum plurimorum. Certè peccasse se hic &

2. Paral 26. 18
4 Regum. 15. 5.
Leuit. 10. 1. 2.
Marc. 7. 9.
Hæresis crimen grauius simplici abnegatione.

intelligit, & lamentatur, & plangit: Ille tumens in peccato suo & in ipsis sibi delictis placens, à matre filios segregat, oues à pastore sollicitat, Dei Sacramenta disturbat. Et cùm lapsus semel peccauerit, iste quotidiè peccat. Postremò lapsus, martyrium postmodum consecutus, potest regni promissa percipere: Ille si extra Ecclesiam fuerit occisus, ad Ecclesiæ non potest præmia peruenire.

Analysis Cap. XI.

Obiectio 4. ab exemplo ducta est. Si partes hæreticorum ita exitiales ac detestabiles essent, non tam multi olim & recens viri fidelissimi, prudentissimi, & vsitatissimi in Ecclesia ad eas concessissent, &c. Quod idem offendiculum supra in Tertulliano habuimus, cap. 3. Et hodiè non pauci in ruinam inde ædificantur: Videntes non ex triuio tantum plebeculam: Sed ex cathedris etiam Doctores, & ex aulis principes viros fœminasq; hanc vel illam mordicus sectam amplecti.

Respondet Cyprianus nihili hæc peruersitatis exempla facienda. Quia scimus hanc postremorum temporum sortem esse, vt multorum à fide Apostasia notabilia sint & calamitosa. Id quod probat Pauli testimonio 2. Timoth. 3. &c.

Deinde causas quoque perspectas habemus, cur plerique istorum tam facilè erroribus locum dederint: Aliis simplicitate circumuentis, aliis liuore incensis, aliis cupiditate laxioris disciplinæ vel bonorum Ecclesiasticorum siti, vel nominis ambitione excæcatis, & superbia inflatis quæ quasi perpetua malorum istorum radix est: Quemadmodum pulchrè

pulchrè August. lib. de pastoribus, cap. 8. *Diuersis locis*, inquit, *sunt diuersæ, sed Vna mater superbia omnes hæreses genuit*: *Sicut Vna mater nostra Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos*. *Superbia mater hæreseon.*

Hinc adhortationem digreditur Cyprianus, ac multis in medium allatis rationibus ostendit omni cura diligentiaque ipsorum conuenticula tanquā diras lanienas, ac præsentissimas mortis officinas cauendas fugiendasque esse.

Ratio I. est à diuersis scripturæ præceptis Marc. 13. Eccles. 28. 1. Cor. 15. Matth. 15. vbi omni Pseudoprophetarum consortio fidelibus interdicitur.

II. Quia tales apertè contra Christum, Ecclesiam, Sacerdotes, & sanam doctrinam arma gerunt: vbi quod de Dominicæ hostiæ veritate per falsa sacrificia prophanata, præter cætera hæreticis obiicit, nostris hodie temporibus bellissimè conuenit: vbi sancta illa *hostia* non solum multis regnis, Prouinciis, & vrbibus turpiter exulat, sed grauissimis quoque & Diabolicis conuiciis petulanter proscinditur. *Hostia.*

III. Ab Exemplo Chore, Datan, & Abiron, qui rebelles aduersus Sacerdotem ordinarium, dehiscente terra absorpti sunt.

IV. Ab Exemplo Oziæ Regis, simili ex culpa lepra percussi.

V. Ab Exemplo filiorum Aaron, qui in conspectu Domini, quod alienum ignem imposuissent altari, extincti sunt.

VI. A comparatis. Apostasia ad hæreticos grauius crimen est abnegatione in periculis: quod iterum variis argumentis probat: quæ Lectoris prudentiæ relinquimus.

ANNOTAT. IN CAP. XI.

Confabulationes pessimæ] Sic citat hunc locum & Tertull. sub. finem lib. 1. ad vxorem. I. P.

Auersandus est talis] rursum veluti digito notat Nouatianum.

Signum crucis. *Vbi signantur qui Dominum promerentur*] De hoc signo crucis in frontibus, vide Epistolam ad Tibaritanos: vbi sic scribit: *Muniatur frons, vt signum Dei incolume seruetur: Muniatur os vt Dominum suum Christum victrix lingua fateatur.* Alludens haud dubiè ad signum crucis quod in baptismo frontibus insigitur, præsertim quum alibi dicat, signaculo dominico consummari qui in Ecclesia baptizantur. Eiusdem ritus meminit etiam Basil. lib. de Spiritu sancto, & Tertull. lib. de resurrectione carnis Chrysost. lib. contra gentiles. Cyrillus Hieroso. cate. 4. & Hieron. in Epistola ad Heliodorum. Quod cur *in fronte* fiat, quæ sedes est verecundiæ, ex Augustino rationem reddit *Micrologus* noster cap 9. vt eliminata omni verecundia, non erubescamus Euangelium Christi. Non solum autem in baptismo, sed ad omnem progressum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad Lauacra, ad mensas, ad Lumina & ad cubilia, frontem signare cruce solitos veteres Christianos, locuples testis est Tertull. lib. de coron. mili. ad quē locum etiam alludit D. Hieron. Epist. ad Eustoch. de custo. virg. plura vide apud Iustinum mart. Apol. ad Anton. Pium, & Reuerendissi. Ruremundensem Episcopum D. Guilhelmum Lindanum in sua panoplia. I. P.

CAPVT XII.

Obiectio V. à Confessorum authoritate.

5. Obiectio. NEc quisquam miretur dilectissimi fratres, etiam de *confessoribus* quosdam ad ista procedere, inde quoque aliquos tam nefanda quam grauia peccare. Neq; enim confessio

confeſſio immunem facit ab inſidiis Diaboli, aut contra tentationes & pericula, & incurſus atque ímpetus ſeculares adhuc in ſeculo poſitum perpetua ſecuritate defendit. Cæterum nunquam in confeſſoribus fraudes, & ſtupra, & adulteria poſtmodum videremus, quæ nunc in quibusdam videntes ingemiſcimus & dolemus. Quisquis ille confeſſor eſt, *Salomone* maior, aut melior, aut Deo charior non eſt. Qui tamen quandiu in viis Domini ambulauit, tandiu gratiam, quam de Domino fuerat conſecutus obtinuit. Poſtquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam Domini, ſicut ſcriptum eſt, *& excitauit Dominus Satanam ipſi Salomoni.* Et ideo ſcriptum eſt, *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Quod vtique Dominus non miretur, auferri poſſe coronam iuſtitiæ, niſi quia recedente iuſtitia, recedat neceſſe eſt & corona. Confeſſio in exordium gloriæ eſt, non meritũ iam coronæ, nec perficit laudem, ſed initiat dignitatem. Cùmque ſcriptum ſit, *qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*: quicquid ante finem fuerit, gradus eſt, quo ad faſtigium ſalutis aſcenditur, non terminus quo iam culminis ſumma teneatur.

Non mirãdum confeſſores quoque labi.

3. Reg. 11. 14.

Apocal 3. 11.

Matt. 10.22

Confeſſio eſt, ſed poſt confeſſioné picu-lũ maius eſt: q̃ plus aduerſarius ꝓuocatus eſt.

Confeſſio auget inſultus diaboli.

est. Confessor est: hoc magis stare debet cum Domini Euangelio, per Euangelium gloriam consecutus à Domino. Ait enim Dominus, *cui multum datur, multum quæretur ab eo*, & cui plus dignitatis adscribitur, plus de illo exigitur seruitutis. Nemo per confessoris exemplum pereat: nemo iniustitiam, nemo insolentiam, nemo perfidiam de confessoris moribus discat. Confessor est, sit humilis & quietus, sit in actu suo cum disciplina modestus, vt qui Christi confessor dicitur, Christum quem confitetur, imitetur. Nam cum dicat ille, *qui se extollit, humiliabitur, & qui humiliat se, exaltabitur*, & ipse à patre exaltatus sit, quia se in terris sermo, & virtus, & sapientia Dei patris humiliauit, quomodo potest extollentiam diligere, qui & nobis humilitatem sua lege mandauit, & ipse à patre amplissimum nomen præmio humilitatis accepit? Confessor est Christi: Sed si non postea blasphemetur per ipsum maiestas & dignitas Christi. Lingua Christum confessa, non sit maledica, non turbulenta, nō cōuiciis & litibus pstrepēs audiatur non cōtra fratres & Dei Sacerdotes, post verba laudis, serpentis venena iaculetur. Cæterum si culpabilis & detestabilis postmodū fuerit, si confessionē suā mala conuersatione prodegerit, si vitam suam turpi fœditate maculetur, si Ecclesiam denique, vbi confessor factus est, derelinquens, & vnitatis concordi-

Luc. 8. 18 & 19. 26.

Hortatio ad Confess. ne sint fidentes aut superbi.

Luc. 18. 14.

concordiam ſcindens fidem primam perfidia poſteriore mutauerit, blandiri ſibi per confeſſionem non poteſt, quaſi ſit electus ad gloriæ præmium, quando ex hoc ipſo magis creuerint merita pœnarum.

Nam & Iudam inter Apoſtolos Dominus elegit, & tamen Dominum Iudas poſtmodum prodidit. Non tamen iccirco Apoſtolorũ fides & firmitas cecidit, quia proditor Iudas ab eorum ſocietate defecit: ſic & hic non ſtatim confeſſorum ſanctitas & dignitas comminuta eſt, quia quorundam fides fracta eſt. Beatus Apoſtolus in Epiſtola ſua loquitur dicens, *Quid enim ſi exciderunt à fide quidam illorum, nunquid inquit infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax*: Stat confeſſorum pars maior & melior in fidei ſuæ robore, & in legis ac diſciplinæ Dominicæ veritate. Nec ab Eccleſiæ pace diſcedunt, qui ſe in Eccleſia gratiam conſecutos de Dei dignatione meminerunt? Atqui hoc ipſo ampliorem cõſequuntur fidei ſuæ laudem, quòd ab eorum perfidia ſegregati, qui inuicti confeſſionis conſortio fuerunt, à contagio criminis receſſerunt, vero illuminati Euangelii lumine, pura & candida Domini luce radiati, tam ſunt in conſeruanda Chriſti pace laudabiles, quàm fuerunt in Diaboli congreſſione victores.

Non omnes confeſſores lapſi.

ANAL.

ANALYSIS CAP. XII.

Obiectio quinta præcedenti affinis. Atqui ipsi etiam confessores ad Nouos conuenas abeunt. Respondet primum, nihil id mirandum: Quia confessio non facit immunem à peccatis & insidiis Diaboli,

—— —— , Dicíq; Beatus
Ante obitum nemo supremaq; funera debet.

Quod probat 1. à pari: quia videmus etiam interdum in confessoribus fraudes, stupra, adulteria. Deinde ab Exemplo Salomonis, qui maior omnibus confessoribus tamen lapsus est. 3. à præmonitione Domini Apocalyps. 3. v. 11. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Quod probè tenendum aduersus *Caluinum* lib 3 instit. cap. 2. §. 11. vbi docet, fidem & iustitiam propriam esse electorum immobiliter, ita vt semel verè accepta non possit vlla ratione omitti, Et qui eam videntur amittere, nunquam verè acceperint. Sed aliter scriptura Ezechiel. 18. *Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa* & Matth. 24. *refriges*c*et charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsq; ad finem.*

Fides semel habita amitti potest.

Vide Bellar. li. 3. de iustifi. cap. 14

S. Augustinus in lib. de corrept. & grat. cap. 13. *Credendum est* inquit, *quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseuerandi vsq; in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquandiu fideliter & iuste viuere, & postea cadere, neq; de hac vita priusquam eis id contingat, auferri.*

IV. Confessio est initium coronæ, non consummatio.

V. A contrario. Immo confessio auget insultus Diaboli, quia plus aduersarius prouocatus est. Hinc attexit hortationem ad confessores, ne sint fidentes aut superbi, sed Christũ omni vitæ instituto imitentur: quia si vel à confessione exciderint, vel

vel eam prauis moribus fœdarint, grauius sibi iudicium accersuri sint. Admiscet etiam hortationem ad alios, ne confessorum exemplis pereant: Quemadmodum nemo Apostolorum se Iudæ perfidia prosterni passus est.

Altera Responsio negatiua est, non omnes confessores defecisse, sed maiorem partem stare, & lapsos grauiter redarguere.

ANNOTAT. IN CAP. XII.

Nec quisquam miretur] Agit de confessoribus Romanis Maximo & cæteris, de quorum schismate extant Epistolæ XLIII. & XLIV. & de reditu ad vnitatem XLVI. XLVII. L. & LI. atque adeo patet librum hunc scriptum fuisse ante illorum reditum ex schismáte, initio nempe Pontificatus Cornelii. I. P.

Cæterum nunquam] noue vsurpat, cæterùm. De confessorum verò fraudibus, stupris, & adulteriis, egit etiam Epistolis VII. & VIII. I. P.

CAPVT XIII.

Conclusio totius libri Parænetica.

OPto equidem, dilectissimi fratres, & consulo pariter & suadeo; vt, si fieri potest, nemo de fratribus pereat, & consentientis populi corpus vnum gremio suo gaudens mater includat. Si tamen quosdam schismatum duces, & dissensionis auctores, in cæca & obstinata demétia permanentes, non poterit ad salutis viam *Hortatio ad lapsos, vt surgant.*

consilium

consilium salubre reuocare: cæteri vel simplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis astutiæ calliditate decepti, à fallaciæ vos laqueis soluite, vagãtes gressus ab erroribus liberate *iter rectum viæ cæ-*
1. *lestis agnoscite.* Contestantis Apostoli vox
2. Thess. 3. 6. est, *præcipimus vobis*, inquit, *in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinatè, & nõ secundum traditionẽ quam acceperunt à no-*
Ephes. 5. 6. *bis.* Et iterum dicit, *Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei su-*
2. *per filios contumaciæ. Nolite ergo esse participes eorum.* Recedendum est à delinquentibus, vel immò fugiendum, ne dum quis malè ambulantibus iungitur, & per itinera erroris & criminis graditur, à via veri itineris exerrans, pari crimine & ipse teneatur.
3. Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia eius, & fides vna, & plebs in solidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata. Scindi vnitas non potest, nec corpus vnum discidio compaginis separari, diuulsis laceratione visceribus in frusta dicerpi. Quicquid à matrice discesserit, seorsum viuere & spirare non poterit, substantiam salutis amittit.

4. Psal. 33. 13. Monet nos Spiritus sanctus & dicit: *Quis est homo, qui vult vitam, & amat videre dies optimos? Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur insidiose. Declina*

à malo

à malo & fac bonum, quære pacem & sequere eam. Pacem quærere debet & sequi filius pacis, à dissensionis malo continere linguam suam debet, qui nouit & diligit vinculum charitatis. Inter sua diuina mādata & magisteria salutaria, passioni iā proximus Dominus addidit dicens, *pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis.* Hanc nobis hæreditatem Christus dedit: dona omnia suæ pollicitationis & præmia in pacis conseruatione promisit. Si hæredes Christi sumus, in Christi pace maneamus. Si filii Dei sumus, pacifici esse debemus. *Beati,* inquit, *pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione concordes, fideliter sibi vnanimitatis nexibus cohærentes. Hæc vnanimitas sub Apostolis olim fuit, sic nouus credentium populus Domini mandata custodiens charitatem suam tenuit. Probat scriptura diuina quæ dicit: *Turba autem eorum qui crediderant, anima & mente vna agebant,* & iterum, *Et erant perseuerantes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus: Et Maria, quæ fuit mater Iesu, & fratribus eius.* Et ideò efficacibus precibus orabant, ideò impetrare, cū fiducia poterant quodcunq; de Domini misericordia postulabāt.

5. *Ioan.14.27.*

Math.5.9.

6.

Act.4.32.

Act.1.14.

In nobis verò sic vnanimitas diminuta est, vt & largitas operationis infracta est. Domos tunc & fundos venundabant, & thesauros

Antithesis morum Cypriani ætate.

thesauros sibi in cœlo reponentes, distribuenda in vsus indigentium pretia Apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus, & cũ vendere iubeat Dominus emimus potius & augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit, & iccircò Dominus tempora nostra respiciẽs, in Euangelio suo dicit, *filius hominis cum venerit, putas inueniet fidem in terra.* Videmus fieri q̃ ille prædixit. In Dei timore, in lege iustitiæ, in dilectione, in opere fides nulla est. Nemo futurorũ metum cogitat diem Domini, & iram Dei, & incredulis ventura supplicia, & statuta perfidis æterna tormenta nemo cõsiderat. *Quod metueret conscientia nostra, si crederet: Quia non credit omnino, nec metuit: Si autẽ crederet, & caueret: si caueret, euaderet.*

Luc. 18. 8.

Repetit hortatiõnẽ ad vigilantiã & concludit.

Luc. 12. 35.

Excitemus nos, quantum possumus, dilectissimi fratres; & somno inertiæ veteris abrupto ad obseruanda & gerenda Domini præcepta vigilemus. Simus tales, quales esse nos ipse pcepit, dicẽs? *Sint lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes: & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando veniat à nuptiis, vt cũ venerit & pulsauerit, aperiant ei. Beati serui illi, quos adueniens Dominus inuenerit vigilantes.* Accinctos nos esse oportet, ne cùm expeditionis dies venerit, impeditos nos & implicitos apprehendat. Luceat in nobis operibus nostrum lumen & fulgeat, vt ipsum nos ad lucem

lucem claritatis æternæ de hac seculi nocte perducat. Expectemus solliciti semper & cauti aduentum Domini repentinum, vt quando ille pulsauerit, euigilet fides nostra, vigilantiæ præmium de Domino receptura. Si hæc mandata seruentur, si hæc monita & præcepta teneantur, opprimi dormientes Diabolo fallente non possumus: Serui vigiles Christo dominante regnabimus.

ANALYSIS CAP. XIII.

Concludit Cyprianus duplici hortatione: Vnà ad confessores, vt firmi stent in vnitate & pace: Altera ad lapsos, vt relictis ducibus suis ad Ecclesiam redeant.

Ratio *prima* est à præcepto Pauli, 2. Thess. 3. *Altera* à periculo damni: Quia cum peruersis ambulans eodem exitio inuoluitur. *Tertia* ex superioribus, quia vnus est Deus, & vna Ecclesia. *Quarta* ex Psalm. 33. Quære pacem & sequere eam, &c. *Quinta* à testamento Christi, qui morti iam proximus hæreditatis loco pacem nobis reliquit, &c. *Sexta* ab Exemplis Apostolorum vnanimiter ab ascensione Christi in oratione perseuerantium, Acto. 4. & 1. vbi per Antithesin attexit querelam de dissimilibus sui temporis moribus, &c.

In fine repetit hortationem ad vigilantiam, & præceptum Christi, Lucæ 12. *Sint Lumbi vestri accincti*, &c. paucis proposito suo applicat.

FINIS.

PRÆSCRIPTIONVM
ADVERSVS HAERETICOS
perpetuarum Tractatus Tertius.

Qui est

D. AVRELII AVGVSTINI, HIPPONENSIS Episcopi Liber siue Epistola

DE VNITATE ECCLESIÆ

Contra Petiliani Constantinensis Episcopi Donatistæ Epistolam.

ARGVMENTVM ET PARtitio Libri.

Qvam doctrinam superiori libro 5. *Cyprianus* gloriosissimus Martyr contraNouatianos defendit & astruxit: Eandem hac Epistola Augustinus cõtra *Donatistas* resumit, & dilucidius fortiusq; probat. CæterumDonatistarũ hæresis in Africa à *Donato Numida* initiũ noméque sumsit, Anno Domini 331. Qui indignatus, quod præter suum consensum *Cæcilianus* Episcopus Carthaginensis ordinatus esset, Schismate primum ab illo separatus est, Deinde hæresin quoque manifestam cœpit

Donatista quando & qua occasione orti.

cœpit. Sex autem præcipuè capita inuenio, in quibus à Catholica fide declinans hæretici nomen meruit. Nam 1. filium quidem patri consubstantialem, Spiritum sanctum autem minorem patre & filio asseruit. Deinde Ecclesiam nullibi quam in Africa apud suos remansisse. 3. Sacramentorum virtutem & efficaciam à sanctitate ministrorum pendere. 4. Rebaptizandos eos qui à Catholicis baptizati essent. 5. Sine peccato esse, ita vt aliorum iustificatores iactarentur. 6. Violentam mortem quam vel sibi ipsis sua manu inferebant, vel ab aliis inferri curabant, Martyrium vocabant: Non tamen nisi Saginati & voluptatibus satiati mortem subeuntes. Sed de hac re tota præstat Augustinum ipsum loquentem audire: Qui Tom. 7. de hæresibus ad Quodvultdeum hæresi 69. ita hanc sectam describit: *Donatiani* inquit, *vel Donatistæ sunt, qui primum propter Cæcilianum contra suam voluntatem ordinatũ Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum schisma fecerunt, obiicientes ei crimina non probata, & maximè quod à traditoribus diuinarum scripturarum fuerit ordinatus. Sed post causam cum eo dictam atq; finitam, falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmata in hæresim schisma verterunt: Tanquam Ecclesia Christi propter crimina Cæciliani, seu vera, seu quod magis indicibus apparuit falsa, de toto terrarum orbe perierit, vbi futura*

Donatistarum Errores.

Donatistarum secta ex Augustino descripta. Confer 2. contra Crescon. Grã. cap. 1. *Cæcilianus.*

promissa est, atq; in Africa Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi cõtagione communionis extincta: Audent & rebaptizare Catholicos, vbi se amplius hæreticos esse firmarunt. Cùm Ecclesiæ Catholicæ vniuersæ placuerit, nec in ipsis hæreticis baptisma commune rescindere. Huius hæresis principem accipimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, & contra Cæcilianum Christianam diuidens plebem adiunctis sibi eiusdem factionis Episcopis, Maiorinũ apud Carthaginem ordinauit Episcopum. Cui Maiorino Donatus Episcopus alius in eadem diuisione successit, qui eloquentia sua sic confirmauit, hanc hæresim, vt multi existiment propter ipsum potius eos Donatistas vocari. Extant scripta eius vbi apparet, eum etiam Catholicam de trinitate habuisse sententiam: Sed quamuis eiusdem substantiæ, minorem tamen patre filium, & minorem filio putasse Spiritum sanctum. Verum in hunc quem de trinitate habuit eius errorem, Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facile in eis quisquã qui hoc illũ sensisse nouerit inuenitur. Isti hæretici in vrbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent Episcopũ mittere, aut hinc illuc Afri Episcopi eorum pergere, si forte ibi eum ordinare placuisset. Ad hanc hæresim in Africa & illi pertinent, qui appellantur circumcelliones, genus hominum agreste, & famosissimæ audaciæ, non solum in alios

[Margin: *Donati duo. Confer Collat. 3. diei cap 18. Et lib. 2. contra Cresconiũ Grã. cap. 1. Maiorinus.*]

[Margin: *Montenses. Confer lib. 2. contra Petil. cap. 98. Circumcelliones Vide infra*]

alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi insana feritate parcendo. Nam per mortes varias maximè præcipitiorum & aquarum & ignium seipsos necare consuerunt, & in istum furorem alios quos potuerint sexus vtriusq; seducere, aliquando vt occidantur ab aliis, mortem nisi fecerint comminantes. Veruntamen plerisque Donatistarum displicent tales, nec eorum communione contaminari se putant, qui Christiano orbi terrarum dementes obiiciunt ignotorum crimen Aphrorum. Multa & inter ipsos facta sunt schismata, & ab iis se diuersis cœtibus alii atque alii separarunt, quorum separationem cætera grandis multitudo non sensit. Sed apud Carthaginem Maximianus contra Primianum ab eiusdem erroris centum fermè Episcopis ordinatus, & à reliquis trecentis decem, cum eis duodecim qui ordinationi eius etiam præsentia corporali interfuerunt, atrocissima criminatione damnatus, compulit eos nosse etiam extra Ecclesiam dari posse Baptismum Christi. Nam quosdam ex eis cum eis quos extra eorum Ecclesiam baptizauerant, in suis honoribus sine vlla in quoquam repetitione baptismatis receperunt, nec eos vt corrigerent per publicas potestates agere destiterunt, nec eorum criminibus per sui concilii sententiam vehementer exaggeratis communionem suam contaminare timuerunt.

Anal. ca. 16.

Maximianus contra Primianum ordinatus.

Q 4 Hæc

Partitio libri præsentis. Hæc Auguſtinus. Iam ad præſentem tractatum quod attinet, diuidi is commode in quinque partes poteſt: quarum prima eſt exordium cap. 1. Altera propoſitio ſeu ſtatus quæſtionis cum ſua enarratione. cap. 2. 3. 4. 5. Tertia confirmatio veræ ſententiæ de vniuerſitate Eccleſiæ per omnes gentes & populos diſperſæ, cap. 6. 7. & ſequentibus ad 13. vſque. Quarta confutatio contrariarum obiectionum Donatiſticarum, inde ad caput vſque 25. Quinta & poſtrema concluſio totius diſputationis cap. vltimo. Singulorum membrorum diſpoſitionem ſpecialem, vide ſuis locis annotatam.

D. AVRE-

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI Liber siue Epistola

DE VNITATE ECCLESIÆ.

CONTRA PETILIANI CONstantinensis Episcopi Donatistæ Epistolam.

CAPVT I.

Exordium, in quo præter inscriptionem, causam, modum, & fructum huius Epistolæ indicat.

AVGVSTINVS Episcopus dilectissimis fratribus ad nostræ dispensationis curam pertinẽtibus, salus quæ in Christo est, & pax vnitatis & charitatis eius sit vobiscum, & integer spiritus vester & anima & corpus in diem Domini nostri Iesu Christi seruetur. Meministis fratres *Petiliani Donatistarum Constantiniensis Episcopi* per paruam Epistolæ partem in manus nostras aliquando venisse, eique particulæ quod responderimus scripsisse me ad dilectionem vestram. Sed cùm posteà tota & plena nobis à fratribus qui ibi sunt mitteretur, placuit ei ab exordio respondere, tanquam præsentes ageremus: quemadmodum semper scitis nos cum eis agere voluisse,

Salutatio.

Occasio huius libri.

luisse, vt sine studio contentionis, quid ab ipsis, vel à nobis dicatur, collata disputatione omnibus appareret. In multorum enim manibus illam Epistolam esse didicimus, qui etiam multa ex illa memoriter tenent, aliquid verum aduersus nos eum dixisse arbitrantes. Sed nunc si legere voluerint quæ respondimus, profectò intelligent, quid sibi abiiciendum, & quid tenendum sit. Neque enim illa nostra sunt, sicut ipsi possunt considerare, si velint sine studio partium iudicare. Nam de scripturis sanctis ita sunt omnia prolata & probata, vt ea negare non possit, nisi qui illarum scripturarum se inimicum esse profitetur. Sed de illo opere nostro video quid possint dicere, illius tam malæ causæ pertinacissimi defensores: me videlicet absentis Epistolæ respondisse, vbi verba mea ille non audiret, quibus continuò responderet. Defendat ergo verba Epistolæ suæ, & si potest ostendat responsionibus meis, non ea fuisse refutata, atque conuicta. Aut si hoc non vult, faciat & ipse huic Epistolæ meæ, quod ego illi ipsius, cui iam respondi. Illam quippe scripsit ad suos, sicut ego hanc ad vos. Cui si velit etiam ipse respondeat.

Commendatio huius scripti.

Prolepsis.

ANALYSIS CAP. I.

Prima libri pars EXORDIVM, sex diuersis membris distinctum, quorum *1. est inscriptio & salutatio*

lutatio fratrum, suæ curæ commissorũ: Quibus ipse tunc *strenuè eloquio suo ministrabat adipē frumenti Dei, & lætitiā olei, & sobriā vini ebrietatē*, quemadmodũ de Ambrosio loquitur lib. 5. confessio. cap. 13. *Psalm. 4. Augustinus.*

II. *Causa & occasio præsentis scriptionis:* quæ est Epistola Petiliani Donatistæ, quam contra Catholicos suis presbyteris scripserat: cuius cũ primæ partes ad Augustinum delatę, ab eoq; sufficienter refutatæ essent: Posteà totā à fratribus inuentā atque descriptā, illiq; vt vniuersæ responderet missa. Noluit hoc styli sui officium defugere: *Non quòd ille nouum aliquid dixisset, cui iam multis modis & sæpè responsum esset. Sed propter tardiores fratres, qui ea quæ alicubi legerant, ad omnia paria referre non poterant.* Petilianum autem inter Donatistas doctrina & facundia maximè excelluisse, scribit lib. 3. cont. literas Petil. cap. 1. vtpote qui ex causidico factus Episcopus. ibidem lib. 3. cap. 16. *2. Retract. cap. 25. Et libr. 1. contr. literas Petil. cap. 1. Petilianus.*

III. *Modus scriptionis* propemodũ Dialogisticus tanquam cũ præsente ageret, quod sæpè optauerit. *Lib. 4. cont. Crescon. Gram. cap. 66. & lib. 3. cap. 45.*

IV. *Alia causa scriptionis:* nempe multorum opinio de Epistola Petiliani, quam veram & validam putabant. Sermo enim hæreticorum serpit sicut cancer, & inficit instar pestis meridianæ.

V. *Commendatio huius libri* ab effectu, qui diligenter lectus, facile sit piis veritatem ostensurus, vtpote qui non humanis verbis, sed diuinis oraculis pugnet. *Verbi enim principium iam sumamus*, inquit Author contra Fulgentium Donatistam, *imò ipsum Verbum principium Iesum Dominum, ducem ac principem cœlestis militia teneamus, bella geramus & eius manu sacrata tuba petamus muros validissimos ciuitatis nefaria Hiericho: id est altitudinem mundana sapientia testamentis Dominicis circumdemus, veritatis & libertatis vocibus concrepemus, aduersarios in domo Rahab, id est Ecclesia, qua nuncios eius suscipit, propter mundi exitium confugere compellamus, pertinaces anathemate condemnemus, vt hactenus victores esse possimus.* *Cap. 1. Iohan. 8. Iosua 6.*

VI. Oe-

VI. Occupatio. Dicent, facile esse disputare contra absentem,& non repugnantem. Respons. disputet ipse eodem modo aduersus meam Epistolam calamo respondendo, quemadmodum me hîc contra suam disputare videt.

CAPVT II.

Propositio, siue status verus aperitur, falsus reiicitur.

Status vbi sit Ecclesia. QVæstio certè inter vos versatur, *vbi sit Ecclesia, vtrum apud nos, an apud illos.* Quæ vtique *vna* est, quam maiores nostri *Catholicam* nominarunt, vt ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est. Secundum totum enim καθ' ὅλον Græcè dicitur. Hæc autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit, pro corpore eius, quæ est Ecclesia. Vnde vtique manifestum est, eum qui non est in membris Christi Christianam salutem habere non posse. Membra verò Christi per vnitatis charitatem sibi copulantur, & per eandem capiti suo cohærent, quod est Christus Iesus. Totum igitur quod annunciatur de Christo, caput & corpus est. Caput est ipse vnigenitus Iesus Christus filius Dei viui, ipse Saluator corporis, qui mortuus est propter delicta nostra, & surrexit propter iustificationem nostram. Corpus eius Ecclesia, de qua dicitur, *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi.* Inter nos autem

Catholicū vnde dicatur.

Colos. 1.

Extra Ecclesiam non est salus.

Rom. 4.

Ephes. 5.

autem & Donatistas, quæstio est *vbi sit hoc corpus, id est, vbi sit Ecclesia.* Quid ergo facturi sumus? in verbis nostris eā quæsituri, an in verbis capitis sui, Domini nostri Iesu Christi? puto quòd in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas est, & optimè nouit corpus suum. *Nouit enim Dominus qui sunt eius.* Quæ sint autem verba nostra, in quibus eam quæri non oportet, aduertite, & videte etiam ibi quid intersit inter nostra verba & illorum. Et tamen in verbis nostris Ecclesiam quæri nolumus. Quicquid nobis inuicem obiicimus, de traditione codicum diuinorum de thurificatione, de persecutionibus, verba nostra sunt. Et in talibus quidem nos hunc tenemus modum, vt vel vtraque vera esse deputent, siue quæ à nobis, siue quæ ab ipsis dicuntur, vel vtraque falsa, vel nostra vera & sua falsa, vel nostra falsa, & sua vera. Et in his omnibus nullum crimen esse orbis Christiani, cui nos communicamus ostendimus. *Si enim vera sunt crimina*, & quæ à nobis in illos, & quæ ab ipsis in nos dicuntur, faciamus quod ait Apostolus, *Donantes nobismet ipsis, sicut & Deus in Christo donauit nobis*: Vt maligni homines, nec illi qui fortè fuerunt vel sunt apud nos, nec qui vel fuerunt vel sunt apud illos impediant cōcordiam nostram & vinculum pacis, vno eorum scelere correcto, quòd se frustrà separauerunt ab vnitate orbis

2. Timot. 2.

Reiectio mutuarum criminationū, quae tricipitem bestiam socat. 1. Petil. li. c. 27. Et 3. cont. Cresson. c. 78. Traditio codicū facta est 40. annis post mortē Cypriani. Vide lib. 7. de Baptismo contra Donat. cap. 2.

Ephes. 4.

bis terrarum, cùm tales haberent. Si autem *vtraque falsa sunt*, siue quæ nos illis, siue quæ illi nobis obiiciunt, vel de traditione, vel de persecutione innocentium, nullam video litis causam, nisi quia est causa, vt illi se corrigant, qui se sine causa separauerunt. Quòd *si nos vera dicimus*, quoniam gesta quæ proferimus, & literis Imperatoris ad quem tunc & primò scripserunt & postmodũ appellauerunt, & totius orbis communione firmamus: quæ autem illi dicunt, ideo falsa esse conuincuntur, quia ipsis temporibus cùm eadem quæstio versaretur, obtinere causam suam minimè potuerunt: maior in eis apparet sacrilegæ animositatis furor, & animarum innocẽtium persecutio, quàm si solo schismatis crimine tenerentur. Et illa quidem tribuant, non omnibus, sed quibus voluerint suorũ: Schisma tamen crimen est omnium. Porrò *si crimina traditionis & persecutionis vera volunt esse, quæ obiiciunt*, & falsa quæ obiiciuntur à nobis, ne sic purgantur à crimine schismatis. Ad quosdam quippe illa pertinere possunt, non ad vniuersum orbem Christianum, quem si contagione perisse arbitrantur, omitto dicere, quàm multa Sancti bono pacis etiam cognita mala in hominum congregatione tolerauerint: Illud dico, isti ostendant, quomodo eorum contagione non perierint, quos *sacrilegos incestatores consecratæ pudicitiæ fœminarum* inter se latere

Ecclesia nõ potest perire contagio malorum.

tere

tere vel latuisse, vel modo nesciunt, vel aliquando nescierunt. Profectò dicturi sunt hoc ipso se non contaminatos quòd nescierunt. Quomodo ergo contaminatus est orbis qui nescit adhuc an vera sint ista quæ dicuntur? putemus nobis modò probata, modò demonstrata, quid agimus de tot gentibus? *Deseruntur nescientes, ergo deseruntur innocentes.* Et cùm illud sit nullum crimen illorum, hoc esse incipit sceleratissimum nostrum. An currere debemus, & eos docere quod scimus? vt quid hoc? Sicut innocentes sunt dum nesciunt: innocentes sunt etiam dum sciunt. *Non enim malefacta hominum cognoscendo, sed cognitis non consentiendo, de incognitis autem non temerè iudicando, innocentiam custodimus.* Ac per hoc, vt dixi, innocens est orbis terrarũ, qui crimina quæ ab istis in quosdã dicuntur, etiam si vera dicantur ignorat. Ab his autem innocentibus qui se ipsos separauerunt, eodem ipso crimine separationis & schismatis innocentiam perdiderunt, & modò nos docent, vera se dicere in quosdam, vt ab eis nos separent, in quos non habent vera quæ dicunt. Hoc enim eis dicit orbis terrarũ, quod quidem sermone breuissimum est, sed robustissimum veritate: *Aphri* nẽpe inter se Episcopi confligebant. Si finire inter se obortam dissensionem nõ poterant, vt siue per concordiam compositis, siue degradatis qui malè contenderent, hi qui

Inter malos quomodo innocentia custodiatur.

Prosopopœia orbis Christiani ad Donatist.

hi qui bonam causam habebant in communione orbis terrarum per vnitatis vinculum permanerent. Restabat vtique vt Episcopi Transmarini, qua pars maxima diffundebatur Ecclesiæ Catholicæ, de Aphrorum collegarum dissensionibus iudicarent, illis videlicet instantibus, qui crimen malæ ordinationis aliis obiiciebant. Hoc si factum non est, culpa eorum est à quibus fieri debuit: non orbis terrarum, qui non ad se perlata nesciuit. Si autem factum est, quid peccauerunt Ecclesiastici iudices, qui crimina etiam si vera & ad se delata, sibi tamen non probata, damnare nullo modo debebant? Nunquid eos mali polluere poterant, qui eis manifestari non poterant? Si autem manifestati sunt eis, & aliqua vel segnitia, vel cohibentia tales à communione remouere noluerunt, & peruerso iudicio pro eis etiam dixerunt sententias: *quid peccauit orbis terrarum, qui causam illam malos iudices habuisse nesciuit*, & eos malè iudicasse non credidit, de quibus iudicare non potuit? Sicut ergo reorum scelus, si iudices latuit, non eos vtique contaminauit: Sic & iudicum scelus si aliquod fuit, quia orbem terrarum latuit, eum profectò contaminare non potuit. His igitur innocentibus innocenter communicauimus, hodieque nescientes quæ tunc acta sint. Quapropter etiamsi vera esse quæ in quosdam dicunt hodiè didicerimus, nulla causa est cur ab in-

Episcopi de Episcoporũ causis iudicent.

Iudex causa malus nõ praiudicat orbi Christiano.

ab innocentibus qui hæc nesciunt recedamus, & transeamus ad eos, qui propterea crimine *schismatis* omnes implicati sunt, quia id fecerunt quod nos facere suadent; vt non exemplo Apostolorum toleremus malos, sed exemplo hæreticorum deseramus bonos. Sed faciamus orbem terrarum, quod fieri non potest, hodiè nobiscũ ad liquidũ posse cognoscere vera esse quorundam scelera, quos isti criminãtur, nunquid ex hoc innocentior fieri poterit, quàm erat antequam nosset? *Sicut enim eos maculare nõ poterant cogniti mali*, etiã si adhuc in hac vita essent; *Ita qui iam ex hac vita emigrarunt etiam cogniti maculare non possunt.* Si ergo talis est causa nostra in verbis nostris de quorundam criminibus, quæ alternis nobis obiicimus, vt tam inuicta sit, etiam si falsa esse, quæ in quosdam illorum dicimus, & vera esse quæ in quosdam nostrum hodiè cognoscamus, quid habent quod respondeant? Siue illa potius vera sint quæ nos dicimus, & falsa quæ dicunt, siue vtraque falsa sint, siue vtraque vera sint, quandoquidem & ipsi vincuntur ibi, quòd solum votis omnibus sibi vt credatur exoptant.

Schisma.

Conclusio.

ANALYSIS CAP. II.

Altera pars libri PROPOSITIO, quæ statum quæstionis inter Catholicos & Donatistas aperis, *Vbi sit Ecclesia.* Quod ipsum cùm sit κεκινόμενον

Ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα.

μάχην de quo tot iam annos tanta animorum contentione inter Romanos & Protestantes disceptatur: Attentum ad hæc legenda animum afferre debent, qui seria salutis suæ cura dicuntur, quiq; temporis vsuram facere volunt. Hac enim dubitatione superata, cætera omnia sponte consequuntur: Et mater Ecclesia sinum vberibus distentum confouendæ & nutriendæ palanti fidei nostræ, ac tot nouercarum toxico ferè contabescenti obuiis vlnis sponte pandet. *Partes autem capitis duæ sunt.* Prior verum statum aperit & explicat. Posterior falsum reiicit & confutat.

Diuisio capitis.

Status.

Status verus iam suprà explicatus est, vbi sit Ecclesia Christi, apud Catholicos ne, totius orbis communione diffusos, an apud Donatistas Africæ angustiis conclusos, & vano quorundam vitiorum prætextu ab reliquo corpore amputatos. Explicat hunc statum Augustinus bifariam. Primum quòd vna sit Catholica Ecclesia, id est vniuersi orbis latitudine diffusa. De quo vide lib. 2. contra Gaudentium cap. 2. Deinde quòd corpus Christi extra cuius communionem salus nulla sit. Tota enim Euangelii prædicatio hisce duobus limitibus continetur, vt vel de Christo agat capite nostro, vel de Ecclesia corpore Christi. Tertio repetit quæstionem, & modum de ea disputandi annectit: Ex scripturis videlicet & verbis Christi, qui optime nouit spōsam suā, non ex vocibus humanis: id est mutuis illis criminationibus, de traditione codicum diuinorū, de thurificatione, & psecutione. Qua occasione trāsit ad secundam partem, ostenditq; illas friuolas vtrinque accusationes in disceptationē non trahendas, aut in illis summam causæ constituendā. Siue enim vtraq; pars dicat verum, siue vtraq; falsum: siue Catholici verum, & Donatistæ falsum: siue contra Catholici falsum, & Donatistæ verum: semper innocēs est orbis Christianus & in culpa sunt Donatistæ desertores orbis Christiani: Quod de singulis partibus ordine demonstrat. Si enim vtraque vera sunt

Altera pars cap.

(con-

(concludit idem Augustinus lib. 1. contra literas Petiliani cap. 21. & 22.) *Vos estis sine dubio schismatis rei, qui crimina vos fugere in totius orbis communione finxistis, quæ in ipsa particula vestra concisionis habebatis. Sin autem vtraque falsa sunt; vos estis sine dubio schismatis rei, qui propter falsa crimina traditorum immani separationis crimine maculamini. Quod si à nobis aliqua, & à vobis nulla, vel à nobis vera & à vobis falsa proferuntur, non est discutiendum, quin penitus vestra ora claudantur. Quid si vos vera & sancta Christi Ecclesia conuinceret atque superaret, etiamsi nos nulla vel falsa, vos autem aliqua & vera traditionis documenta teneretis, quid iam vobis restet, nisi vt si vultis, pacem diligatis: Si autem non vultis, saltem obmutescatis.* Dehinc quia aliquas *obiectiones* opponebant Donatistæ, illas ordine soluit. *Prima* est talis. Immò faciunt ad rem præsentia crimina, quia illis periit orbis Christianus, & sic ad nos possessio Ecclesiæ deuoluta est. Respondet Augustinus simplici negatione. Si enim contagione malorum periit Ecclesia, qui fit quòd tam multa Sancti etiam manifesta mala in congregatione hominum tolerarunt? Deinde qui stare posset Donati pars, quæ tam multos sacrilegos incestatores consecratæ pudicitiæ fœminarum siue latentes siue apertos habuit.

Confer contra lit. Petilian. 3. cap. 58. Et contra Crescon lib. 4. cap. 57.

Confutatio obiect.

Secunda obiectio. Nescimus tales. Igitur nihil incommodi nobis affert eorum communio. Respõs. à pari: etiam orbis Christianus nescit, an vera sint obiecta crimina. Eodem igitur ignorantiæ iure is quoque vobis excusatus esto. INSTANTIA. Significate ignorantibus, quæ facta sunt, vt sciant. Respons. quid tum? siue sciant siue nesciant, perinde innocentes sunt. Non enim scientia malefactorum, sed approbatio, vel temeraria iudicatio reum efficit. Hinc subiicit *Prosopopœiam* orbis terreni reprehensoriam ad Donatistas, quod iniquè ab illis desertus sit. Nam Afri Episcopi aut inter se componere litem ordinationis debuerunt, aut

Confer. 1. contra Parmen. cap. 8. Et lib. post collat. cap. 4.

ad transmarinos Episcopos deferre. Si non composuerunt ipsi culpam negligentiæ suæ asscribant. Sin iudices transmarinos adhibuerunt, illi vel non probata crimina non condemnarunt, vel etiam manifestata absoluerunt. Si illud, iustitiæ laus est, & secura innocentia eum mali non manifestati eos contaminare nequiuerint. Si hoc: Solorum iudicum culpa est, non orbis Christiani, qui causam illam malos iudices habuisse nesciuit,&c. INSTANTIA. Cognoscat orbis adhuc. Responsio. Nullus tamen fructus, quia non inde fiet nocentior. Sicut enim incogniti viuentes eum non macularunt, sic nec cogniti mortui.

Applicatio ad hodiernum statum. Tandem concludit: ista crimina ab hac disputatione remouenda. Quod humanus lector quoque sibi in hodiernis concertationibus faciendum meminerit, cum plaustris conuiciorum & criminum Romanam Ecclesiam, & ipsam Apostolicam Sedem *à nouatoribus* onerari videt. Siue enim illa vera sint siue falsa, semper causa cadunt aduersarii, nec iusta purgatione probabilis excusationis suum ab Ecclesia exitum purgant. *Ad iustos enim non pertinet in Ecclesia Catholica, nisi malos, quos corrigere vel damnare non possunt, patientissime tolerare: Nec propter zizania de dominico agro, nec propter paleam de dominica area, nec propter vasa inhonorata de dominica domo, nec propter pisces malos de dominicis retibus ante tempus exire: ne frustra exitum suum conentur abluere.* Sed tamen haud damus omnia, quæ impudenter Ecclesiæ crimina impingunt. Contra quam iniuriam iam satis fortiter, venere multi Catholici: Et inter primos Bellarminus, lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 8. & sequentib. ad 15. vsque.

August. lib. 2. contra Gaudent. cap 2.

CA-

CAPVT III.

Modus disputandi de præsenti quæstione, ex solis scripturis.

SEd vt dicere cœperam, *non audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, Hæc dicit Dominus.* Sunt certè libri Dominici, quorum authoritati vtrique consentimus, vtrique credimus, vtrique seruimus: ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Hic fortè dicturi sunt. *Quid quæris in libris quos ignibus tradidisti?* Ad hæc respondeo, *quid times ne legantur isti libri, si eos ab ignibus custodisti?* Eos certè ille tradidisse credatur, qui eis lectis non consentire conuincitur. Aut si fortè isti libri ita designant traditorem suum, sicut designauit Dominus Iudam; legant in eis nominatim & expresse vel *Cæcilianum*, vel ordinatores eius, eorundem librorum futuros fuisse traditores, & si non eos anathematizauero, ipse cum eis iudicet tradidisse. Sed neque nos in eis libris inuenimus *Maiorini* ordinatores designatos esse traditores, quamuis hæc aliunde recitemus. Auferantur ergo illa de medio, quæ aduersus nos inuicem, non ex diuinis Canonicis libris, sed aliunde recitamus. Quòd si nolint vt auferantur, videant, quia *etsi vtraque vera sunt*, nulla fuit causa separationis illorum, vt eos fu- gerent

Scomma.

Repetit superius dilemma.

gerent quos habebant: & si vtraque falsa sunt, nulla fuit separationis illorum, vt eos fugerent, quos in nullo crimine reperiebant. Et si nostra vera, illorum autem falsa sunt, nulla fuit causa separationis illorum, quia potius se corrigere, atque in vnitate permanere debebant. Et si nostra falsa sunt, & illorum vera sunt, nulla fuit causa separationis illorum, quia innocentem orbem terrarum, cui hæc demonstrare vel noluerunt, vel non potuerunt, deserere non debebant. Quærat fortassè aliquis & dicat mihi; *Cur ergo ista vis auferri de medio, quando communio tua, etiam si proferantur inuicta est?* Quia nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari. Si enim sanctæ scripturæ in Aphrica solùm designauerunt Ecclesiam, & in paucis Romæ *Rupitanis* & *Montensibus*, & in domo vel patrimonio vnius *Hispanæ mulieris*, quid de chartis alijs aliud proferatur, non tenent Ecclesiam nisi Donatistæ. Si in paucis *Mauris* prouinciæ Cæsariensis eam sancta scriptura determinat, ad *Rogatistas* transeundum est. Si in paucis *Tripolitanis* & *Byzazenis* & prouincialibus *Maximianistæ* ad eam peruenerunt. Si in solis orientalibus, inter *Arrianos* & *Macedonianos* & *Eunomianos*, & si qui illic alii sunt, requirenda est. Quis autem

Prolepsis.

Modus inuestigandi Ecclesiam ex scripturis.

tem possit singulas quasq; hæreses enumerare gentium singularum? *Si autem Christi Ecclesia* Canonicarum scripturarum diuinis & certissimis testimoniis *in omnibus gentibus designata est* quicquid attulerint, & vndecunque recitauerint, qui dicunt, *Ecce hic Christus, ecce illic*: audiamus potius, si oues eius sumus, vocem pastoris nostri dicentis, *Nolite credere. Illæ quippe singulæ in multis gentibus, vbi ista est, non inueniuntur, hæc autem quæ vbique est, etiam vbi illæ sunt, inuenitur.* Ergo in scripturis sanctis Canonicis eam requiramus.

Matth. 24. Quid sit, Ecce hic Christus, ecce illic. Non hæresis vbique sed Ecclesia. Confer lib. 2. cont. Petil. c. 88. Et lib. 3. contr. Cresc. c. 67. Et lib. 4. 60 & 61.

ANALYSIS CAP. III.

Quæ à medio cap. secundi, vbi nos alteram eius partem constituimus, ad 6. vsque caput dicuntur, vel sunt tanquam appendix partis secundæ: id est enarratio propositionis accipienda: vel pro præludio partis 3. confirmationis, vbi de mediis & argumentis propositæ quæstionis secum & cum aduersariis deliberet Augustinus. Vtrocunque modo accipiantur, sensus verborum eodem semper redit, & hoc thema habet, non ex documentis, multò minus conuitiis humanis hanc tam grauem Ecclesiæ causam, sed ex diuinis tantùm oraculis disceptandam.

Hanc thesin ex superiori cap. *primum* hic repetit.

Deinde à cauillo Manichæornm vindicat, qui cum Catholicis traditionem sacrorum librorum iniuriosè affingerent: quasi illudentes

Auguſtino, *quid*, inquiunt, *quaris in libris quos ignibus tradidiſti?* Reſpondet Auguſtinus quaſi à pari per Inſtantiam, *quid tu times ne legantur libri quos ab ignibus cuſtodiſti?* Gloriabantur enim ipſi, quod *Teſtamentum Dei à flamma conſeruaſſent: Quod tamen lingua delere conabantur*, vt inquit Auguſtin. libr. 1. contra Epiſt. Parmeniani, cap. 2.

Gloriatio Donatiſtarũ, de conſeruato Dei teſtamento.

Tertiò duobus aliis argumentis inſtitutum ſuum confirmat: Quorum *prius* ex ſuperiori capite repetit: Conuitia iſta vtrinque ſiue verè, ſiue falſò, ſiue ab vna parte verè, ab altera falsò opponantur, nihil tamen orbi Chriſtiano, ſiue ignorantia innocenti, ſiue prudentia diligenti præiudicare poſſunt, vosque falsò *periiſſe dicitis Chriſtianum nomen de tot gentibus in orbe terrarum, & in ſola Africa remanſiſſe:* lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani cap. 1.

Poſterius argumentum Prolepſi figuratur hoc modo: Si Catholica communio eſt inuicta, quid dubitas Auguſtine ex hiſce principiis nobiſcum confligere? *Reſpondet*: ne humanorum documentorum lubricitate fides noſtra vel victoria incerta, ſed diuinorum oraculorum ſoliditate firma illuſtriſque ſit. Si enim ſcriptura partialem nobis Eccleſiam vnius alicuius Regiunculæ, territorii, aut villulæ limitibus circumſcriptam inſonabit, de Donatiſtis, aut Rogatiſtis, aut Arrianis cogitabimus. Sin Catholicam deſcribit, iiſdem quibus ſolis curſus regionibus contentam intrepidè illi aggregabimur, aut aggregati conſtanter adhæreſcemus. Quam ipſam ratiocinationem ſi hodiernis diſſidiis adhibeamus, facilè iudicabit quid de Prouincialibus anguſtiis *Lutheranorum* in Germania, *Caluiniſtarum* in Gallia aut Anglia, *Anabaptiſtarum* in Morauia ac Belgio, *Arrianorum* in Polonia ac Tranſſyluania cenſendum ſit. Particulæ videlicet illæ ſunt de

Ratiocinatio.

Applicatio ad hodiernum ſtatũ.

toto

toto abſciſſæ, & in ſterquiliniũ prophanitatis extra Eccleſiæ ſortem proiectæ: quibus eum nullus ſibi pius vel minimum commercium optarit.

CAPVT IV.

Probat ex ſcripturæ partibus, illam ſolam huic diſquiſitioni adhibendam.

Totus Chriſtus caput & corpus eſt. Caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Eccleſia, ſponſus & ſponſa duo in carne vna. Quicunque de ipſo capite ab ſcripturis ſanctis diſſentiunt, etiam ſi in omnibus locis inueniantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia. Et rurſus, quicunq; de ipſo capite ſcripturis ſanctis conſentiunt, & vnitati Eccleſiæ non communicant, non ſunt in Eccleſia, quia de Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiũt. Verbi gratia: *qui non credunt Chriſtum in carne veniſſe de virgine Maria ex ſemine Dauid*, quod apertiſſimè ſcriptura Dei loquitur, *aut non in corpore ipſo reſurrexiſſe, in quo crucifixus & ſepultus eſt*, etiamſi per omnes terras inueniantur per quas eſt Eccleſia, non vtique ſunt in Eccleſia, quia ipſum caput Eccleſiæ non tenent, quod eſt Chriſtus Ieſus. Nec in aliqua diuinarum ſcripturarum obſcuritate falluntur, ſed notiſſimis & apertiſſimis earum teſtimoniis contradicunt. Item quicunque credunt quidem,

Extra Eccleſiam ſunt, qui vel de Chriſto, vel de Eccleſia perperam ſentiunt.

Schiſmatici non ſunt in Eccleſia.

Epheſ. 5.

quod Christus Iesus ita vt dictum est, in carne venerit, & in eadem carne in qua natus & passus est resurrexit, & ipse sit filius Dei, Deus apud Deum, & cum patre vnum, & incommutabile verbum patris, per quod facta sunt omnia: sed tamen *ab eius corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, vt eorum communio non sit cum toto quacunque diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur, manifestum est eos non esse in Catholica Ecclesia.* Quapropter quia cum Donatistis quæstio nobis est, non de capite sed de corpore, id est, non de ipso saluatore Iesu Christo, sed de eius Ecclesia, ipsum caput, de quo consentimus, ostendat nobis corpus suũ, de quo dissentimus, vt per eius verba iam dissentire desinamus. Ille est autem vnigenitus filius, & verbum Dei, & ideo nec Prophetæ sancti vera loqui potuissent, nisi ab ipsa veritate, quod est verbum Dei, manifestaretur eis quod dicerent, & iuberetur vt dicerent. Proinde prioribus temporibus per Prophetas sonuit verbum Dei. Deinde per seipsum, cum *verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Deinde per Apostolos, quos misit ad se prædicandum, vt esset salus vsque ad fines terræ. In his igitur omnibus quærenda est Ecclesia,

Ioan. 1.

ANAL.

ANALYSIS CAP. IV.

Alia ratio ad confirmandum propositæ disputationis modum, ex partibus scripturæ duabus, *Christo & Ecclesia*. Quicquid enim vel in Lege ac Prophetis, vel in Euangelio ac Apostolis rerum sacrarum perhibetur, aut ad Christum pertinet, aut ad corpus eius Ecclesiam. Hinc vult consequens Augustinus, neminem melius de Ecclesia testari posse, quam sacro sanctas Dei scripturas, hac quasi curâ secundariâ occupatas, & à Christo ipso inspiratas, & in populos disseminatas. Quis autem melius nouit sponsam sponso? *Scriptura dua partes. Christus & Ecclesia*

Deinde ad ostendendã grauitatẽ huius quæstionis (vnde nouum argumentum peti potest, quod difficilimæ quæstiones meritò ex certissimis testibus pendere debent) probant, non minus periculosos esse de Ecclesia errores, quàm de Christo cum vtrique æquè extra ostium limenque Ecclesiæ hominem constituant. Nam qui de Christo capite malignam fidem fouent, vel incarnationem eius, vel resurrectionem palàm inficiantes; extra Ecclesiam sine dubio tanquam manifesti hæretici constituendi sunt. *Vide Bellarm. lib. 3. de Ecclesia militante cap. 4. & 10.* Qui verò saluâ doctrinâ pacem Ecclesiæ rumpunt, atque in priuata conuenticula segregantur, Schismatici sunt, omni Ecclesiæ iure ac spe turpissimè denudati. Hinc Autor libro de fide ad Petrum, cap. 38. 39. *Errare de Ecclesia, æque periculosum ac errare de Christo.*

Firmissimè tene & nullatenus dubites, non solum omnes Paganos, sed & omnes Iudæos, hæreticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam in ignem æternum ituros, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Firmissimè tene & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum siue schismaticum in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, *Hæreticis vel schismaticis nulla spes salutis. Extra Ecclesiã Eleemosyna aut mors nihil prosunt.*

fuderit, nullatenus posse saluari. Omni enim homini qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neq; baptismus, neq; eleemosyna, quamlibet copiosa, neq; mors pro nomine Christi suscepta, proficere poterit ad salutem, quandiu in eo hæretica vel schismatica prauitas perseuerat, quæ ducit ad mortem. Plura vide apud Bellarmi. lib. 3. de Ecclesia militan. cap. 5.

CAPVT V.

Limitatio superioris pronunciati: non ex quauis, sed aperta tantum scriptura disputandum.

SEd quoniam multa in alios, vel ob aliud dicta, in quos volunt, & ad quos volunt maledici plerunque conuertunt; *multa* etiam propter exercendas rationales mentes *figuratè atq; obscurè posita per ænigmatis imagines vel ambiguitatis ancipitem sensum*, fallaci aliquando interpretationi consonare & conuenire creduntur, hoc etiam prædico atque propono, vt quæcunq; *aperta & manifesta eligamus.* Quæ si in sanctis scripturis non inuenirentur, nullo modo esset vnde aperiretur clausa, & illustrarentur obscura. Verbi enim gratia. Videte quàm facilè sit, vel nobis in eos dicere, vel illis in nos quod ait Dominus Pharisæis, *similes estis monumentis dealbatis quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò sunt plena ossibus mortuorum & omni spurcitia: sic & vos à foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniqui-*

Scriptura multa obscura.

Ἀμφοτερίζοντα.

Matth. 23.

& iniquitate. Hæc siue in illos à nobis, siue ab eis in nos dicantur, nisi prius probetur manifestissimis documentis qui sint, qui cùm sint iniusti, iustos se esse confingant, cõuiciante magis leuitate, quàm conuinciente veritate dici, quis mediocriter sanus ignoret? Aliter quippe Dominus illa in Pharisæos dicebat tanquam Dominus id est cognitor cordis, & humanorum omnium secretorum & testis & iudex: nos autem prius debemus inuenire & ostendere, quid arguamus, ne ipsi potius grauissimo crimine insanæ temeritatis arguamur. sanè si *ante docuerint nos tales esse*, nequaquam recusare debemus talibus sanctarum scripturarum verbis nos reprehendi atque contundi. Ita si nos eos tales esse docuerimus, erit similiter in potestate nostra, quibus dominicis increpationibus iam demonstratos conuictosque feriamus. Sic & illa interim seponenda sunt, quæ *obscurè* sunt posita, & *figurarum velaminibus inuoluta*, & secundum nos & secundum illos possunt interpretari. Est quidem acutorũ hominum diiudicare atque discernere, quis ea probabilius interpretetur: sed nolumus in has ingeniorum contentiones in ea causa, quam populus tenet, nostram disputationem committere: Nulli nostrum dubium est, per *arcam Noe* salua rerum gestarum fide, vt deletis peccatoribus domus iusti à diluuio liberaretur, etiã Ecclesiam

Reprehensiones scripturarum conuitiosè indiuiduis aliis applicari.

Figurata & obscura, quæ in vtramuis partem accipi possunt, non sunt idonea ad refellendam falsitatem.

Similitudo arcæ Nohe. Genes. 8.

Ecclesiam fuisse figuratam: Quæ forte humani ingenii coniectura videretur, nisi hoc *Petrus Apostolus in Epistola sua* diceret. Sed quod ille ibi non dixit, si quis nostrum dicat, *propterea cuncta animalium genera ibi fuisse, quia in omnibus gentibus futura prænunciabatur Ecclesia*, fortasse Donatistas aliud videatur, & aliter hoc interpretari velint, similiter & ipsi aliquid obscurè & ambiguè positum, si pro sua sententia interpretantur, *si nobis pateat aliud inde dicere, quod pro nobis sonat, quis erit finis*. Nam quidam eorum *Episcopus* cùm hic apud Hipponem, sicut audiuimus, sermonem in populo faceret, dixit eandem *arcam Noe ideo bituminatam* fuisse intrinsecus, ne aquam emitteret suam, ideo etiam extrinsecus, ne admitteret alienam. Ad hoc vtique valere voluit hanc interpretationem, ne baptismus vel extra Ecclesiam posse exire credatur, vel qui extra datus fuerit, acceptetur. Visus est aliquid dicere, & *acclamatum* est ab eis, qui libenter audiebant, nec diligenter de his quæ audierant cogitabant, vt, quod erat facile, aduerterent, *fieri non posse vt extrinsecus admittat aquam compago lignorum, si non emittit intrinsecus*: si autem ab ea parte quæ intus est, emittit, consequens esse, vt ab ea etiam quæ est foris admittat. Sed etsi hoc de compacto ligno verum esset quod ille dixit, quis me prohiberet de arca

1. Pet. 3.

N. B.

Bituminatæ arcæ allegoria, Donatistarū errori accommodata.

Acclamatio auditorum in sacris concionibus.

ex vtraq;

ex vtraque parte bituminata, si possem aliquid aliud dicere, vt incertum esset, quod horũ vel quid fortasse aliquid tertiũ res illa significaret? Neque enim absurdè dicitur, aut non etiam multò probabilius, per *bitumen*, qui violentum gluten & res feruentissima est, significatã esse *charitatem*. Vnde enim dicitur in Psalmo, *Agglutinata est anima mea post te*, nisi flagrantissima charitate. Quæ quoniam præceptum est, vt sit nobis inuicem, & in omnes, ideo & intus & foris arca bituminata. Aut certè quia scriptũ est, *charitas omnia tolerat* vis ipsa tolerantiæ tenax vnitatis per bitumẽ significata est, quo ideo intus & foris arca illita est, quia intus & foris mali tolerãdi sunt, ne pacis cõpago soluatur. In hac ergò disputatione nostra parcamus talibus interpretationibus, & apertum aliquid, quo manifestetur Ecclesia requiramus. Nempe scriptum est in *libro Iudicum*, *Et dixit Gedeon ad Dominũ, quoniã tu saluum facies Israel in manu mea, quemadmodũ locutus es: Ecce ego pono vellus lanæ in area, & si factus fuerit ros in vellere, in omnem vero terram siccitas, sciam quoniam saluum facies in manu mea Israel, sicut locutus es. Et factũ est. Et diluculo vigilauit Gedeon in crastinum & expressit vellus, & decurrit ros de vellere plena peluis aquæ, Et dixit Gedeon ad dominum, non irascatur furor in me Domine, & loquar adhuc semel, & tentabo adhuc*

Diuersa Allegoria arcæ Nohe, veritati magis consentanea.

Psalm. 62.

2. Cor. 13.

Iudith. 6.

Allegoria Velleris Gedeonis.

adhuc semel in vellere. Fiat siccitas in vellere tantum, in omnem autem terram fiat ros. Et fecit Deus sic in nocte illa, & facta est siccitas in vellere tantum, super omnem autem terram ros. Non video quid hic aliud significatũ & prænunciatũ sit, nisi vt aream intelligamus orbem terrarum, locum autem velleris populum Israël. Nouimus enim illam quondam gentem diuini Sacramenti gratia tanquam cœlesti rore perfusam, cuius muneris per omnes in circuitu gentes, quia eo carebant, tanquam siccitas erat. Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere, id est, in velamine, & quasi in nube secreti, quia nondum fuerat reuelatum. Nunc autem videmus orbem terrarum iam reuelato rore saginari per Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod tunc in illo tegmine figurabatur: Illam verò gentem amisso sacerdotio, quod habebat, quia in scripturis non intelligit Christum, tanquam in sicco vellere remansisse. Nec tamen in talibus rerum figuris, quamuis non videam quid hic aliud possit intelligi, volo quæramus Ecclesiam. Prorsus quæ alicuius, vel talis interpretationis indigent, interim seponamus: *non quia falsa sunt*, quæ hoc modo de talibus, tanquam inuolucris interpretando soluuntur, sed quia vel interpretem quærunt, nolo in eis nostra ingenia comparentur, sed aperta veritas clamet & luceat, & obtura-

Area orbis terrarũ, Vellus Iudea.

Seponit omnia figurata.

obturatas aures irrumpat, dissimulantium oculos feriat. Nemo in eis latebris quærat falsæ suæ sententiæ locum, omnem conatũ contradicendi confundat, omnem frontem impudentis elidat.

ANALYSIS CAP. V.

Quod M. Cicero olim in Lucullo ait, *non quærere se rationes eas, quæ ex coniectura pendent, quæq; disputationibus huc & illuc trahuntur, & quæ nullam adhibent persuadendi dignitatem*: id ipsum hoc loco Augustinus in scripturarum pronunciatis afferendis faciendum monet, ne longos & infinitos contentionum funiculos nectamus. Admonitio probè aduersariis nostris notanda, qui mira libertate & familiaritate in scripturis applicandis versantur. Quicquid enim ibi austeriorũ reprehensionum, quicquid sinistrorum exemplorum, & inauspicatorum vaticiniorum est, id totum in caput Romanæ Ecclesiæ & summi in primis Pontificis, quem proni meritò Reges adorant, effundunt, eaque re tantoperè sibi placent, vt soli post hominum memoriam scripturæ neruum attigisse videri velint. Sed discant hic ex Augustino frænos iniicere temeritati & maledicentiæ suæ: discant ex *Tertulliano omnia quidem dicta Domini omnibus posita esse, quæ per aures Iudæorum ad nos transierunt, sed pleraque in personas directa, non proprietatem admonitionis, sed exemplum nobis constituere.* Iam quid rationis in Augustino? Cum quæ in scripturis continentur, alia sint manifesta, & sine vllo labore obuia: alia verò vel generali quadam & indifferenti, sine certa personarum designatione loquendi modo communia, quæ non sine Spiritu rectè, nec sine lite particulatim exponi possunt: Alia denique figurarum & parabolarum tegumentis obscura:

Applicatio ad Nouatores.

Moderatio adhibenda in scripturis speciatim vsurpandis.

De præscript. ca. 8.

Scripturæ non apertissimæ cōtra aduersarium non adhibendæ. his missis isti primo tantum generi Augustinus insistendum contendit: idque vt obtineat, reliqui generis scripturas infeliciter disputationibus adhiberi exemplis tribus probat. Quorum primum est istius loci, Matth. 23. *Similes estis monumentis dealbatis, &c* quod quiuis cuiuis exprobrare solet & potest, sed non pari iure, quod eleganter in textu de hoc & similibus locis explicatum vide: Et *lib. 2. contra Epistol. Petiliani. cap. 18.* Cùm Petilianus

Exemplū 1. Calumnia Petiliani in Augustinum. obiiceret, Augustinum diabolica astutia sibi nomen Episcopi vsurpare: quia dicat Apostolus, 2. Corinth. 11. Ipsum Satanam transfigurare se in Angelum lucis, & magistros suos quasi ministros Iustitiæ: Respondet Augustinus: *Videris quemadmodum testimonia scripturarum posueris, vel quomodo intellexeris, nihil ad rem de qua nunc agitur. Ad hoc enim certè ista omnia dixisti, vt probares esse falsos Episcopos, sicut falsi sunt Angeli, & falsi Apostoli. Nouimus & nos esse falsos Angelos, & falsos Apostolos, & falsos Episcopos, & sicut dicit Verus Apostolus, falsos fratres. Sed cum ab vtrisque aduersus inuicem possint ista iactari, probare aliquid opus est, non inaniter loqui. In quos tamen conueniat crimen fallaciæ, recole quæ supra diximus &c.*

Exemplū 2. Alterum exemplum est figura arcæ Noë, quam & Catholici pro sua in omnibus gentibus latitudine, quia arca cuncta animaliū genera continebat: Et hæretici pro suis variè erroribus adhibere possunt, quod arca bituminata intrinsecus & extrinsecus nullam neque emittebat neque admittebat aquam, de quo vide textum. vel quod omnes arcæ inhabitatores saluati sunt, ac proinde nulli nisi sancti Ecclesiæ accensendi videntur, qui soli sancti & prædestinati sunt: de quo vide *Bellarm. lib. 3. de Ecclesia militant. cap. 7.*

Exemplū 3. *Tertium exemplum est* figura velleris Gedeonis quod Dei nutu nunc terra roridâ siccum, nunc terrâ siccâ roridum factum est: Ad significandā proculdubio roris diuinæ gratiæ in Israele olim parsimoni-

moniam, in orbe autem terrarum hodie abundantiam. Quod quamuis vere & plausibiliter dici possit: Tamen ne quisquam sibi vmbraculis figurarum fucos fieri dicat, ab hoc genere plane abstinendum dicit Augustinus: In hac intellige quæstione, vbi affatim copia scripturarum suppetit. In aliis quippe vbi defectu premitur Ecclesia, aliam rationem ineundam, monebit infra Augustinum ipse cap. 21. *Nota bene.*

CAPVT VI.

Tertia pars libri, confirmatio incipit: & tria quidem prima ex Genesi loca hic proponuntur.

O Donatistæ, *Genesim* legite, *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, propter quod fecisti verbum hoc, & non pepercisti filio tuo amantissimo propter me, nisi benedicens benedicam te, & implendo implebo semen tuum tanquam stellas cœli & tanquam arenam, quæ secus oram maris est, & hæreditate possidebit semen tuum ciuitates aduersariorum tuorum, & benedicentur in nomine tuo omnes gentes terræ, quia obaudisti vocem meam.* Quid ad hæc dicitis? An Iudæorum nobiscum peruersitate contenditis, vt dicatis in solo populo nato ex carne Abrahæ intelligendum semen Abrahæ? sed Iudæi *Paulum* Apostolum non legunt in synagogis suis, quem vos legitis in conuenticulis vestris. Quid ergo dicat Apostolus audiamus. Quærimus enim iam quémadmodum sit intelligendum semen Abrahæ; *Fratres*, inquit, *secundum hominem* *Locus I. ex Gen. 22. & 16. 17. 18.* *Gal. 3. &. 8. 9.*

 dico,

dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius, non dicit & seminibus, quasi in multis, sed tanquam in vno, & semini tuo quod est Christus. Ecce in quo semine benedicentur omnes gentes. Ecce testamentum Dei, aperite aures, *hominis,* inquit, *confirmatum testamentum nemo irritum facit aut superordinat.* Quare vos irritum facitis testamentum Dei, dicendo nec in omnibus gentibus esse completum, & periisse iam de gentibus, in quibus erat semen Abrahæ? Quare superordinatis dicendo, *in nullis terris hæredem permanere Christum, nisi vbi potuerit cohæredem habere Donatum.* Non inuidemus alicui: Legite nobis hoc de lege, de Prophetis, de Psalmis, de ipso Euangelio, de Apostolicis literis: Legite & credimus: Sicut nos vobis legimus & de Genesi & de Apostolo, *quia in semine Abrahæ, quod est Christus, benedicuntur omnes gentes.* Audite hoc idem testamentum ad Isaac etiam filium Abrahæ: *facta est autem fames super terram, præter famem quæ ante facta est in tempore Abrahæ. Abiit autem Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara, & apparuit ei Dominus & dixit: Noli descendere in Ægyptum, habita autem in terra quam tibi dixero, & habita in terra hac, & ero tecum & benedi-*

Blasphemia Donatistarum: à qua nostri hæretici parum absunt.

Genes. 22.

Locus 2. ex *Gen. 26. v. 3. 4. 5.*

benedicam te. Tibi enim & semini tuo dabo omnem terram hanc: & statuam iusiurandum tecum, quod iuraui Abraham Patri tuo, & ampliabo semen tuum tanquam stellas cœli: & dabo tibi & semini tuo omnem terram hanc, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, pro his, quæ obaudiuit Abraham pater tuus vocē meam, & seruauit præcepta mea, & iustitias meas, & legitima mea. Respondete ad ista. Semen quippe Abraham hoc idem semen est & Isaac, quod est Christus. Quomodo enim venerit Christus ex tribu Iuda in carne per virginem, quis quoquo modo Christianus ignorat? Audite hoc idem testamentum ad Iacob: *Exiit Iacob à puteo iurationis & profectus est in Charram, & deuenit in locum, & dormiuit in loco illo. Quoniam solis occasus erat, & sumsit lapidem ex lapidibus loci, & posuit ad caput suum, & dormiuit in loco illo, & visum vidit. Et ecce Scala stabilita super terram, cuius caput pertingebat ad cœlum, & Angeli Dei ascendebant, & descendebant per illam, & Dominus incumbebat super illam & dixit: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Noli timere, terram in qua dormis super eam, tibi dabo & semini tuo: Et erit semen tuum sicut arena terræ, & multiplicabitur supra mare & in Aphricum, & in Aquilonem, & in Orientem: Et benedicentur*

Locus 3. ex Gen. 28. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

 inte

in te omnes tribus terræ, & in semine tuo, Et ecce sum tecum, custodiens te in omni via quacunque ibis, & reducam te in terram hanc, quia non te derelinquam donec faciam omnia quæ tecum locutus sum. Ecce cui promissioni resistitis, Ecce quàm firmum testamentum irritum facitis. Dicit Deus, *Non te derelinquam donec faciam omnia, quæ tecum locutus sum.* Et vos contradicitis dicentes, vt vobis potius credamus quicquid criminis obiicitis ignoto & ignaro orbi terrarum: Deo auté dicenti, *non relinquam donec faciam*, non credamus. Legite nobis de scripturis canonicis, eos tradidisse diuinos codices, quo nominatim accusatis. Legite tam aperta quam sunt ista, quæ vobis de *Genesi* legimus. Non à vobis quærimus quid *lapis* iste significet, quem Iacob sibi ad caput posuit, cùm dormiret, quid *scala* stabilita super terram, cuius caput pertingebat ad cœlum, quid *Angeli* Dei descendentes & ascendentes per illam. Requirant ista prudentiores atque doctiores, & in populo pacato eloquantur, vbi non obstrepat improba contradictio de obscuritate Sacramenti, & ænigmate lectionis armans impudentiam suam. Non desunt corda fidelium, quæ commemorat Dominus ex Euangelio, vbi ait, cùm vidisset *Israelitam, in quo dolus non erat*, quia Iacob, qui has vidit scalas, ipse dictus est Israel. Non desunt ergo quos inde commemoret

Vrget superiora loca.

Obscuriora quædam in loco tertio reiicit.

Genes. 28.

Ioan. 1.

Dominus,

Dominus, ibi quippe ait: *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis*: id est, super semen Abraham, in quo benedicuntur omnes gentes. Sed hoc non inculco recusantibus. Ecce quod audite, *Erit semen tuum sicut arena terræ, & multiplicabitur supra mare, & in Aphricum, & in Aquilonē, & in Orientem: Et benedicentur in te omnes tribus terræ, & in semine tuo.* Date mihi hāc Ecclesiam, si apud vos est, ostendite vos cōmunicare omnibus gentibus, quas iam videmus in hoc semine benedici. Date hāc, aut furore deposito accipite. Non à me, sed ab illo ipso, in quo benedicuntur omnes gentes. Hæc de primo libro legis commemoràsse suffecerit: plura innotescent sine impia contentione, & cum pia dilectione legentibus.

Gen. 22.

Audite protestantes.

ANALYSIS CAP. VI.

Hactenus quasi paciscens arma liberauit Augustinus, & hebes ferrum acuto permutauit. Nunc rectâ arenam ingressus, institutam pugnam pugnare incipit, ostenditque contra Donatistas, & quorumuis temporum sectarios, Ecclesiam Christi in nouo fœdere non partialem, Prouincialē, aut angularē, sed Catholicā: id est, vniuersi orbis cōmunione ad ipsos etiā barbaros diffusam & dilatatā, esse debere. Ideoque ipsorū gregiculos falso & mendaciter hoc tam amplū & gloriosum Ecclesiæ nomē sibi vendicare. *Rationes* ordine ex vtriusq; Testamenti libris enarrat: atque earum aliquibus talē nobis Ecclesiā promissam, aliquibus talem præstitam, & deinceps

Confirmatio.

præstandam esse euincit. Quæ tota disputatio vt plus emolumenti nouatoribus nostris afferat, humaniter lectorem obtestamur, ne clausis ista oculis legat, sed attento animo seque ipso arbitro æstimet, vtrum non omnia quæ hic in medium afferuntur, æquè luteas Lutheranorum & Caluinistarum domos, quàm olim Donatistarum cellas ab imis fundamentis conuellant?

Præmonitio ad Lectorem.

Loci tres primi ex Genesi.

Sed ne longius proemium faciamus, hoc capite tria loca ex Genesi proponuntur: Quorum *primus* est Genes. 22. v. 16. 17. 18. quem rectè huc referri, authoritate Pauli probat, Gal. 3. v. 8. 9. *Alter locus est* Genes. 26. v. 3. 4. 5. *Tertius* Genes. 28. v. 11. 12. 13. 14. 15. Quæ ipsa testimonia alibi quoque inculcat: *Epistola 48. ad Vincentium. Et Epistol. 50. ad* Bonifacium. *Et lib. 1. contra Epistol.* Parmeniani *cap.* 2. vbi sic scribit: *Profert Tyconius diuini testamenti tonitrua, quod factum est in promissione* Abrahæ, *Isaac & Iacob, quorum se Deum testatur dicens, Ego sum Deus* Abraham, *Deus* Isaac, *& Iacob, hoc nomen est mihi in æternum. Et iste opponit narrationes consacerdotum suorum. Quid dictum est ad* Abraham? In *semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Quid dictum est ad Isaac?* In *semine tuo benedicentur omnes gentes terræ: pro eo quod audiuit Abraham pater tuus vocẽ meam. Quid dictum est ad Iacob? Ego sum Deus Abrahæ patris tui, & Deus* Isaac, *ne timeas. Terram enim supra quam dormis, tibi dabo & semini tuo. & erit semen tuum, sicut arena maris, & replebitur in mare & in Africum, & in Aquilonem, & in Orientẽ, & benedicentur in te omnes tribus terræ, & in semine tuo.* Ne autem de *Iudæis dictum putent, quid sit semen* Abrahæ, *in quo dictum est, benedicendas omnes gentes, exponit Apostolus, Abrahæ, inquit, dicta sunt promissiones & semini eius: non dicit, & seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in vno, & semini tuo, qui est* Christus. In *Christo ergo omnes gentes benedictionem habituras, tanta authoritate promissum est, tanta exhibitũ veritate, & contradicunt qui se Christianos dici volunt.*

Augustini locus.

Exod. 3.

Gen. 12. 22.

Gen. 26.

Genes. 28.

Gal. 3.

Et

Et paulò post vehementius vrget. *Si Parmenianus Cathedra sua non fuisset, magis eligeret scriptura Dei credere quàm collegis suis. Deus enim dicit ad Iacob, non relinquam, donec faciam qua locutus sum tecum. Istos autem multò est vtique credibilius (quia iam iusto iudicio fuerant improbati ad sociandam communionem in illis partibus, vbi iam Deus complebat quod promiserat patribus) non esse admissos, & propterea de sanctis sacerdotibus Dei, à quibus recipi non meruerant, iactasse talia, quibus infirmos animos deceptarum à se plebium falsis rumoribus agitarent, & temerè credulas mentes superbia sui nominis irretitas, ab orbe terrarum pace dirumperent. Quid hac stultitia, imò verò dementia reperitur insanius? In tot gentibus orbis terrarum, & ex magna parte compleuit Deus, & adhuc complet, donec ad omnes omnino veniat, quod promisit, qui dixit, non relinquam donec faciam qua locutus sum tecum. Et isti iam credunt nunciantibus non impleri qua promisit Deus, & ideò ex partibus terrarum, in quibus iam impletum erat, periisse Abraha semen, quod est Christus, & euacuatas promissiones Dei, quia ipsi non sunt admissi ad eorum communionem, apud quos hoc iam retinebat orbis impletum: & non eis dicitur solus Deus verax: omnis autem homo mendax. De vestro ista dicitis, quia qui loquitur mendacium, de suo loquitur: Vos autem sicut homines mentimini, quia sicut homines irascimini. Non eis hoc dicitur, sed insuper creditur eis de orbe terrarum, quem possidere iam cœperat, periisse Christum. Et quia hoc credunt cùm imprudenter dicant, Christiani sumus, audent dicere, nos soli sumus.*

Genes. 28.

Psalm. 115.

1. Iohan. 8.

Ibidem cap. 4. *Quid magis credendum est, quod dixit Deus, in semine tuo benedicentur omnes gentes, an quod isti dicunt in semine traditorum Aphrorum maledicentur omnes gentes, vt plus valeat quod commisit iniquitas, quàm quod pollicita est veritas.*

Gen. 12. & 22. & 26.

CAPVT VII.

Loca decem ex Isaia pro vniuersalitate Ecclesiæ proponuntur.

QVid in Prophetis, quàm multa & quàm manifesta sunt testimonia Ecclesiæ per omnes gentes toto orbe terrarum diffusæ, vnde pauca commemorabo, plura relinquens ocio diligentiæ cum Dei timore legentibus. Accipiamus per os *Esaiæ* sancti diuina responsa; & eius ora tanquam Dei miracula sciscitemur. sileant humanarum contentionum animosa & perniciosa certamina, inclinemus aurem verbo Dei. Dicat *Esaias* vbi Ecclesiam sanctam Deo reuelante præuiderit, vt in verbis futura dicentis iam nunc præsentia videamus. *Repleta est*, inquit, *vniuersa terra, vt cognoscat dominum, vt aqua multa operiat mare. Et erit in illa die radix Iesse, & qui exsurget principium habere in nationes, & in eum gentes sperabunt.* Radicem Iesse Christum esse ex semine Dauid secundum carnem natum, nullus quoque modo Christianus ignorat: & si contentiosus est, cum Apostolo contendat, qui hoc testimonio in literis suis vtitur. Item dicit, *germinabit & florescet Israel, & replebitur orbis terrarum fructu eius.* Israel nempe fuit filius Isaac, nepos Abraham, cui promissum est, quod in semine eius benedicentur omnes gentes, quod semen Christum interpretatur Apostolus.

Locus IV. ex Esa. 11. v. 9. 10.

Rom. 1. 15.

Locus V. ex Esai. 27. v. 6.

Gen. 22.

stolus. Venit autem Christus ex semine Abraham per Isaac & Israel, & deinceps sicut generationes ad ortum Christi pertinentes Euangelista contexit. Qui ergo vult contra disputare, contradicat Euangelio, neget ex semine Israel venisse Christum, vt possit negare quod Esaias dicit, *germinabit & florescet Israel, & replebitur orbis terrarum fructu eius.* Item dicit. *Ego Deus primus; & in his quae aduenient ego sum, viderunt gentes & timuerunt fines terrae.* Hoc est quod alibi dicit scriptura, primus & nouissimus, vt sit α & ω, quae sunt literae in signo Christi omnibus notae. Pro eo enim quod ibi est *nouissimus*, hic positum est, *& in his quae aduenient ego sum.* Huic ergo manifestationi contradicunt qui nolunt credere, imò qui nolunt iam videre compleri quod sequitur. *Viderunt gentes & timuerunt fines terrae.* Item paulò post. *Iacob puer meus suscipiam illum, Israel electus suscepit eum anima mea. Dedi spiritum meum in illum, iudicium gentibus proferet, non clamabit neque cessabit, neque audietur foris vox eius. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non exstinguet, sed cum veritate proferet iudicium. Refulgebit & non confringetur, donec ponat in terra iudicium, & in nomine eius gentes sperabunt,* Hoc testimonium de Christo intelligendum, & in Euangelio positum

Matth. 1.

Locus VI. *ex Esai. 41. v. 4. 5.*

Apoc. 22.

Locus VII. *ex Esai. 42. v. 1. 2. 3. 4.*

Matth. 12. 18.

tum est. Qui audet, contradicat: qui autem non audet, speret in eum cum gentibus, & ab vnitate gentium in eum sperantiū non recedat, aut si recesserit, redeat, ne pereat.

Locus VIII. ex Esai 49. v. 5. 6. & seq.

Item dicit Esaias, *Et nunc sic dicit Dominus, Qui finxit me in vtero seruum sibi, vt congregem Iacob & Israel ad eum, appropinquabo illum, & honorabor coram Domino, & Deus meus erit mihi virtus, & dixit mihi, maximum tibi erit hoc, vocari te puerum meum, vt constituas tribus Iacob, & prolem Israel conuertas, & posui te in testamentum generis in lucem gentilium, vt sis saluus vsque ad fines terræ.* Et paulò post *sic dicit*, inquit, *Dominus Israel tempore aptissimo exaudiui te, & in die salutis adiuui te.* Certè ista verba cùm commemorasset Apostolus Paulus, non nisi in Christianis impleri ostendit. Connexuit enim dicens, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Audiamus ergo quid Iesaias adiungat, *Et dedi te*, inquit, *in testamentum gentium, vt incolas terram, & possideas hæreditatem deserti.* Et interpositis deinde connectit, & dicit, *Ecce isti à longinquo venient: hi autem ab Aquilone & mari, alii autem ex terra Persarum. Exulta cœlum & in lætitia esto terra, emittant montes iucunditatem, quoniam misertus est Deus populi sui, & humiles populi sui allocutus est. Dixit autem Sion, dereliquit me Deus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid capiet obliuio mulierem filii sui, vel potest fieri, vt non misereatur fœtus*

2. Corinth. 6. 2.

fœtus vteri sui? Nunc ecce etsi illam obliuio habebit, me tamen tui nullo modo obliuio capiet, dicit Dominus. Ecce super manus meas descripsi tuos muros, in conspectu etiam meo es in perpetuum, & in breui ædificaberis ab his, à quibus euersa es. Cùm igitur per Apostolicam vocem non sinamur hoc de populo Iudæorum, sed de Christianorum intelligere, quid intellecturi sumus in eo, quod hoc loco ait Esaias. *Et breui ædificaueris ab his, à quibus euersa es*; nisi reges terræ, qui primò persequebantur Ecclesiam, post adiuturos eam tanto antè prædictum; sed quia multi eorum in suis iniquitatibus morituri erant, adiungit & dicit, *Et qui desolauerunt te, discedent à te.* Deinde quia omnes gentes adiungerentur Ecclesiæ, sequitur & dicit: *Circumspice vbique oculis tuis, & vide vniuersos, viuo ego dicit Dominus, omnes hos indues te, & dispones eos vt ornamentum nouæ nuptæ, quoniam quæ deserta fuerunt in te, & corrupta & delapsa, nunc in maxima arctura erunt, per eos, qui commorantur. Isti è longo à te efficiantur, qui te transuorabunt. Dicent enim in aures tuas filii tui, quos amiseras, Angustia nobis est in isto loco, facito itaque nobis etiam nunc locum, in quo commoremur. Tu verò dices in corde tuo. Quis generauit mihi istos, cùm sciam esse me sine filiis & viduam? Quis ergo istos educauit mihi? Ego enim derelicta fui sola, hi autem mihi vbi erant? sic dicit Dominus: Ecce tollam in nationes manus meas,*

meas, & in insulas signum meum, & adducam filios tuos in sinu, filias etiam tuas sup humeros portabunt: & erunt reges educatores vestri: quæ autem principales sunt nutrices vestræ, super terram declinantes faciem deprecabuntur te, & vestigia pedum tuorum elingent, & scies, quoniam ego Dominus, nec erubesces. Et paulò post adiungit & dicit.

Locus IX. *ex Esa. 51. v. 4. 5.* *Audite me, audite populus meus, reges quoque intendite mihi, quoniam lex à me prodiet, & iudicium meum in lucem gentibus. Appropinquat maturè iustitia mea, & salutare meum proficiscetur, & in brachio meo gentes saluantur.* De hoc autem brachio scripturas Apostolicas consulamus. Quando enim Apostolus Paulus de Iudæorum infidelitate eiusdem Prophetæ testimonium posuisset, quod eis Christus non fuisset reuelatus, hoc posuit. *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est?* Deinde in consequentibus adiungit Esaias & dicit,

Rom. 10. 16. Esa. 53.

Locus X. *ex Esa. 52. v. 9. 10.* *Erumpant lætitia simul deserta Hierusalem, quoniã misertus est eius, & eruit Hierusalem, & patefaciet Dominus brachium suũ sanctum in conspectu vniuersarum gentium, & videbunt omnes nationes vsq; ad vltima terræ salutem, quæ à Deo est.* Quis tam surdus, quis tam demens, quis tam mente cæcus, vt his tam euidentibus testimoniis obloquatur, nisi qui nescit quid loquatur? sed ad manifestiora veniamus. Certè sacratissimas nuptias in scripturis nouimus, sponsum & spon-

ſponſam, Chriſtum & Eccleſiam. Vtrumq; deſcripſit Eſaias, ne fortè in eorum aliquo erremus, quod cui acciderit, vtrũq; amittit. Quia de hoc coniugio in Sacramento dictũ eſt, ſicut teſtatur Apoſtolus, *Erunt duo in carne vna.* Ephes. 5. Sic ergo prior ipſe deſcribitur poſt multa, quę de ipſo ita dicit Eſaias, vt & ipſi obmuteſcãt Iudæi. Ne longũ ſit omnia Locus XI. memorare, hoc paululum aduertite, *Et pec-* ex Esaia 53. *cata, inquit, eorũ ipſe portabit, ideò hæreditate* v. 11. 12. *poſſidebit multos, & fortium partietur ſpolia, propter quod tradita eſt in mortem anima eius & inter iniquos deputatus eſt, & ipſe peccata multorũ ſuſtinuit, & propter iniquitates noſtras traditus eſt.* Hæc de Domino noſtro Ieſu Chriſto tanto ante prædicta & ꝓphetata fatemur. Hic ergo ſponſus, vt quid traditus eſt ad morte, vt q̃d inter iniquos deputatus eſt tanta humilitate celſitudinis ſuæ? Quid egit, quid acquiſiuit? Quis ita ſurdus eſt, vt hoc non audiat? Quis ita obtuſus, vt non intelligat? Quis ita cæcus, vt nõ videat? *Ideo inquit, ipſe hæreditate poſſidebit multos, & fortium partietur ſpolia, propter quod tradita eſt in morte anima eius, & inter iniquos deputatus eſt.* Quid eſt, hęretici, quod de paucitate Donatiſta gloriamini, ſi propter ea Dominus noſter de paucitate Ieſus Chriſtus traditus eſt ad morté, vt hæ- te gloriati. reditate multos poſſideret? Et qui ſunt hi Confer lib. multi, vel quàm latè occupant terrã? Quæ 3 cont. Creſcon. Gram. ſequuntur audiamus, prenunciato ſpõſo & cap. 67. Et expreſſo, procedat & ſpõſa. In verbis Eſaiæ lib. 4. cap. 50.

lega-

legamus eam in veritate paginarum sanctarum, & agnoscamus in orbe terrarum. Hoc testimonium de sancta Ecclesia prędictum etiam Paulus Apostolus posuit. Non est quò fugiat contentiosa tergiuersatio hæreticorum. *Lætare*, inquit *sterilis, quæ non paris, erumpe & exclama quæ non parturis, quoniam multi filii desertæ magis quàm eius quæ habet virum.* Vbi est, inquam, quod de paucitate gloriamini? Nonne isti sunt multi? de quibus paulò ante dictum est, ideò ipse hæreditate possidebit multos. Nam quæ est hæreditas eius, nisi Ecclesia eius? *Multi*, inquit, *filii desertæ magis, quàm eius quæ habet virum*: Synagogam scilicet Iudæorum volens intelligi virum habentem, quoniam acceperat legem. Hinc iam potest diiudicari quod dicimus. *Comparent* isti multitudinem suam in Afris vel in Africa constitutã, *cum multitudine Iudæorum* per omnes terras quacunq; dispersi sunt, & videant quàm sint in illorum comparatione paucissimi. Quomodo ergo de se dictum assignabunt: Multi filii desertæ magis, quàm eius quæ habet virum? Rursus comparent multitudinem Christianorum per omnes gentes, quibus non communicant, & videant quàm pauci sint in comparatione omnes Iudæi, & tandem aliquando intelligant in Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, istam prophetiam esse completam, *Multi filii desertæ magis, quàm eius quæ*

Locus XII. Esaia 54. 9. 1. 2. 3. 4. 5.

Paucitas hæreticorũ ridicula Iudæis, qui multo plures sunt quàm hæretici.

quæ habet virum. Sed cui habenti virum deserta prælata fuerit in multitudine filiorum, sit obscurum, sit in ænigmate, hanc tamen esse Ecclesiam Christi, de qua dictum est, *Muti filii desertæ*, quisquis contradicit non mihi, sed Apostolo contradicit. Vnde autem multos filios esset habitura, consequenter adiungit, & ait. *Dixit enim Dominus, dilata locum tabernaculi tui, & pelles aularum tuarum fige, noli parcere, longos fac funiculos tuos, & palos tuos confirma. Adhuc in dextram & sinistram extende, & semen tuum gentes possidebit, & ciuitates desertas inhabitabis. Ne timeas, quoniam præualebis, neque verearis quod detestabilis fueris. Confusionem æternam obliuisceris, ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor, quoniam ego Dominus qui facio te, Dominus nomen illi, & qui liberauit te, Dominus Israel vniuersæ terræ vocabitur.* Ecce quousque iussa est extendere funiculos, donec Deus eius Israël vniuersæ terræ vocetur. De illa quippe & ei dicitur alio loco per eundem Prophetam, *Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec prodeat sicut lux iustitia mea, salutatio autem mea sicut facula ardebit, & videbunt omnes gentes iustitiam tuam, & reges honorem tuum, & vocabit te nomine tuo nouo, quod Dominus vocauit illud, & eris corona pulchritudinis in conspectu Domini, & diadema regni in manu Dei tui, & iam non vocaberis derelicta, & terra tua non vocabitur*

Esaie 54.

Funiculi Ecclesiæ latè extensi.

Locus XIII. ex Esaia 62 v. 1. 2. 3. 4.

deserta. Tu enim vocaberis voluntas mea, & terra tua orbis terrarum. Quid dici adhuc manifestius exigendũ est? Ecce ex vno Propheta quàm multa, quàm clara: Et tamen resistitur & contradicitur, non cuiquã homini, sed spiritui Dei, & euidentissimæ veritati. Et tamen ab eis, qui nomine Christiano gloriari volunt, gloriæ Christi ipsius inuidetur, ne is ista quæ cùm iam non prænunciantur, sed ostenduntur, videntur, tenentur. Iam verò si de omnibus Prophetis Ecclesiæ signatæ, quam, sicut legimus, cernimus, testimonia colligere in hanc vnam epistolam velim: vereor ne ipse videar iudicare, pauca esse quæ tam multa sunt, vt ex isto solo Esaia, si omnia congregare vellem, modum debiti sermonis excederem.

ANALYSIS CAP. VII.

Promouet sermonem probationis suæ, atque à Genesi ad Esaiam magno hiatu breuitatis & perspicuitatis gratia transilit: Vnde decem loca instituto suo congruentissima depromit: De quibus vt nos prolixius agamus nihil attinet, cũ Augustinus suis ipse partibus satis demonstrando perfungatur. Tantum eius semper lector meminerit, vt ad præsentia tẽpora referat, quæ maioribus olim magno vsui fuisse videt. Nam dilatatio illa Ecclesiæ non cessat, donec omnes vniuersæ gentes suo complexu cõtineat: quod manifestè Dominus indicat Matth. 24. v. 14. *Et prædicatur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus. Et tunc veniet consummatio.*

Loca X. ex Esaia.

lib. 3. contra Crescon. Gram. cap. 64.

Locus IV. *Locus* igitur quartus in ordine, desumitur ex Esaiæ 11. v. 9. 10. quem rectè huic causæ adhiberi, ex S. Paulo probat Rom. 1. v. 3. Et Rom. 15. v. 12.

Locus

Locus quintus ex Esaiæ 27. v. 6. qui confirmatur ex Genes. 22. v.18. & Matth. 1. v.12. V.

Locus sextus ex Esaiæ 41. v.4. 5. Qui cõfertur cum Apocalyps. 1. v.18. & Apocal. 22. v.13. VI.

Locus septimus ex Esaiæ 42. v.1. 2.3.4. Confirmatur ex Matth. 12. v. 18. VII.

Locus octauus ex Esaiæ 49. omnium illustrissimus; vt qui copiosè ex multis versibus enarratur: versu nimirum 5. 6. 8.12. 13.14. 15.16.17. 18.19.20.21.22. 23. confertur cum 2. Corinth.6. v.2. VIII.

Locus nonus ex Esaiæ 51. v. 4. 5. confertur cum Rom. 10. v. 16. IX.

Locus decimus ex Esaiæ 52. v. 9. 16. X.

Locus vndecimus ex Esaiæ 53. v. 11. 12. Vbi quia multi hæredes Christo pro præmio quasi mortis eius promittuntur, redarguit Augustinus Donatistas stultè de paucitate sua gloriantes. Quod nostri quoque nouatores sibi dictum putent, qui nunquã non in ore habēt illud, *ne timeas pusille grex*, &c. Nō considerantes, *aliud fuisse tunc tempus & omnia suis temporibus agi*, quemadmodum scribit Augustinus Epistola 50. ad Bonifacium. *Quis enim tunc crediderat in Christum Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo seruiret, quando adhuc illud propheticum complebatur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Nondum autem agebatur, quod paulò post in eodem Psalmo dicitur: & nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Ipsa est igitur (addit idem Augustinus epistola 48. ad Vincentium) *de cuius paucitate dicitur in comparatione plurimorum malorum. Quia angusta & arcta via est quæ ducit ad vitam & pauci sunt, qui ambulant in ea. Et rursus ipsa est*, de cuius *multitudine dicitur : Sic erit semen tuum sicut stellæ cæli & sicut arena maris. Iidem quippe fideles sancti & boni, & in comparatione plu-* XI.

Applicatio ad nostra tempora. *Danaus Tom 1. Respon. 758.* *Psal. 2.* *Ecclesia quomodo simul angusta & lata.* *Matt.7.14.* *Confer lib. 3. cont. Gresconi. Gram. cap. 66.* *Gen. 22.17.*

Esa.54.v.1. Gal.4.v.27 *rimorum malorum pauci sunt, & per seipsi multi sunt: quia multi filii deserta, magis quam eius qua habet virum, &c.*

XII. *Locus* duodecimus ex Esaiæ 54. v. 1. 2. 3. 4. 5. Vbi iterum hæreticos paucitatem suam iactantes falsè ridet & obiurgat Augustinus. Quem ipsum locum Epistola 48. vrget, & hoc modo hæreticorum angustiis opponit. *Planè* inquit *& Iudai & Pagani, si tam paucos * putarent esse Christianos, quàm pauci vos estis, qui solos vos Christianos esse perhibetis, nec blasphemare vos dignarentur, sed & nunquam ridere cessarent. Non timetis ne vobis dicant Iudai, vbi est quod Paulus vester Ecclesiam vestram intelligit, vbi dictum est; Latare sterilis qua non paris, erumpe & exclama qua non parturis, quoniam multi filii deserta magis, quam eius qua habet virum, praponent multitudinem Christianorum multitudini Iudaorum, si Christi Ecclesia est paucitas vestra? Hoccine illis dicturi estis: ideò magis iustissimus, quia pauci sumus: nec attenditis eos responsuros, quotlibet vos esse dicatis, non tamen estis illi, de quibus dictum est, Multi filii deserta: si tam exiguo numero remansistis?*

Paucitas hæreticorũ ridicula.

Gal.4.27.

XIII. *Locus* decimustertius ex Esaiæ 62. v. 1. 2. 3. 4. quem concludit exaggeratione multorum & perspicuorum ex vna propheta dictorum.

CAPVT VIII.

Sex loca ex Psalm. afferuntur.

IAm ergo pauca de *Psalmis* audiamus tanto ante cantata, & nunc iam compleri cum magno gaudio videamus. Et prius illud ipsum, quod *Petilianus* in Epistola sua, quo ore posuerit nescio, audiant & iudicent. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi*

Locus XIV. ex Psal. 2. v. 7.

gentes

gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ. Quis enim Christianus vnquam dubitauit, hoc de Christo esse prædictũ, aut hanc hæreditatem aliud quàm Ecclesiam esse intellexit? Et quia bonos & malos intra eadem retia Sacramentorum erat habitura, *reges eos*, inquit, *in virga ferrea, tanquam vas figuli conteres eos.* Eadem quippe firma & inflexibili iustitia boni reguntur, mali conteruntur. Quis tam deuius & absurdus est à diuinis eloquiis, qui non ipsum Euangelium recognoscat, cùm cantatur ille Psalmus, vbi scriptum est, *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt & conspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem?* Quando etiam cùm hoc factum Euangelista narraret, huius testimonii memor fuit. Quid autẽ huius crucis precio, quid tãtę celsitudinis tanta humilitate, quid illo innocentissimo & diuino sanguine comparatum est, nisi illic in consequentibus dicitur, *Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersa patriæ gentium, quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium?* Nonne Apostolus de Prædicatoribus noui testamenti dictum exposuit, quod scriptũ est. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* De quo alio nisi de

Virga Christi ferrea quid.

Locus XV. ex Psalm. 21. v. 18. 19.

Iohan. 19. 23.

Locus XVI ex Psal. 18. v. 5. Rom. 10. 18.

Locus XVII. ex Psal. 49. v. 1. 2. Christo intelligitur, *Deus Deorum Dominus locutus est & vocauit terram à solis ortu vsque ad occasum: Ex Sion species decoris eius*: Cuius nisi CHRISTI vox est, *Dormiui conturbatus?* Et vnde conturbatus,

Locus XVIII. ex Psalm. 56. v. 5. 6. sequitur, & dicit: *Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta.* Quorum, nisi eorum qui clamauerunt, *crucifige, crucifige?* Vt quid hoc tortum, cui bono cui lucro? Audi quid sequatur, *Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua.* Ecce habes Christum in passione dormisse & resurrexisse, super cœlos ascendisse. Et vnde gloria eius super omnem terram, nisi quia Ecclesia eius per omnem terram? In his duabus sententiis breuissimis vos hæretici totum quod inter vos agitur, interrogo. *Exaltare*, inquit, *super cœlos Deus, & super omnẽ terram gloria tua.* Cur Dominum Christum exaltatum super cœlos prædicatis, & eius gloriæ super omnem terram non communicatis? *Psalmus septuagesimus primus* in Salomonem titulatur: Sed quia dicta ita sunt, quæ in illum regem temporalem & postea grauiter peccantem conuenire non possunt, etiam cõtra ipsos Iudæos de Christo esse prædicta inuictissimè defenduntur. Nullus autem hoc Christianus negat. Talia enim dicta sunt, de quibus dubitari nõ possit, quòd ad Christum pertineant. Ibi etiam dicuntur hæc, vbi agnoscatur Ecclesia

Luc. 23.

Locus XIX ex Psalm. 71. v. 8. 9. &c.

toto

toto orbe diffuſa, omnibus etiam regibus Chriſto ſubiugatis. *Et dominabitur*, inquit, *à mari vſq; ad mare, & à flumine vſq; ad terminos orbis terræ.* A flumine vtiq; vbi eũ ſpiritus ſanctus in columbæ ſpecie, & vox de cœlo manifeſtauit. Deinde ſequitur, *coram illo decident Aethiopes, & inimici eius terrã lingent, Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, & orabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* Et paulò poſt: *& benedicentur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabũt eum. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui fecit mirabilia ſolus. Et benedictum nomẽ gloriæ eius in æternũ, & in ſeculum ſeculi. Et replebitur gloria eius omnis terra, fiat, fiat.* Ite nunc Donatiſtæ, & clamate non fiat, non fiat. Vicit vos verbũ Dei dicens fiat, fiat. Ecce manifeſtata eſt in Pſalmis Eccleſia toto orbe diffuſa, ſuper quam requieſcit gloria Regis eius. Vnde & ipſa regina eſt ſponſa eius de qua ei dicitur in quadrageſimo quarto Pſalmo: *Aſtitit regina à dextris tuis inveſtitu deaurato, circumamicta varietate.* Et ad eam ipſam adhortandam continuò diuinus ſermo dirigitur, *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum & domum patris tui, quoniam concupiuit rex ſpeciem tuam, quia ipſe eſt DEVS tuus.* Attendite vnde cœperit alloqui ſponſam Chriſti diuina prophetia. *Audi*, inquit, *filia & vide.* Vos autem nec audire vultis

Locus XX. *ex Pſalm.* 44. v. 10. 11. 12. 17.

hæc prædicta, nec videre completa: Et tamen & auditis & videtis inuiti. Audite ergo quod paulò post ei dicitur. Audite hoc ex pagina diuina, quomodo prænuncietur, & videte in omni terra quomodo compleatur. *Pro patribus tuis*, inquit, *nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Quàm multa præteream de hac re testimonia scripturarum, norunt qui legunt, & ego noui, sed onerare epistolam nolo, cui responderi flagito.

ANALYSIS CAP. VIII.

Pergit afferre Prophetica loca, ac nunc testem adhibet veritatis Catholicæ Dauidem, qui non obscurè passim de hac amplitudine Regni filii sui vaticinatus est.

XIV. *Locus.* *Locus* igitur decimusquartus est ex *Psalmo 2* v.7. quem ipsum quoque citat *Epistola 50. ad Bonifacium. Agnoscunt nobiscum Christum* inquit *in eo quod legitur, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: Et nolunt Ecclesiam agnoscere in eo quod sequitur: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

XV. *Locus* decimusquintus est ex Psalmo 21. v.18.19.28. quem hic confirmat ex Matth. 27. v.31. & Iohan. 19. v.23. Sed alibi plenius vrget; *Epistola* videlicet *50. ad Bonifacium. Et lib. 1. contra Epistol. Parmen. cap. 7.* vbi in Prosopopœia Ecclesiæ Philadelphiensis, sic inquit: *Ille Dominus noster, qui emit totũ mundũ pretio sanguinis sui, cuius sancta commercia propheta tanto ante cecinit, dicens, foderũt manus meas & pedes meos, & inter nos & vos nõ spatia constituit, vacua & nuda Christianis, impleuit hæc omnia sanctificatione nominis sui. In ipso quippe Psalmo passionis non solum quanti, sed etiã quantum emerit declaratum. Ibi enim paulò post dicitur reminiscẽtur & conuertẽtur ad Dom-*

Prosopopœia Ecclesiæ contra hæreticos.

minũ vniuersi fines terræ, etc. de causa itaq; vestra tunc fortasse cogerer iudicare, si vel vicina essem, vel ita remota, vt inter nos & vos nõ habitarent alii Christiani eodem nomine signati, eadem vnitate pacati. Multa interiacent patriæ gentium, simul mecum empta illius sanguine, in cuius conspectu mecũ pariter adorant.

Locus decimus sextus est ex Psalm. 18. v. 5. Et confirmatur ex Rom. 10. v. 18. XVI.

Locus decimus septimus est ex Psalm. 49. v. 1. 2. XVII.

Locus decimus octauus ex Psalm. 56. v. 5. 6. Confirmatur ex Lucæ 23. v. 21. XVIII.

Locus decimus nonus est ex Psalm. 71. v. 8. 9. 10. 11. 17. 18. 19. Quem Psalmum ab initio probat non de Salomone, sed de Christo intelligendum. XIX.

Locus vigesimus est ex Psalmo 44. v. 10. 11. 12. 17. XX.

CAPVT IX.

Soluit obiectionem contra allata veteris Testamenti vaticinia.

QVid ad hæc dicturi sunt, quæ commemoraui ex Lege & Prophetis, & Psalmis de Christi Ecclesia, quæ toto orbe diffunditur, cui malunt repugnare peruersi, quàm communicare correcti? Quid, inquam dicturi sunt, vtrum hæc falsa esse an obscura? sed falsa esse non audent dicere, premuntur enim mole tantæ authoritatis. Hæc ergo cùm vera esse fateantur, *impleri non posse contendunt*, quasi aliud sit Prophetiam crimine falsitatis arguere, quàm dicere quæ prænunciauit non posse compleri. Hoc est enim dicere non esse Prophetiam, sed potius Pseudoprophetiam, Et cùm quæ-

Donatistæ putarunt non posse impleri, quæ de latitudine Ecclesiæ prædicta sunt.

quæsieris ab eis *cur hæc impleri non possint?* Respondent, *quia homines nolunt, cum arbitrio quippe* inquiunt, *libero homo creatus est, & si vult credit in Christum, si non vult, non credit. Si vult perseuerat in eo quod credit, si non vult non perseuerat: Et ideo cum cœpisset per orbem terrarum crescere Ecclesia noluerũt homines perseuerare, Et defecit ex omnibus gentibus Christiana religio excepta parte Donati.* Quasi verò nescierit Spiritus Dei futuras hominum voluntates. Quis hoc insanissimus dixerit? Cur ergo non hoc potius prænũciauit, quod de voluntatibus hominũ sciebat futurũ? Hoc enim modo, quo isti putãt hæc esse prædicta. *Quisquis voluerit potest esse Propheta*, vt cũ ea, quæ prædixerit impleta non fuerint, respondeat, homines noluerunt. *Libero enim arbitrio Christiani sunt.* Hoc modo poterat aliquis prophetare Christum non in cruce passurum, sed gladio moriturũ: & cum aliter factũ esset, responderet, Quid ego feci? Homines *in libero arbitrio constituti* noluerunt ei facere, quod ego prædixeram, & hoc fecerunt, quod ipsi voluerunt. Iam cui non occurrat quàm multa isto modo poterant prophetari, vel etiam possunt à quibuslibet hominibus? Quis enim dubitauerit, quod *Judas Christum, si voluisset, non vtiq; tradidisset*: & Petrus si voluisset ter Dominum non negasset? sed ideo fuit de istis certa prædictio, quia & Deus etiam futuras præuidet voluntates.

Refutatio.

Liberum Arbitriũ.

Liberè Christum Iudas tradidit & Petrus negauit.

ANAL.

ANALYSIS CAP. IX.

Coronidem imponit veteris testamenti vaticiniis *vnius obiectionis solutione*, quam contra superiora Donatistæ afferebant: nempè, veras quidem illas Prophetias esse, sed conditionales, si quidem homines velint, quos libero arbitrio Deus crearit. At quia homines noluerint, impleri non potuisse, vel defecisse iterum ex omnibus gentibus Christianam religionem. *Obiectio Donatistarum contra allata V. T. loca.*

Respondet Augustinus: hoc non esse Prophetam interpretari, sed falsitatis arguere, qui prædixerit, quæ impleri non possint. Deinde Spiritus sanctus ex præcognitione voluntatis humanæ futura prænunciat: Alioqui facilè esset cuiuis Prophetias cudere, quæ si non implerentur, promptum esset culpam voluntatibus humanis assignare. Est autem *Prophetia* diuina inspiratio rerum, futura immobili veritate denuncians, secundum *Cassiodorum*. Ex B. *Thoma* secunda secundæ q. 171. art. 3. *Prophetia quid.*

Tertiò necessitatem impletionis astruit ipsius Christi verbis Lucæ 24. sub initium cap. sequentis: *Oportebat adimpleri omnia scripta in* Lege *Moysi, & Prophetis & Psalmis de me.*

CAPVT X.

Locum vnum ex Luca 24. affert.

VEruntamē quanquā hæc & tardis cordibus pateāt, audiamus hinc & ipsius verbi vocem ore proprie carnis expressam. Certè cùm post resurrectionē præberet se etiā contrectandū atq; palpandū manibus dubitātiū discipulorū, & cū accepisset corā illis, & manducasset quod ei porrexerāt, dixit *Locus XXI. ex Luc. 24. v. 44. & sequen.*

dixit eis: *Isti sunt sermones, quos locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quia oportebat adimpleri omnia scripta in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* De quo autem, nisi de illo scripta sunt, quæ nos quoque commemorauimus ex lege, & Prophetis & Psalmis, sicut per singula demonstraui? Cum ergò ipse dicat qui *veritas est: Oportebat adimpleri omnia:* quomodo isti negant, nisi quia veritatis inimici sunt: Si autem obscura esse adhuc dicunt, & hinc ipsum caput audiamus verissimum demõstratorem corporis sui. Cùm enim dixisset, *quia oportebat adimpleri omnia scripta in lege, & Prophetis, & Psalmis de me,* tanquam quæreremus, vtrũ in eo, quod dixit de me, illic intelligenda esset Ecclesia, propter id quod scriptum est: *Erunt duo in carne vna,* vt non solum de capite, verum etiam, de corpore certa diuina oracula teneremus, sequitur Euangelista & dixit, Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & dixit illis: *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die.* Hic ipsum caput ostenditur, quod etiam se manibus discipulorum præbuit contrectandum. Vide quemadmodum de corpore adiũgat, quod est Ecclesia, vt nos nec in sponso, nec in sponsa errare permittat. *Et prædicari* inquit, *in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus*

Ioan. 14.
Luc. 24.
Genes. 2.
Luc. 24.

bus ab Hierusalem. Quid hac voce veracius, quid diuinius, quid manifestius? Me piget eam commendare verbis meis, & hæreticos non pudet eam oppugnare verbis suis. Dicant ea testimonia, quæ posui de lege,& Prophetis,& Psalmis,obscura esse & figuratè dicta etiam obiter posse intelligi,quanquam & in eis egerim quantum potui, vt nec hoc audeant dicere. Sed ecce dicant, nunquid & obscurè dictum, aut ænigmatis velaméto adumbratum est, quod ipse Christus dixit: *Quia sic scriptum est, & sic oportebat Christũ pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum, per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem?* Luc. 24. si obscurum est, *Dormiui conturbatus,* Psal. 56. nunquid obscurum est, *quia oportebat Christum pati?* Psal. 107. Psal. 56. Si obscurum est, *Exaltare super cœlos Deus:* nunquid obscurum est, *Et resurgere tertia die:* si obscurum est, *super omnem terram gloria tua,* nunquid obscurum est, *& prædicare in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes?* Si obscurum est, *Deus Deorum Dominus locutus est, & vocauit terram à solis ortu vsq; ad occasum:* Psal. 46. nunquid obscurum est, *& prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes.* Sic enim terra vocata est à solis ortu vsque ad occasum, quemadmodum ipse ait: *Non veni vocare Iustos, sed peccatores in pœnitentiam* Matth. 9. Psal. 49.

tiam. Si obſcurum eſt, *Ex Sion ſpecies decoris eius*, nunquid obſcurum eſt, *incipientibus ab Hieruſalem?* Ipſa eſt enim Sion quæ Hieruſalem. Sed quid ad me? Dicant ea, quæ poſui de Lege, & Prophetis, & Pſalmis, non pertinere ad hæc verba Domini, quæ in Euangelio leguntur. Non curo, nec reſiſto. Certè tamen niſi in Lege, & Prophetis, & Pſalmis hoc prædictum eſſet, ſiue in eis teſtimoniis, quæ ipſe adhibuit, ſiue in aliis, nequaquam dixiſſet Dominus: *Oportet impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.* Ac deinde aperto eorum ſenſu vt intelligerent ſcripturas, doceret ea ipſa quæ de illo ſcripta ſunt in Lege, & Prophetis, & Pſalmis, eo modo vt diceret, *Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem.* Non ego potuerim in Lege, & Prophetis, & Pſalmis hæc ſcripta cognoſcere: ibi tamen hoc eſſe ſcriptum ille dicit, qui veritas eſt. Sed etſi hæc ibi ſcripta eſſe non diceret, proculdubio ſufficeret Chriſtianis quod Chriſtus ipſe dixiſſet, *oportere prædicari in nomine ſuo pœnitentiam, & remiſſionem*

Luc. 24.

nem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Sed dubitantes discipulos suos quamuis conspecto & contrectato eius corpore, maiore documento scripturarum voluit confirmare, quam quod se ipse visibilem atque palpabilem mortalium sensibus admouebat.

Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, vnde cœptura, & quousque peruentura esset, cœptura scilicet ab Hierusalem, & peruentura in omnes gentes. Hic iam quisquis dixerit, Hierusalem non iam illam visibilem ciuitatem intelligendam, sed figuratè positam, vt spiritaliter accipiatur tota Ecclesia æterna in cœlis, & ex parte in terris peregrina, potest dicere etiam illud figuratè dictum, *quia oportebat Christum pati, & resurgere tertia die.* Quod quisquis dixerit, nec quoquo modo Christianus habendus est. Sicut ergò illud propriè positum est, ita & quod adiunctum est de omnium gentium Ecclesia incipiente ab Hierusalem. Exposuit enim Dominus hæc de se dicta esse in Lege, & Prophetis, & Psalmis, & vtique ipsa expositio non potuit esse figurata, alioquin non esset expositio. Deinde cum Hierusalē, figuratè posita & spiritaliter intellecta, vniuersam Ecclesiam significet, *quomodo vniuersa Ecclesia incipit*

Hierusalē vnde cœpit Ecclesia, non inuisibilem, sed visibilem intelligendam esse.
Luc. 24.

incipit ab vniuersa Ecclesia tanquam Hierusalem. Manifestum est ergò propriè positum de illa ciuitate, vnde etiam cœpisse probatur Ecclesia, etiam atque etiam ipso manifestante, & nullam insidiarum latebram calliditati hæreticæ relinquente. Sic enim sequitur, & dixit, *Et vos horum testes, & ego mitto promissionem meam super vos. Vos autem sedete in ciuitate quoadusq; induamini virtute ex alto.* In qua vtique ciuitate sedere eos iussit, quoadusque induerentur virtute ex alto, id est, Spiritu sancto, quem se missurum esse promiserat, ab ea cœpturam prædixit Ecclesiam. Si autem non eam putant esse Hierusalem, audiant quod sequitur: *Produxit autem illos vsq; Bethaniam, & leuauit manus suas, & benedixit illos. Et factum est cum benedixisset illos, discessit ab eis, Et ipsi reuersi sunt cum gaudio magno in Hierusalem, & fuerunt semper in templo laudantes Deũ.* Ecce vbi ostenditur illa ciuitas, in qua eos sedere iussit, donec induerentur virtute ex alto.

ANALYSIS CAP. X.

Locus XXI. Progreditur ad *testimonia noui Testamenti* ac locum XXI. proponit ex Lucæ 24. v. 44. ad finem vsque capitis: istúmque locum ita tractat, vt *primum* inde responsionem eliciat ad superioris capitis obiectionem, adeo videlicet falsum esse effugium Donatistarum, de non impletis Prophetarum vaticiniis, vt Christus etiam disertè contrarium

rium afferat, oportere & oportuisse omnia impleri de se, q̃ scripta essent in lege, Prophetis, ac Psalmis.

Deinde amplitudinem Ecclesiæ vniuersalem diserte illis verbis Christi contineri ostendit, prædicari in nomine eius pœnitentiam per omnes gentes.

Tertiò Comparationem instituit huius dicti cum allatis oraculis Psalmorum, omnique ex parte suspicionem obscuritatis excludit.

Quartò per concessionẽ vehementius vrget propositum. Esto nihil Prophetæ sententiæ nostræ subsidii afferant, hîc Propheta Christus suis verbis disertè satis Ecclesiam Catholicam expressit, de cuius veritate nulli hominum dubitare fas est, &c.

Quintò & postremò per occupationem proprium & literalem Prophetiæ Christi sensum astruit, firmiter probans, Hierusalem vnde cœptura Ecclesia, non inuisibilem, sed visibilem intelligendam.

Vim autem huius testimonii alibi quoque Donatistis comprobauit sanctus Doctor: *lib. post collationem cap 2. Veritas,* inquit, *Dei sicut in ipsa etiam collatione probauimus, perhibuit testimonium Ecclesiæ suæ per nulla documenta scripturarum sanctarum, per Propheticas & Euangelicas literas, & locus designatus est, vnde Christi Ecclesia fuerat inceptura, & fines terræ quousq; fuerat peruentura. Per omnes gentes futuram Ecclesiam suam Dominus dicit, incipientem ab Hierusalem. Diuina lectio recitatur, quemadmodum cœperit ab Hierusalem, vbi primum congregatis fidelibus missus est de cœlo Spiritus sanctus. Diuinæ lectiones recitantur, quemadmodum se ab Hierusalem per vicina & longinqua diffuderit. Expressa sunt nomina locorum, manifesta sunt nomina ciuitatum, in quibus Ecclesia Christi Apostolico labore fundata est. Quæ loca & ciuitates etiam epistolas, & ipsi in vestris congregationibus legunt, & tamẽ non communicant eorum locorum & ciuitatum Ecclesiis, quæ ipsas epistolas accipere meruerunt, obiicientes eis nescio quæ crimina Aphrorum, quod eorum contagione*

Collatio alius loci ex Augustino.

Luc. 24.

Actor. 2.

V

gione perierint, cum ipsi dixerint in hac ipsa collatione, quam modo Carthagini habuimus, quod nec causa causa, nec persona personæ præiudicet.

Collat. 3. cap. 16.

CAPVT XI.

Ex Actis Apostolorum sex loca affert.

ET hîc quidem quot diebus cum eis fuerit, postquam se virum post passionem suam oculis eorum, & manibus eorum demonstrauit, prætermissum est: non autem tacetur in Actibus Apostolorum, vbi rursus eadem manifestatione verborum Dominicorum futura per orbem terrarum prænunciatur Ecclesia: vbi nullus omnino dubitare permittatur, nisi qui de sanctarum scripturarum fide dubitat, illam esse Hierusalem visibilem ciuitatem, vnde cœpit Ecclesia post Domini nostri Iesu Christi resurrectionem, & ascensionem: nec aliud eum voluisse ostendere, nisi huius terræ loca, vnde illi daret initium, & quomodo eam per cũcta inde diffunderet. Sic enim scriptum est in Actibus Apostolorum: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere, vsque in diem, quo Apostolos elegit per Spiritum sanctum mandans eis prædicare Euangeliũ: quibus & manifestauit seipsum post passionem suam in multis signis, per dies quadraginta apparens eis & disputans de regno Dei. Et cum conuersaretur cum eis, præcepit*

Locus XXII. ex Actor. 1. v. 1 & seq.

cepit eis ne discederent ab Hierosolymis, sed expectarent promissionem ei, quam audistis, inquit, ex ore meo. Quia Iohannes quidem baptizauit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu sancto, quem & accepturi estis non post multos hos dies. At illi conuenientes interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Quibus respondens dixit, non est vestrum scire tempora nec momenta, quæ pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientem in vos. Et eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in totam terram. Ecce & hic manifestatum est vnde cœptura, & quousque esset peruentura Ecclesia. Quid ad hæc dicunt qui Christianos se superbissimè dicunt, & Christo apertissimè contradicunt. Nos hanc Ecclesiam tenemus, contra istas diuinas voces nullas humanas criminationes admittimus. Mouet enim nos plurimum, quod Dominus noster ait, cui non credere sacrilegum & impium est nouissimis verbis suis, quæ habuit in terra, hæc primitiuæ Ecclesiæ documenta salubria & nouissima dereliquit. His enim dictis mox ascendit in cœlum, præmunire voluit aures nostras aduersus eos, quos procedentibus têporibus exurrecturos esse prædixerat, & dicturos, *Ecce hic Christus, ecce illic:* Quibus ne crederemus admonuit.

Donatistæ solos suæ factionis homines Christianos appellabant.

Matth. 24.

Nec vlla nobis excusatio est, si crediderimus contra vocem pastoris nostri, tam claram, tam apertam, tam manifestam, vt nemo vel obtusus, vel tardus corde possit dicere, Non intellexi: Quis enim non intelligat, *sic oportebat Christum pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem?* Quis non intelligat, *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in totam terram? His dictis eleuatus est, & nubes suscepit eum, & viderunt eum euntem in cœlum.* Quid hoc est rogo? Cum verba nouissima hominis monentis audiuntur ituri ad inferos, nemo eum dicit esse mentitum, & impius iudicatur hæres, qui fortè illa contempserit. Quomodo ergò effugiemus iram Dei, si vel non credentes vel contemnentes repulerimus verba nouissima, & vnici filii Dei, & Domini nostri ac Saluatoris, & ituri in cœlum, & inde prospecturi, quis ea negligat, quis obseruet: & inde venturi, vt de omnibus iudicet? Habeo manifestissimam vocem pastoris mei commendantis mihi, vt sine vllis ambagibus exprimentis Ecclesiam mihi imputabo si ab eius grege, quod est ipsa Ecclesia, per verba hominum seduci, atque aberrare voluero, cum me præsertim admouerit dicens, *quæ sunt*

Luc. 24.

Actor. 1.

oues meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur *Ioan. 10.*
me. Ecce vox eius clara & aperta. hac audita qui eum non sequitur, quomodo se ouem eius dicere audebit? Nemo mihi dicat, O quid dixit *Donatus*, aut quid dixit *Parmenianus*, aut *Pontius*, aut quilibet illorum. *O quid dixit Lutherus, Caluinus, Beza.* Quia nec Catholicis Episcopis consentiendum est, sic vbi fortè falluntur, vt contra canonicas Dei scripturas aliquid sentiant. Sed qui custodito veritatis & charitatis vinculo in hoc incidunt, fiet in eis quod Apostolus ait, *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit.* *Philip. 3.* NB. Iam verò istæ diuinæ voces de vniuersa Ecclesia, ita manifestæ sunt, vt contra eas nisi hæreticè animosa peruersitate, & cæco furore latrare non possint. Sed prædictam demonstrauimus Ecclesiam in verbo Dei sponso eius, siue per legem, & Prophetas, & Psalmos, siue per os proprium, ab Hierusalem cœpturam, & peruenturam vsque ad terminos orbis terræ. Quomodo autem cœperit ab Hierusalem, & in omnes gentes inde diffusa fructificet, in eodem verbo Dei etiam per Apostolos demonstratur, sic scriptum est in Actibus Apostolorũ, quod iam commemorat dixisse Dominũ: *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in totam terram.* *Acter. 1.* Deinde sequitur: Hæc cum dixisset, videntibus illis

eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Et cum intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt illis in veste candida, qui & dixerunt, viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Iste Iesus qui assumptus à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Tunc reuersi sunt in Hierusalem à monte qui vocatur Elaon, qui est iuxta Hierosolymam sabbathi habens iter. Et cum introissent, ascenderunt in superiora, vbi erant inhabitantes, Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant assiduè perseuerantes vnanimes orationi cum mulieribus & Maria, quæ fuit mater Iesu, & fratribus eius. In his autem diebus surgens Petrus in medio discipulorum, dixit, Erat autem turba hominum circiter centumuiginti. Deinde narratur Petro faciente sermonem, quemadmodum *Matthias* in locum Iudæ traditoris Domini surrogatus sit. Et post eius ordinationem sequitur scriptura dicens: *Et cum complerentur dies pentecostes, erãt omnes simul in eodẽ loco, & factus est repentè de cælo sonus, velut decurrẽtis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes, & visæ sunt illis distributa linguæ velut ignis: Consedit autem super vnum quemque eorum, & repleti sunt omnes Spiritu san-*

Locus XXIII ex Act 2. v. 1 & seq.

tu sancto, & cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus dabat pronunciare illis. Erant autem inhabitantes Hierusalem viri religiosi Iudæi, ex omni gente, quæ est sub cœlo. Cumque facta esset hæc vox, conuenit multitudo, ac mente confusa est, quia audiebat vnusquisque eorum sua lingua loquentes eos. Stupebant autem & mirabantur ad inuicem, dicentes. Nonne omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? & quomodo nos audiuimus vnusquisque propriam linguam, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam Iudæi, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, & Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libiæ, quæ sunt ad Cyrenem, & qui aduenerant Romani Iudæi quoque, & aduenæ Cretenses, & Arabes, audiebant loquentes *illos suis linguis magnalia Dei. Stupebant autem & hæsitabant ad inuicem dicentes, Quidnam vult hoc esse? Alii vero irridebant eos dicentes, quia musto pleni sunt isti. Stans vero Petrus cum vndecim discipulis, eleuauit vocem suam, & locutus est dicens: Viri Iudæi, & vniuersi qui habitatis Hierusalem, hoc vobis notū sit.* & cætera, quibus eos exhortabatur ad fidē. Quæ cum terminasset, sequitur scriptura ita narrans. *His igitur auditis, compuncti sunt corde, dicentes ad Petrū & Apostolos. Quid faciemus viri fratres? Ostendite nobis. Petrus autē dixit ad eos, pœnitentiā agite, et baptizetur vnusquisq; vestrū in*

Historia prima pentecostes.

Actor. 2.

nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis gratiam Spiritus sancti. Vobis est enim promissio, & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster. Et aliis quidem verbis plurimis testificabatur eis dicens, saluamini à generatione praua hac. Illi vero recepto hoc verbo, crediderunt & baptizati sunt. Et adiectæ sunt in illa die animæ circiter tria milia. Ecce quemadmodum cœpta est ab Hierusalem, inde itura Ecclesia per omnes linguas: quod etiam præsignatum est, in eis, qui ibidem constituti sunt, accepto Spiritu sancto, linguis omnibus sunt locuti. Iam per alias gentes quemadmodum ierit, quod etiam ipse Petrus prædixerat, vbi ait, *vobis est promissio & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster*: Deinceps videamus. Narrantur enim consequenter ea, quæ tunc gesta sunt. Hierosolymis vsque ad passionem Stephani Diaconi. Vbi etiam Saulus commemoratur consentiens occasioni eius. Qua completa, ita deinde narratur: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, omnesq; dispersi sunt in regionibus Iudææ, & Samariæ, exceptis Apostolis, qui remãserunt Hierosolymis.* Videte quẽadmodũ deinceps impleatur, ꝙ p ordinẽ Dominus dixerat, *Eritis mihi testes in Hierusalẽ, & in*

Locus XXIV *ex* Act 8 v. 1. *& seq.*

Act. 1.

& in tota Iudæa, & Samaria, & vsq; in totam terrã. Iam in Hierusalem factũ erat, sequebatur in Iudæa & Samaria, propter quod illi dispersi sunt in regionibus Iudææ & Samariæ. Hoc enim de illis mox dicitur. *At illi qui dispersi erant, transeuntes per ciuitates & castella, euangelizabant verbum Domini.* Quia verò ierant & Apostoli, audito quod recepisset Samaria verbum Dei; quando per impositionem manus eorum acceperunt spiritum sanctum, ita dicitur de Petro & Ioanne, *Petrus autem & Ioannes testificati verbum Domini, redibant Hierosolymam multisq; viris Samaritanorum euangelizabant transeuntes.* Deinde narratur de illo Eunucho, qui rediens ab Hierosolymis, à Philippo baptizatus est, & de ipso Philippo dicitur. *Angelus autem Domini rapuit Philippum ab eo, & amplius eum non vidit Eunuchus. Ibat autem via sua gaudens. Philippus autem inuentus est venisse in Azotum. Vnde reuertens euangelizabat per omnes ciuitates, vsque dum veniret in Cæsariam.* Sic ergo inuenitur, & per Iudææ & per Samariæ ciuitates prædicatum Euangelium. Restabat ergo vt prædicaretur ex ordine etiam per omnes gentes, sic vt Dominus dixerat, vsque in totam terram. Vocatur ergo Saulus de cœlo, fit ex persecutore prædicator, & dicit de illo Dominus ad Ananiam, *vade quoniam vas electionis est mihi, vt portet nomen meum coram gentibus & Regibus, & filiis*

Act. 8.

Eunuchus.

Locus XXV. *ex Act. 9. v. 1. & seq.*

lijs Iſrael magnificari. Ego enim monſtrabo ei quanta patietur propter nomen meum. Iam itaque tenemus Eccleſiam in Hieruſalem, & per totam Iudæam & Samariam vnde apertiſsimè paulò poſt dicitur, *Eccleſia quidē per totam Iudæam, & Galilæam & Samariā habebant pacem inſtructæ & confirmatæ in timore Domini, & conſolatione ſpiritus ſancti replebantur.* Deinde paucis interpoſitis, venitur ad eum locum, vbi Cornelius Centurio credidit, & baptizatus eſt cum ſuis, qui omnes gentiles erant incircumciſi. Quod antequam fieret. *Petrus vidit in aſſumptione mentis, cum oraret, cœlum apertū, & quatuor initiis ligatum vas quoddam tanquam linteum limpidum, in quo erat omne genus quadrupedum ac ferarum, & volucrum cœli. Et facta eſt vox, Petre ſurge, & occide, & manduca. Ait autem Petrus Domine, nunquam manducaui omne commune & immundum. Et vox rurſus ad eum, quæ Deus mundauit, tu communia ne dixeris.* Quòd autem per hoc viſum gentes crediture, ſignificatæ ſint, nō eſt opus vt coniiciamus: ipſe quippe Apoſtolus hoc exponit in illa voce ſibi demonſtratum. Cū enim ingreſſus eſſet domū vbi erat Cornelius, & multi conueniſſent, dixit ad eos, *vos melius ſcitis quomodo abominandū ſit viro Iudæo, iūgi aut accedere ad alienigenā; ſed mihi oſtendit Deus, nullū communē aut inquinatū dicere hominē.* Ita expoſuit illā vocē, quā de animalibus in illo linteo demonſtratis

Locus XXVI. ex Act. 10. & 1. & ſeq.

Interpretatio lintei quatuor initiis ſubligati ab illo vaſe.

ſtratis audierat, *Quæ Deus mundauit ne communia dixeris.* Iam cui nō appareat illo vaſe ſignificatū orbem terrarū, cū omnibus gentibus? Vnde etiā quatuor initiis erat alligatū, propter notiſſimas quatuor partes, Oriētem, Occidentem, Auſtrū, & Aquilonem, quas ſępiſſimè ſcriptura cōmendat. Iam verò *Paulus* miſſus ad gentes, quæ loca circūierit diſſeminans verbū Dei, & natas confirmans Eccleſias, longū eſt commemorare. Cui Iudæi cū reſtitiſſent Antiochiæ, ipſe & Barnabas dixerūt ad eos, *vobis oportebat primum loqui verbū Dei, ſed quoniam repuliſtis illud, & indignos vos iudicaſtis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gētes. Sic enim præcepit nobis Deus Dominus, poſui te lumen gentibus, vt ſis in ſalutem vſq; ad extremū terræ.* Et ſequitur dicens. *Audientes autē gentes, perceperunt verbum Dei, & crediderūt quotquot erant deſtinati ad vitam æternam.* Ecce & hic commemoratum eſt teſtimonium ex propheta Eſaia, quod & nos poſuimus, vt ſit ſalus vſque ad extremum vitæ.

Locus XXVII. *ex Act.13.*

Iſaia 46.

ANALYSIS CAP. XI.

Ab Euangeliſtis ad Apoſtolos trāſit locūq; XXII. proponit ex *Actor.* 1. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Deinde infra v. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Quem locū variè amplificat & inculcat lectori ad maiorē obſeruantiam. *Primùm* ab Authoritate loquentis Chriſti: *Deinde* à tempore, quia poſtrema fuit hæc cōcio Chriſti ad Apoſtolos, mox aſcenſuri ad cœlos. *Tertiò* à materia & cohærente periculo: præmonet n. nos à ſeductoribus, & verbis quidē maniſeſtiſſimis. Quod ſi igitur nobis nō caueamus, nullā reliquā habemus excuſationē.

Locus XXII.

EX-

EXCEPTIO. At forte Donatus, Parmenianus aut Pontius aliquid habent contra, &c. Respōdet à minori: Catholicorum Episcoporum authoritas, si manifestè falsa aut absurda iubeant, nos obligare non debet: Quanto minus igitur hæreticorum ineptiæ? Deinde nec possunt quidem aliquid veritati aduersum eruere, cum tam clara & manifesta sint omnia, tum quæ prædicta, tum quæ postmodum ordine impleta sunt.

XXIII. *Locus* XXIII. Est ex Actor. 2. v. 1. & sequentibus, vti historia missionis spiritus sancti in prima Pentecoste, & variorum populorum ad fidem Christianam conuersio commemoratur Quos dubium non est tantum thesaurum sollicitè secum conseruasse, & domum asportasse.

XXIV. *Locus* XXIV. Est Actor. 8. v. 1. & sequentibus de discipulis Hierosolymâ ob persecutionem fugientibus, & in Samaria Euangelium prædicantibus.

XXV. *Locus* XXV. Est Actor. 9. de vocatione Pauli ad Apostolatum, & insigni ministerii eius encomio, quòd sit vas electum ad portandum nomen Christi inter gentes. Atq; hactenus habemus Ecclesias Iudææ, Galilææ & Samariæ.

XXVI. *Locus* XXVI. Est Actor. 10. v. 1. & sequentibus, de Cornelio Centurione, & Petri visione, Lintei quatuor initiis subligati, quo disertè gentium ad Ecclesiam vocatio ex quatuor mundi plagis figurabatur.

XXVII. *Locus* XXVII. Est Actor. 13. ex Pauli & Barnabæ prædicationibus inter gentes.

CAPVT XII.

Vltima ratio Propositionis, ab exemplis Ecclesiarum Apostolicarum, toto orbe fundatarum.

VT ergo non commemorem gentes, quæ

quæ post Apostolorum tempora crediderunt, & accesserunt Ecclesiæ: illæ ipsæ solæ, quas in sanctis literis, in Actibus, & Epistolis Apostolorum, & in Apocalypsi Ioannis inuenimus, quas vtrique amplectimur, & quibus vtrique subdimur, dicant isti nobis, quemadmodum Aphricana seditione perierint. has enim accepimus, non ex Conciliis contendentium Episcoporum, non ex disputationibus nouitiis, non ex forensibus vel municipalibus gestis, sed ex literis sanctis Canonicis *Antiochena* Ecclesia, vbi primùm appellati sunt discipuli Christiani, quomodo potuit Aphrorũ perire criminibus? Quis tã vehemẽs Aphricus tam longè potuit ablatã spargere pestilentiã, vbi nec nomina eorũ, per quos ortum est, vel de quibus ortũ est hoc malum, nota esse potuerunt; *Athenis, Iconio, Listris*? Quis deleuit Ecclesias Apostolico labore fundatas? In extremis epistolæ ad *Romanos* dicit idem Apostolus doctor gentium. *Audacius autem scripsi vobis ex parte, tanquam commemorans vos, propter gratiam quæ data est mihi à Deo, vt minister sim Christi Iesu in gentibus consecrans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium acceptabilis, sanctificata in spiritu sancto. Habeo ergo gloriam in Christo Iesu ad Deum. Non enim audeo quicquam eorum loqui, quorum perfecerit Christus per me in obedientiã gentium verbo & opere in potestate signorum & prodigiorum, in virtute spiritus sancti:*

Exempla Ecclesiarũ Apostolic. Act. 11.

Rom. 15.

sancti: ita vt ego ab Hierusalem, & in circuitu vsq; in Illyricum repleuerim Euangeliũ Christi: Quærite Donatistæ, si nescitis; quærite ab Hierusalem per terrena itinera in circuitu vsq; in Illyricũ, quot mansiones sunt, si tot Ecclesias computemus? Dicite quemadmodũ per Aphricanas cõtẽtiones perire potuerunt? Ad *Corinthios*, ad *Ephesios*, ad *Philippenses*, ad *Thessalonicenses*, ad *Colossenses*, vos solos Apostoli epistolas in lectione, nos autem epistolas in lectione ac fide, & ipsas Ecclesias in communione retinemus. Iam verò *Galatia* nõ vna Ecclesia est, sed in ea regione innumerabiles. *Corinthios* autem videte quemadmodũ salutauerit. *Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatẽ Dei, & Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi cũ Sanctis omnibus, qui sunt in vniuersa Achaia.* Quot putatis esse Ecclesias in vniuersa Achaia? Fortasse vbi *Achaia* sit, nescitis, & de tam incognita prouincia tanta cæcitate iudicatis, & eam criminibus Aphrorũ periisse dicatis. Nonne plena sunt florentissimis Ecclesiis omnia loca, q̃ Petrus nominauit, *Pontus, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia*? Quid Ioannes quibus scripsit *Smyrnæ, Pergami, Sardis, Tiathyræ, Philadelphiæ, Laodiciæ* quæ sunt Ecclesiæ? Iam enim Ephesum commemorauimus. Dicat mihi aliquis vestrũ, vbi sint, quantũ ab inuicẽ distent? fortasse modo id quæritis, vel legendo, vel audiẽdo cognoscere. Cognoscite ergo etiam

2. Cor. 1.

1. Pet. 1.

Apoc. 1.

quàm lõgè ab Aphrica remotæ ſunt, & dicite nobis, cur eas omninò vobis incognitas, & in Apoſtolicis literis manifeſtatas tã ſacrilega temeritate accuſetis, & tanta dementia criminibus Afrorũ periſſe dicatis? poſtremò quid de illis in ſanctis Canonicis libris ſcriptũ ſit, ſcio: quid de illis vos dicatis, neſcio. Certè ſicut nos eas legimus Eccleſias Chriſti ex codicibus, quos & vos veneramini, ſic & vos ex codicibus quos & nos veneramur, quemadmodum perierint, legite nobis. An placet vobis, vt contra Eccleſias, quæ mẽbra ſunt, vnius Eccleſiæ toto orbe diffuſæ, quas nobis ſpiritus ſanctus per ſcripturas ſuas cõmendauit, & tradidit, vndelibet prolata hominũ maledicta credamus? Hoc quidem vobis placet, ſed nobis nõ placet. Quibus aũt iuſtius placeat, & vos videtis, ſed victi animoſitate, nõ vultis vinci veritate. Ecce ſunt ſcripturæ Dei. Ecce ſunt in eis Eccleſiæ, & vniuerſali totius orbis nomine, & nominatim deſignatæ & expreſſæ. q d maiores veſtri collegis ſuis obiecerunt, neſcierunt; quales ea cauſa iudices habuerit, neſcierũt: quomodo ergo perierũt? *Ecce ſunt ſcripturæ, quibus credo, ecce ſunt eccleſiæ, quibus cõmunico.* Vbi tibi lego nomina earũ, ibi mihi lege crimina earum: ſi aũt aliunde clamas vel recitas, nos poſt vocem paſtoris noſtri, per ora prophetarum, per os proprium, per ora Euangeliſtarum nobis apertiſſimè declaratam, voces veſtras non admittimus, non credimus, non accipimus.

Iohan. 10. *Quæ sunt oues meæ*, inquit pastor cœlestis *vocem meam audiunt, & sequuntur me.* Vo eius de Ecclesia non est obscura. Quisq; s a eius grege errare non vult, hunc audiat hunc sequatur. Fidelissimus dispẽsator eiu doctor gentium in fide & veritate, quia ips Gal. 1. in eo loquebatur, hæc dicit, *Miror quod s tam citò transferimini ab eo qui vos vocaui in gratiam Christi in aliud Euangelium, quo non est aliud, nisi aliqui sunt conturbantes vo & volentes conuertere Euangelium Christ Sed licet si nos, aut angelus de cœlo vobis euan gelizauerit, præterquam quod euangelizaui mus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, si quis vobis euangelizaue* Luc. 24. *rit, præterquam quod accepistis, anathema sit* Euangelizata est nobis Ecclesia per totum Act. 1. orbem terrarũ futura. Hoc in lege & Pro phetis & Psalmis esse prænunciatum ips Dominus testificatus est, qui etiam cœptu ram ab Hierusalem, & per omnes gente permanaturam esse prædixit, testes sibi fu turos in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, vsque in totam terram, cùm iam in cœlum ascenderet, prænunciauit. Hæ verba facta secuta sunt. Quomodo cœptu sit ab Hierusalem, & deinde processum in Iudæam, & Samariam, & inde in totam ter ram, *vbi adhuc crescit Ecclesia, donec vsq; in fi nem etiam reliquas gentes, vbi adhuc nõ est, ob tineat,* scripturis sanctis testibus cõsequen Gal. 1. ter ostenditur, quisquis aliud euangeliza uerit, anathema sit.

ANA

ANALYSIS CAP. XII.

Hactenus verbis pugnauit Augustinus, nunc rebus & exemplis aduersarios aggreditur. Ac primum ordine enumerat *Catalogum Apostolicarum Ecclesiarum* toto orbe variis in locis fundatarum; vt Antiochiæ, Athenis, Iconii, Listris, &c. Deinde concludens confirmationem, acriter inuehitur in Donatistas, quod tantas, tam laudatas, tamque latè dispersas, ac nullius criminis reas vel cõuictas Ecclesias atroci sententia proscribere, ac tanquam crimine traditionis omnimodo cõsceleratas dãnare non vereantur. Quæ iustissima reprehensio cũ nostros quoque hæreticos, prodigiosa planè ac nunquam audita temeritate non solum vniuersum orbem, sed & superiora fermè secula omnia à temporibus *Gregorii Magni* tanquam Antichristi fæcẽ, & execrandum Diaboli peculium ad ima tartara relegantes, corrigere, suæq; impietatis commonefacere possit, aliunde non incommodè illustrari, ac tanquam pondere addito cumulari possit, modo fructũ illi aliquem emendationis ostendãt. Augustinus *libro ad Donatistas* post collationem capite 4. *Voce*, inquit, *ipsius Vnitatis clament Ecclesiæ Ponti, Bithyniæ, Asiæ, Cappadociæ, cæterarumque orientalium regionum, ad quas beatus Petrus Apostolus scribit. O pars Donati, non nouimus quid dicatis, quare nobis nõ communicatis? Si Cæcilianus mali aliquid fecit, quod nobis non probatum est nec demonstratum, tamen si mali aliquid fecit, quare nobis præiudicat? Si nos audire non vultis, vos ipsos audite dicentes: Nec causa causæ nec personæ persona præiudicat. An vsque adeò potest vestra peruersitas, vt hæc verba valeant, ne vobis præiudicet Primianus; & hæc verba non valeant vt nobis præiudicet Cæcilianus? Clament etiam simpliciter Ecclesiæ septem Orientales ad quas scribit Apostolus Iohannes, Ephesi, Smyrnæ, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, Laodiceæ, Pergami, & dicant: Quid vobis fecimus fratres, qui potius Donati, quàm nostrã*

Hæreticorũ huius temporis temeritas.

Prosopopœia Ecclesiæ reprehensoria ad hæreticos.

Apoc. 1.

Vnius vel alterius peccata non praeiudicat toti Ecclesiae.

Collat 3. dieι.cap.16.

Apocal. 3.

communionis esse voluistis? Si Caecilianus peccauit, quamuis & ipsius crimen non potuistis ostendere; quia sicut Primianus vester, sic etiam absens iste damnatus est: Veruntamen qualiscunque ille fuerit nos vobis quid fecimus? Quare Christiani cum Christianis pacem habere non vultis? Quare in vobis communia Sacramenta rescinditis? Quid vobis fecimus? quare Primiani causa non praeiudicat parti Donati, nisi quia verum est quod dixistis, nec causa causa, nec persona persona praeiudicat? Quare ergo causa Caeciliani praeiudicat haereditati Christi, in qua sumus Apostolorum labore plantati? Ad vnam nostrum scribit Apostolus Iohannes, quod habeat pauca nomina in Sardis, eorum qui non inquinauerunt vestimenta sua: nec tamen ab eis qui in ipsa Ecclesia immundi fuerunt, illorum paucorum vestimenta polluta sunt: Quoniam verum est quod dixistis, nec causam causae, nec personam praeiudicare personae. Quomodo ergo potest causa & persona Caeciliani praeiudicare nobis? aut si non praeiudicat, quare separamini a nobis? Dicant etiam Ecclesiae ad quas Paulus Apostolus scribit, Romanorum, Corinthiorum, Philippensium, Colossensium, Thessalonicensium nam de Galatia, & Epheso iam supra dictum est. Dicant ergo & istae, literas ad nos datas fratres quotidie legitis, qui vultis adhuc esse de parte Donati. In ipsis epistolis per nomen pacis nos Apostolus salutauit, dicens, Gratia vobis & pax a Deo patre & Domino nostro Iesu Christo. Quare pacem in nostris epistolis legendo didicistis, & ea nobiscum tenere noluistis? In tam longinquis terris transmare positis Aphrum nobis obiicitis Caecilianum, &c.

Conclusio confirmationis.

Ticonius Donatista.

Epist. 48 ad Vincent. & lib. 1. contra epist. Parm. cap. 1.

Atque hactenus quidem loci confirmationis, quorum vtinam se hodie tanta vis exerat in obstinatissimis sectariis nostris: quanta olim in *Ticonio* sese exeruit, homine quidem Donatista, sed tamen acri ingenio, & vberi eloquio. Qui etsi ipse quoque à toto scissus ad partem *circumtusus tamen*, vt Augustinus de eo scribit, *omnium sanctarum paginarum vocibus, euigilauit & vidit Ecclesiam toto orbe*

orbe diffusam, sicut de illa tanto antè per corda & ora sanctorum præuisum atque prædictum est. Quo præcepto suscepit aduersus ipsos suos demonstrare & asserere, nullius hominis quamuis sceleratum & immane peccatum præscribere promissis Dei, nec id agere quorumlibet intra Ecclesiam constitutorum quamlibet impietatem, vt fides Dei de Ecclesia futura & diffundenda vsque ad terminos orbis terræ, quæ in promissis patrum retenta & nunc exhibita est, euacuaretur. *Hoc ergo* Ticonius *cùm vehementer copiosèque dissereret, & ora contradicentium multis & magnis ac manifestis sanctarum scripturarum testimoniis oppilaret; non vidit quod consequenter videndum fuit, illos videlicet in Aphrica Christianos pertinere ad Ecclesiam toto orbe diffusam, qui vtique non istis ab eiusdem orbis communione atque vnitate seiunctis, sed ipsi orbi terrarum per communionem connecterentur.* Parmenianus *autem cæterique Donatistæ viderunt hoc esse consequens, & maluerunt suscipere obstinatissimum animam aduersus apertissimam veritatem quam Ticonius asserebat, quàm ea concessa superari ab Aphricanis Ecclesiis, quæ illius vnitatis quam Ticonius asserebat, communione gauderent, vnde se isti separassent. Et Parmenianus quidem primò eum per epistolam velut corrigendum putauit, postea verò ex Concilio eorum perhibet damnatum.*

Ticonius desti[n]ta contra colleg[a]s pro Ecclesia, & propterea damnatur.

Profectò ipsissimum nostrorum temporum fatum vbi mirari satis nequeo, cùm homines nobiscum Catholicam Ecclesiam credant; *Philipp: in corpore.* 14. 171. *Hyp. in locis.* 544. *Bulling. in Decad Germ.* pag. 35. a. eamque vocem ita interpretentur, quod Ecclesia debeat esse lata, copiosa, & populosissima. *Oecolamp. in Esaiam.* p.24. Præterea etiam rectè doceant Ecclesias non temerè deserendas, propter vestes aut pileos aut aliquid huiusmodi. *Beza volum.* 3. 212. Neque iustum, Ecclesiam certorum hominum culpam sustinere. *Ibidem*, 191. Propterea priuatos non temerè Ecclesias integras

Applicatio ad præsentia tempora.

Hæreticorũ sentẽtia de Ecclesia.

damnare debere. *Ibidem* 190. Ecclesiarum potiorem habendam rationem, quàm paucorum hominum. *Ibidem* 53.l.54. Denique seiunctionem à cœtu communi in Ecclesia illicitam esse. *Ibidem* 253. Tamen vicissim scribere audent, Ecclesiam esse gregem pusillum. *Danaus* tom.1. respons. 758. Neque Catholicam Ecclesiam ex multitudine censendam esse. *Beza* volum. 3. p. 133. l. 44. ideoque ab Romana Ecclesia necessariam esse discessionem & dissensionem. *Foxus* in Apocal. 3. p. 40. Cuius factionis suæ causas alii afferunt alias: nunc *indulgentias Tecelis*, & aliarum doctrinæ partium corruptionem, quam tamen hactenus probare non potuerunt, sed non minus ac Donatistæ ipsi in diuersis iudiciis, *Augustæ* in comitiis, *Tridenti* in œcumenico orbis Concilio damnationem subierunt. Nunc vitæ lapsus & errores, quem ipsi prætextum infirmum agnoscunt, & *Augustinus* hoc libro & alibi copiose refellit, vt *lib 3. contra Cresconium Gram. in.* cap. 34. 36. 37. Et *lib 2. contra Gaudentium* cap. 13. & cap. 9. vbi sic inquit. *In hac Ecclesia constituti, quæ malorum siue occultorum, siue etiam manifestorum, nec potuit, nec poterit perire contagio, nullas de quibuslibet hominibus calumnias formidamus. Si enim mali sunt, proculdubio eos aut ignorant boni, aut suis iudiciis manifestatos Ecclesiasticis legibus damnant: aut etiam si nouerunt eos, & non apud se accusatos, neque conuictos damnare non possunt, pro Ecclesiæ pace non solum irreprehensibiliter, verum etiam laudabiliter tolerant: nec se propter pisces malos ruptis Dominicis retibus, ante tempus litoris damnabiliter separant. Si enim hoc facere velint, exceptis diuinarum scripturarum innumerabilibus testimoniis, quibus ne faciant prohibentur: retinet eos certè quem testem adhibuisti, beatissimus* Cyprianus, *clamans atque contestans: Quia & si videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet, aut fides aut charitas nostra: vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus ipsi de Ecclesia recedamus. Non solùm*

Causæ quas prætendunt haretici sua ab Rom. Ecclesiæ Apostasia.

Propter Zizania morum non deserenda Ecclesia.

Cypriani locus. lib. 3. epist. 3

lùm verbo, verum etiam exemplo suo vos admonens: qui collegas suos, fundos insidiosis fraudibus rapientes, vsuris multiplicantibus fœnus augentes, quorum auaritiam, non leue aliquod vitium, sed esse Idololatriam, secundum Apostolum intellexit, pro vnitatis vinculo pertulit. Talis nec eorum contagio factus est, talis discessit ab eis dissimilitudine morum non diuisione Sacramentorum. Et immundum non tetigit: sed à factis eorum abhorrendo, non seorsum populos colligendo. serm. de laauaritiam. lib 4 epist. 2 ad Anto.

Et paulò post. *Denique quando aliena peccata vos peruersè deuitanda esse censuistis, alia vestra fecistis, sacrilegum schisma, populos diuidendo. & sacrilegam hæresim contra Dei manifestata promissa & impleta de Ecclesia toto orbe diffusa, nefario spiritu sentiendo.*

Quid igitur nunc restat, nisi vt quoscunque cuiuscunque sectæ homines ab Romana Ecclesia diuisos fidelissimè & seuerissimè cum Augustino admoneam & obsecrem, *Expergiscimini aliquando non vos tartareus obliget somnus, non in profundum sacrilegi erroris adhuc impia consuetudo demergat, iam consonate paci, cohærete vnitati, acquiescite charitati, cedite veritati, Ecclesiam Catholicam incipientem ab Hierusalem cognoscite vsquequaque diffundi; cui non communicat pars * Donati, cui causa præiudicat Cæciliani. Totiens enim purgatus, totiens absolutus, etiam si non esset innocens, nec causa causæ præiudicaret nec persona personæ. Hæc verba per orbem terræ vniuersa personat Ecclesia, clamat etiam membrum illius in Aphrica. Testimonium Dei noui, negotium Cæciliani non noui. Credo innocentem à vestris maioribus insectatum, quem lego totiens absolutum: sed qualiscunque sit causa eius, causa mea nihil præiudicat: qualiscunque sit persona eius, persona mea nihil præiudicat. Vos hoc dixistis, vos adhoc subscripsistis, nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ. Ecce Dominus dicit per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem: diuinam veritatem*

Conclusio per exhortat. ad hæreticos.

lib. post collat cap. 18.

* *neq; pars Caluini aut Lutheri, &c.*

Collat. 3. diei cap. 16.

Luc. 24.

in vna Ecclesia teneamus, & humanas lites aliquando finiamus.

CAPVT XIII.

Quarta pars libri confutatio obiectionum Donatistarum; quarum hoc capite prima soluitur.

Aliud autem euangelizat qui periisse dicit de cætero mundo Ecclesiã, & in parte Donati in sola Aphrica remansisse dicit. Ergo anathema sit, aut legat mihi hoc in scripturis sanctis, & non sit anathema. *Lego inquit. Nam Enoch vnus inter omnes homines placuit Deo, & translatus est. Postea toto mundo aquarum inundatio est deleto. Solus Noe cum coniuge, & filiis, & nuribus suis in arca meruit liberari. Adiungunt etiam de Loth, quòd solus cum filiabus de Sodomis liberatus sit. De ipso quoq; Abraham, Isaac, & Iacob, quòd pauci fuerint Deo placentes, cæteri idolis deditι & dæmonibus. Postremo iam multiplicato populo Israel, iam temporibus regum in terra promissionis, quæ fuerat omnibus duodecim tribubus distributa, commemorat decem tribus diuisas, & traditas seruo Salomonis: duas autem remansisse filio Salomonis ad regnum quod erat Hierusalem. Sic & nunc inquiunt, totus mundus apostatauit, nos autem tanquam duæ illæ tribus in templo Dei, hoc est in Ecclesia remansimus. Dominum etiam Iesum Christum cùm plurimi discipuli sequerentur,*

Genes. 5. *Obiectio 1.* *Genes. 7.* *Genes. 19.* *3. Reg. 11.* *Vide hæreticam superbiam.*

rentur, septuaginta duobus apostatantibus, soli cum filio illo duodecim remanserunt. His atque huiusmodi exemplis hæretici suam paucitatem commendare conantur, & in Sanctis Ecclesiæ multitudinem toto orbe diffusam blasphemare non cessant. Sed quæro ab eis, si quod absit, nollem credere vera esse ista quæ ab eis commemorantur exempla, vnde me conuincerent? Nonne de scripturis sanctis, vbi leguntur tanta manifestatione, vt quisquis illas literas in fidem recepit, non possit nisi & ista verissima confiteri: Porro si hæc exempla ideò cogerer credere vera esse quia ibi scripta sunt, vbi nō possem dicere falsa esse quę scripta sunt, cur non & ipsi de Ecclesia toto orbe diffusa eisdem scripturis credunt? Ecce nos omnia illa credimus, credant & ipsi quod ait Dominus, *prædicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes incipiētibus ab Hierusalem.* Credant quòd ascensurus in cœlum nouissimè dixit: *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in totam terram.* Et illa & ista vera esse credantur, & nulla inter nos contentio remanebit, quia nec illis veris ista, nec istis veris illa impediuntur. *Et ista, inquiunt, credimus, & completa esse confitemur, sed postea orbis terrarum apostatauit, & sola remansit Donati communio.* Hoc nobis legunt, sicut legunt de Enoch,

Responsio.

Luc. 24.

Act. 1.

Instantia.

O superbiā.

de Noë, & de Abraham, Isaac, & Iacob, & de illis duabus tribubus, quæ decem separatis reliquæ factæ sunt, & de duodecim Apostolis, qui cæteris apostatantibus remanserunt, & hoc similiter legant, & nihil resistimus. Si autem non ea de scripturis sanctis legunt, sed suis contentionibus persuadere conantur; *Credo illa quæ in scripturis sanctis leguntur, non credo ista quæ ab hæreticis vanis dicuntur.* Sed quia se duabus illis tribubus, quæ cum Solomonis filio remanserunt cōparandos putant, legant & eos hoc legisse pœnitebit. Sic enim cōmemorantur in scripturis ipsi duo populi, pars q̄ erat ab Hierusalem, Iuda nominatur: illa verò alia quæ cum seruo Salomonis in ampliore numero segregata est, Israel vocatur. Legant q̄ dicant Prophetæ de vtrisq;, quemadmodum peiorem dicant Iudam quàm Israël, ita vt *iustificata* dicant *aduersatricem Israel peccatis præuaricatricis Iuda*, id est, tam grauia esse peccata huius, vt in eius comparatione illa iusta dicenda sit. Nec huius tamen nec illius peccata obfuerunt aliquid iustis qui & hîc, & illic fuisse inueniuntur. Nam & in illa parte, quam pro exemplo perditionis ponunt, id est, in Israel, fuerunt sancti Prophetæ. Ibi erant ille memorabilis *Helias*, vt de aliis taceam, cui etiam dictum est, *Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.* Ideo nequaquam pars illa populi, tanquam hæresis fuis-

Ezech. 16.

Iuda peior Israele.

Helias in regno Israel.

3. Reg 11.

Secessio Israelis a Regno Iuda nequaquā schismatica fuit.

sis fuisse deputanda est. Deus enim easdem tribus iusserat separari, non vt religio, sed vt regnum diuideretur, & hoc modo vindicaretur in regnum Iuda. *Deus autem nunquam iubet schisma vel heresim fieri*: Neque enim quia & in orbe terrarum plerumque regna diuiduntur, ideò & Christiana vnitas diuiditur, cum in vtraque parte Catholica inueniatur Ecclesia. Hoc ideo de Iuda & Israël commemorandũ arbitratus sum, maximè vt admoneantur isti, non obesse iustis in medio impiorum cõstitutis, quicquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur: vt desinant colligere testimonia, quæcunque siue per Prophetas, siue per os Domini, siue per Euangelistas in Zizaniam, vel paleam orbis terrarum dicta inueniuntur. Plerunque enim sermo diuinus impias turbas Ecclesiæ, quæ nec in Ecclesia deputantur, tamẽ propter Sacramenta, quæ cum sanctis communiter habent, quia in eis est quædã forma pietatis, cuius virtutem negant: sic ait Apostolus: *Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes*: sic redarguit tanquam omnes tales sint, & nullus bonus omnino remanserit. Inde quippe admonemur in suo quodam numero eos dici omnes, id est, omnes filios gehennæ, quò eos Deus pertinere præsciuit. Isti ergo vel imperitè vel fallaciter agentes, colligunt de scripturis talia, q̃ vel malos bonis vsq;

Quomodo intelligenda sint Prophetica increpationes quæ in totã interdum multitudinem dicuntur.

2. Tim. 3.

Omnes.

in finē permixtos, vel de vastatione prioris populi Iudæorū dicta reperiuntur: & volunt ea detorquere in Ecclesiā Dei, vt tanquā defecisse ac periisse de toto orbe videatur. Desināt ergo talia proferre, si respōdere huic Epistolæ voluat. Neq; enim nos ita dicimus per totū orbē diffundi Ecclesiā, vt in Sacramentis eius solos bonos esse dicamus, ac non etiā malos, & eos etiam multò plures vt in eorū comparatione pauci sint, cum pe se ipsos ingentem numerum faciāt.

ANALYSIS CAP. XIII.

Confutatio. Sequitur quarta pars libri, CONFVTATIO nempe obiectionum Donatisticarum, quas ipsi pro excusanda paucitate sua obtendebant.

Primum autem ponit ipsorum sententiā seu propositionem, quo tanquam ad scopum collimabāt: periisse scilicet de cætero mundo Ecclesiam, & in parte Donati in sola Aphrica remansisse: non secus ac cùm hodie infausta Lutheri proles criminatur, periisse de toto mundo Ecclesiam, & non dicā in sola Europa, sed in aliquo Europæ angulo, in Germania, aut Gallia aut Anglia, aut deniq; in aliquo anguli angulo in parte Lutheri aut Caluini, Zuinglii aut Mennonis remansisse.

Obiectio 1. *Argumentum* primum sumunt, à variis scripturę exemplis, vbi Spiritus sanctus testatur, quod vel vnus ex omnibus, vel pauci ex multis Deo placuerint: Quale exemplum est *Enochi*, Gen. 5. *Noe* cum coniuge & filiis Genes. 7. *Loth* in Sodomis, Gen. 19. *Abrahami*, *Isaici*, & *Iacobi* inter Idololatras, *Regni* duarum tribuum præ regno tribuum decem: Denique duodecim Apostolorum præ septuaginta duobus discipulis Apostantibus.

Respon-

Respondet Augustinus primum à pari: Si hisce exemplis paucitatis credi à nobis volunt, quia ex scripturis deprompta sunt: Quin & nostris testimoniis multitudinis eodem ex penu depromptis fidem adhibent ipsi?

Deinde antequã reliquas reales responsiones addat, *instantiam* Donatistarum subnectit: quæ etiã hodie nostrorum sectariorum est. Credimus inquiunt ista vaticinia, de sono Apostolorum exituro in omnem terram, & completa esse confitemur: sed postea orbis terrarum Apostatauit, & sola remansit Donati aut Hussi, aut Lutheri communio. *Instantia*

Responsio. Ista vanorum hæreticorum criminatio est, non scripturæ vox. Probent nobis ex scripturis istam orbis terrarum Apostasiam, & non resistemus. Nam quod nostri opponunt illud 2. *Thessalon.* 2. *nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati*, &c. Sciendum est, discessionis nomine vel intelligi ipsum Antichristum, vt Chrysostomus, Theodoretus, Oecomenius Theophylactus & Augustinus, lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 19. exponunt, quem volunt appellatum discessionem, tum per Metonymiam, quia multis causæ erit recedendi à Deo: Tum etiam per excellentiam quandam: Erit enim tam insignis Apostata, vt Apostasia ipsa dici possit: Vel defectionem à Romano Imperio, antequam Antichristus non veniet; vt Ambrosius, Sedulius & Primasius exponunt: vel denique discessionem ab Ecclesia, non quidem multorum seculorum, sed quãdam maximam & singularem, quæ solum erit in illo breuissimo tẽpore quo Antichristus regnabit, quo omnes prorsus qui inuenientur in Ecclesia occulti hæretici ab Ecclesia discedent & Antichristo se adiungent. Vide Augustinũ lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 19. Quod igitur liberè hæretici nostri confitentur, se ab Romana Ecclesia defecisse: quemadmodum supra ad Tertullianum cap. 30. annotauimus, sciant se potius Pauli verbis constringi, & parturienti Antichristo viam sternere. *Locus 2. Thessal. 2: discutitur. Bellar. lib. 3. de Romano Pontif. cap. 2. & lib. 3. de Eccles. militan. ca. 16*

Tertiò

Vnius vel alterius peccata non praeiudicãt toti Ecclesiae.

communionis esse voluistis? Si Caecilianus peccauit, quamuis & ipsius crimen non potuistis ostendere; quia sicut Primianus vester, sic etiam absens iste damnatus est: Veruntamen qualiscunque ille fuerit nos vobis quid fecimus? Quare Christiani cum Christianis pacem habere non vultis? Quare ni vobis communia Sacram: n: a rescinditis? Quid vobis fecimus? quare Primiani causa non praeiudicat parti Donati, nisi quia verum est quod dixistis, nec causa causae, nec persona personae praeiudicat? Quare ergo causa Caeciliani praeiudicat haereditati Christi, in qua sumus Apostolorum labore plantati? Ad vnam nostrum scribit Apostolus Iohannes, quod habeat pauca nomina in Sardis, eorum qui non inquinauerunt vestimenta sua. nec tamen ab eis qui in ipsa Ecclesia immundi fuerunt, illorum paucorum vestimenta polluta sunt: Quoniam verum est quod dixistis, nec causam causae, nec personam praeiudicare personae. Quomodo ergo potest causa & persona Caeciliani praeiudicare nobis? aut si non praeiudicat, quare separamini a nobis? Dicant etiam Ecclesiae ad quas Paulus Apostolus scribit, Romanorum, Corinthiorum, Philippensium, Colossensium, Thessalonicensium: nam de Galatia, & Epheso iam supra dictum est. Dicant ergo & istae, literas ad nos datas fratres quotidie legitis, qui vultis adhuc esse de parte Donati. In ipsis epistolis per nomen pacis nos Apostolus salutauit, dicens, Gratia vobis & pax a Deo patre & Domino nostro Iesu Christo. Quare pacem in nostris epistolis legendo didicistis, & ea nobiscum tenere noluistis? In tam longinquis terris transmare positis Aphrum nobis obiicitis Caecilianum, &c.

Collat 3. dici.cap.16.

Apocal. 3.

Conclusio confirmationis.

Atque hactenus quidem loci confirmationis, quorum vtinam se hodie tanta vis exerat in obstinatissimis sectariis nostris: quanta olim in *Ticonio* sese exeruit, homine quidem Donatista, sed tamen acri ingenio, & vberi eloquio. Qui etsi ipse quoque à toto scissus ad partem, *circumtusus tamen*, vt Augustinus de eo scribit, *omnium sanctarum paginarum vocibus, euigilauit & vidit Ecclesiam toto orbe*

Ticonius Donatista.

Epist. 48 ad Vincent. & lib. 1. contra epist. Parm. cap. 1.

orbe diffusam, sicut de illa tanto antè per corda & ora sanctorum praemissum atque praedictum est. Quo praecepto suscepit aduersus ipsos suos demonstrare & asserere, nullius hominis quamuis sceleratum & immane peccatum praescribere promissis Dei, nec id agere quorumlibet intra Ecclesiam constitutorum quamlibet impietatem, Vt fides Dei de Ecclesia futura & diffundenda Vsque ad terminos orbis terrae, quae in promissis patrum retenta & nunc exhibita est, euacuaretur. Hoc ergo TICONIUS *cùm Vehementer copiosèque disseret, & ora contradicentium multis & magnis ac manifestis sanctarum scripturarum testimoniis oppilaret; non Vidit quod consequenter Videndum fuit, illos Videlicet in Aphrica Christianos pertinere ad Ecclesiam toto orbe diffusam, qui Vtique non istis ab eiusdem orbis communione atque Vnitate seiunctis, sed ipsi orbi terrarum per communionem connecterentur.* Parmenianus *autem caeterique Donatistae Viderunt hoc esse consequens, & maluerunt suscipere obstinatissimum animum aduersus apertissimam Veritatem quam Ticonius asserebat, quàm ea concessa superari ab Aphricanis Ecclesiis, quae illius Vnitatis quam Ticonius asserebat, communione gauderent, Vnde se isti separassent. Et Parmenianus quidem primò cum per epistolam Velut corrigendum putauit, postea Verò ex Concilio eorum perhibet damnatum.*

Ticonius destituta contra collegas pro Ecclesia, & propterea damnatur.

Profectò ipsissimum nostrorum temporum fatum vbi mirari satis nequeo, cùm homines nobiscum Catholicam Ecclesiam credant: *Philipp: in corpore.* 14. 171. *Hyp. in locis.* 544. *Bulling. in Decad. Germ.* pag. 35. a. eamque vocem ita interpretentur, quod Ecclesia debeat esse lata, copiosa, & populosissima. *Oecolamp. in Esaiam.* p. 24. Praetereà etiam rectè doceant Ecclesias non temerè deserendas, propter vestes aut pileos aut aliquid huiusmodi. *Beza Volum.* 3. 212. Neque iustum, Ecclesiam certorum hominum culpam sustinere. *Ibidem* 191. Propterea priuatos non temerè Ecclesias integras

Applicatio ad praesentia tempora.

Haereticorũ sentẽtia de Ecclesia.

damnare debere. *Ibidem* 190. Ecclesiarum potiorem habendam rationem, quàm paucorum hominum. *Ibidem* 53. l. 34. Denique seiunctionem à cœtu communi in Ecclesia illicitam esse. *Ibidem* 253. Tamen vicissim scribere audent, Ecclesiam esse gregem pusillum. *Danaus* tom. 1. respons. 758. Neque Catholicam Ecclesiam ex multitudine censendam esse. *Beza* volum. 3. p. 133. l. 44. ideoque ab Romana Ecclesia necessariam esse discessionem & dissensionem. *Foxus* in Apocal. 3. p. 40. Cuius factionis suæ causas alii afferunt alias: nunc *indulgentias Tecelii*, & aliarum doctrinæ partium corruptionem, quam tamen hactenus probare non potuerunt, sed non minus ac Donatistæ ipsi in diuersis iudiciis, *Augustæ* in comitiis, *Tridenti* in œcumenico orbis Concilio damnationem subierunt. Nunc vitæ lapsus & errores, quem ipsi prætextum infirmum agnoscunt, & *Augustinus* hoc libro & alibi copiose refellit, vt *lib 3. contra Cresconium Gram. in.* cap. 34. 36. 37. Et *lib 2. contra Gaudentium* cap. 13. & cap. 9. vbi sic inquit. *In hac Ecclesia constituti, qua malorum siue occultorum, siue etiam manifestorum, nec potuit, nec poterit perire contagio, nullas de quibuslibet hominibus calumnias formidamus. Si enim mali sunt, proculdubio eos aut ignorant boni, aut suis iudiciis manifestatos Ecclesiasticis legibus damnant: aut etiam si nouerunt eos, & non apud se accusatos, neque conuictos damnare non possunt, pro Ecclesiæ pace non solum irreprehensibiliter, verum etiam laudabiliter tolerant: nec se propter pisces malos ruptis Dominicis retibus, ante tempus litoris damnabiliter separant. Si enim hoc facere velint, exceptis diuinarum scripturarum innumerabilibus testimoniis, quibus ne faciant prohibentur: retinet eos certè quem testem adhibuisti, beatissimus* Cyprianus, *clamans atque contestans: Quia & si videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet, aut fides aut charitas nostra: vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus ipsi de Ecclesia recedamus. Non solum*

Causæ quas prætendunt hæretici suæ ab Rom. Ecclesia Apostasia.

Propter Zizania morum non deserenda Ecclesia.

Cypriani locus. lib. 3. epist. 3

lùm verbo, verum etiam exemplo suo vos admonens: qui collegas suos, fundos insidiosis fraudibus rapientes, vsuris multiplicantibus fœnus augentes, quorum avaritiam non leue aliquod vitium, sed esse Idololatriam, secundum Apostolum intellexit, pro vnitatis vinculo pertulit. Talis nec eorum contagio factus est, talis discessit ab eis dissimilitudine morum non diuisione Sacramentorum. Et immundum non tetigit: sed à factis eorum abhorrendo, non seorsum populos colligendo. *serm. de lapsis. lib 4 epist. 2. ad Antō.*

Et paulò post. *Denique quando aliena peccata vos pernerie deuitanda esse censuistis, alia vestra fecistis, sacrilegum schisma, populos diuidendo. & sacrilegam hæresim contra Dei manifestata promissa & impleta de Ecclesia toto orbe diffusa, nefario spiritu sentiendo.*

Quid igitur nunc restat, nisi vt quoscunque cuiuscunque sectæ homines ab Romana Ecclesia diuisos fidelissimè & seuerissimè cum Augustino admoneam & obsecrem, *Expergiscimini aliquando non vos tartareus obliget somnus, non in profundum sacrilegi erroris adhuc impia consuetudo demergat, iam consonate paci, cohærete vnitati, acquiescite charitati, cedite veritati, Ecclesiam Catholicam incipientem ab Hierusalem cognoscite vsquequaque diffundi; cui non communicat pars * Donati, cui causa præiudicat Cæciliani. Totiens enim purgatus, totiens absolutus, etiam si non esset innocens, nec causa causæ præiudicat nec persona personæ. Hæc verba per orbem terræ vniuersa personat Ecclesia, clamat etiam membrum illius in Aphrica. Testimonium Dei nouus, negotium Cæciliani non noui. Credo innocentem à vestris maioribus insectatum, quem lego totiens absolutum: sed qualiscunque sit causa eius, causa mea nihil præiudicat: qualiscunque sit persona eius, persona mea nihil præiudicat. Vos hoc dixistis, vos adhoc subscripsistis, nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ. Ecce Dominus dicit per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem: diuinam veritatem* *Conclusio per exhortat. ad hæreticos. lib. post collat cap. 18. * neq; pars Caluini aut Lutheri, &c. Collat. 3. diei cap. 16. Luc. 24.*

 in vna

in vna Ecclesia teneamus, & humanas lites aliquando finiamus.

CAPVT XIII.

Quarta pars libri confutatio obiectionum Donatistarum; quarum hoc capite prima soluitur.

ALiud autem euangelizat qui periisse dicit de cætero mundo Ecclesiã, & in parte Donati in sola Aphrica remansisse dicit. Ergo anathema sit, aut legat mihi hoc in scripturis sanctis, & non sit anathema. *Lego inquit. Nam Enoch vnus inter omnes homines placuit Deo, & translatus est. Postea toto mundo aquarum inundatio est deleto. Solus Noe cum coniuge, & filiis, & nuribus suis in arca meruit liberari. Adiungunt etiam de Loth, quòd solus cum filiabus de Sodomis liberatus sit. De ipso quoq; Abraham, Isaac, & Iacob, quod pauci fuerint Deo placentes, cæteri idolis dediti & dæmonibus. Postremo iam multiplicato populo Israel, iam temporibus regum in terra promissionis, quæ fuerat omnibus duodecim tribubus distributa, commemorat decem tribus diuisas, & traditas seruo Salomonis: duas autem remansisse filio Salomonis ad regnum quod erat Hierusalem. Sic & nunc inquiunt, totus mundus apostatauit, nos autem tanquam duæ illæ tribus in templo Dei, hoc est in Ecclesia remansimus. Dominum etiam Iesum Christum cum plurimi discipuli sequerentur,*

Genes 5.
Obiectio 1.
Genes. 7.
Genes. 29.
3. Reg. 11.
Vide hæreticam superbiam.

rentur, *septuaginta duobus apostatantibus, soli cum filio illo duodecim remanserunt.* His atque huiusmodi exemplis hæretici suam paucitatem commendare conantur, & in Sanctis Ecclesiæ multitudinem toto orbe diffusam blasphemare non cessant. Sed quæro ab eis, si quod absit, nollem credere vera esse ista quæ ab eis commemorantur exempla, vnde me conuincerent? Nonne de scripturis sanctis, vbi leguntur tanta manifestatione, vt quisquis illas literas in fidem recepit, non possit nisi & ista verissima confiteri: Porro si hæc exempla ideò cogerer credere vera esse quia ibi scripta sunt, vbi nõ possem dicere falsa esse quę scripta sunt, cur non & ipsi de Ecclesia toto orbe diffusa eisdem scripturis credunt? Ecce nos omnia illa credimus, credant & ipsi quod ait Dominus, *prædicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes incipiẽtibus ab Hierusalem.* Credant quòd ascensurus in cœlum nouissimè dixit: *Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudaa, & Samaria, & vsque in totam terram.* Et illa & ista vera esse credantur, & nulla inter nos contentio remanebit, quia nec illis veris ista, nec istis veris illa impediuntur. *Et ista, inquiunt, credimus, & completa esse confitemur, sed postea orbis terrarum apostatauit, & sola remansit Donati communio.* Hoc nobis legunt, sicut legunt de Enoch,

Responsio.

Luc. 24.

Act. 1.

Instantia.

O superbiá.

de Noë, & de Abraham, Isaac, & Iacob, & de illis duabus tribubus, quæ decem separatis reliquæ factæ sunt, & de duodecim Apostolis, qui cæteris apostatantibus remanserunt, & hoc similiter legant, & nihil resistimus. Si autem non ea de scripturis sanctis legunt, sed suis contentionibus persuadere conantur; *Credo illa quæ in scripturis sanctis leguntur, non credo ista quæ ab hæreticis vanis dicuntur.* Sed quia se duabus illis tribubus, quæ cum Solomonis filio remanserunt cōparandos putant, legant & eos hoc legisse pœnitebit. Sic enim commemorantur in scripturis ipsi duo populi, pars q̃ erat ab Hierusalem, Iuda nominatur: illa verò alia quæ cum seruo Salomonis in ampliore numero segregata est, Israel vocatur. Legant q̃ dicant Prophetæ de vtrisq;, quemadmodum peiorem dicant Iudam quàm Israël, ita vt *iustificata* dicant *aduersatricem Israel peccatis prauaricatricis Iuda,* id est, tam grauia esse peccata huius, vt in eius comparatione illa iusta dicenda sit. Nec huius tamen nec illius peccata obfuerunt aliquid iustis qui & hîc, & illic fuisse inueniuntur. Nam & in illa parte, quam pro exemplo perditionis ponunt, id est, in Israel, fuerunt sancti Prophetæ. Ibi erant ille memorabilis *Helias*, vt de aliis taceam, cui etiam dictum est, *Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.* Ideo nequaquam pars illa populi, tanquam hæresis fuis-

Ezech. 16.

Iuda peior Israële.

Helias in regno Israel.

3. Reg. 11.

Secessio Israelis a Regno Iuda nequaquã schismatica fuit.

ſis fuiſſe deputanda eſt. Deus enim easdem tribus iuſſerat ſeparari, non vt religio, ſed vt regnum diuideretur, & hoc modo vindicaretur in regnum Iuda. *Deus autem nunquam iubet ſchiſma vel hæreſim fieri*: Neque enim quia & in orbe terrarum plerumque regna diuiduntur, ideò & Chriſtiana vnitas diuiditur, cum in vtraque parte Catholica inueniatur Eccleſia. Hoc ideo de Iuda & Iſraël commemorandũ arbitratus ſum, maximè vt admoneantur iſti, non obeſſe iuſtis in medio impiorum cõſtitutis, quicquid in ipſos populos propter impiorum multitudinem dicitur: vt deſinant colligere teſtimonia, quæcunque ſiue per Prophetas, ſiue per os Domini, ſiue per Euangeliſtas in Zizaniam, vel paleam orbis terrarum dicta inueniuntur. Plerunque enim ſermo diuinus impias turbas Eccleſiæ, quæ nec in Eccleſia deputantur, tamẽ propter Sacramenta, quæ cum ſanctis communiter habent, quia in eis eſt quædã forma pietatis, cuius virtutem negant: ſic ait Apoſtolus: *Habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes*: ſic redarguit tanquam omnes tales ſint, & nullus bonus omnino remanſerit. Inde quippe admonemur in ſuo quodam numero eos dici omnes, id eſt, omnes filios gehennæ, quò eos Deus pertinere præſciuit. Iſti ergo vel imperitè vel fallaciter agentes, colligunt de ſcripturis talia, q̃ vel malos bonis vſq; in finẽ

Quomodo intelligenda ſint Prophetica increpationes quæ in totã interdum multitudinem dicuntur.

2. Tim. 3.

Omnes.

Respondet Augustinus primum à pari: Si hisce exemplis paucitatis credi à nobis volunt, quia ex scripturis deprompta sunt: Quin & nostris testimoniis multitudinis eodem ex penu depromptis fidem adhibent ipsi?

Deinde antequã reliquas reales responsiones addat, *instantiam* Donatistarum subnectit: quæ etiã hodie nostrorum sectariorum est. Credimus inquiunt ista vaticinia, de sono Apostolorum exituro in omnem terram, & completa esse confitemur: sed postea orbis terrarum Apostatauit, & sola remansit Donati aut Hussi, aut Lutheri communio. *Instantia*

Responsio. Ista vanorum hæreticorum criminatio est, non scripturæ vox. Probent nobis ex scripturis istam orbis terrarum Apostasiam, & non resistemus. Nam quod nostri opponunt illud 2. *Thessalon.* 2. *nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati*, &c. Sciendum est, discessionis nomine vel intelligi ipsum Antichristum, vt Chrysostomus, Theodoretus, Oecomenius Theophylactus & Augustinus, lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 19. exponunt, quem volunt appellatum discessionem, tum per Metonymiam, quia multis causæ erit recedendi à Deo; Tum etiam per excellentiam quandam: Erit enim tam insignis Apostata, vt Apostasia ipsa dici possit: Vel defectionem à Romano Imperio, antequam Antichristus non veniet: vt Ambrosius, Sedulius & Primasius exponunt: vel denique discessionem ab Ecclesia, non quidem multorum seculorum, sed quãdam maximam & singularem, quæ solum erit in illo breuissimo tẽpore quo Antichristus regnabit, quo omnes prorsus qui inuenientur in Ecclesia occulti hæretici ab Ecclesia discedent & Antichristo se adiungent. Vide Augustinũ lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 19. Quod igitur liberè hæretici nostri confitentur, se ab Romana Ecclesia defecisse: quemadmodum supra ad Tertullianum cap. 30. annotauimus, sciant se potius Pauli verbis constringi, & parturienti Antichristo viam sternere.

Locus 2. Thessal. 2: discutitur. Bellar. lib. 3. de Romano Pontif. cap. 2. & lib. 3. de Eccles. militan. ca. 16

Tertiò

Regnum duarũ tribuum.

Tertiò respondet Augustinus ad Exemplum regni duarum tribuum. 1. per βίαιον: Ezechielis 16. dici iustificatam aduersatriecem Israël peccatis præuaricatricis Iuda: Ergo si se duabus tribubus comparant, longe peiores sunt nobis. 2. Ibidem boni malis commixti fuerunt, nec *Elias* à populo defectore defecit. 3. Ista regni scissio non signum hæreseos vel schismatis fuit, sed separatio imperiorum: quemadmodum nunc quoque in orbe Christiano limites Regum & Principum non fide, sed dominio & proprietate distincti sunt.

Regula intelligendi scripturas.

Quartò responsionem generalem ponit ad omnes scripturas, quibus vniuersales quasi reprehensiones omnium Ecclesiæ membrorum continentur: habere scilicet Spiritum sanctum hunc morem, vt interdum reprehendat vniuersum populum, quasi nemo ibi sit bonus, cum tamen per multi sint boni, & econtrario interdum consolari omnes, quasi omnes sint boni, cum tamen constet, multos ibi esse malos. Quam eandem regulam inculcat lib. ad Donatistas post collat. cap. 20.

Respons. ad Obiect. hodie Vulgatam, de temporibus Eliæ.

Hæc de Augustino. Iam quia hodierni hæretici supra allata paucitatis exempla, & Eliæ inprimis historiam vehementius vrgent: *Philip.* in locis Comm. cap. de Eccles. *Caluinus* præfat. instit. *Danæus* Tom. 1. respons. p. 729. Obseruandum est: neque verum esse antecedens argumenti ipsorum: tempore videlicet Eliæ Ecclesiam inuisibilem factam, vel in solo Elia, Elisæo & paucis Sacerdotibus remansisse: Neque bonam consequentiam.

3. Reg. 19.

Nam cum Elias dicit, *relictus sum ego solus*, non loquitur de omni populo Iudæorum, sed solum de illa parte, quæ subiecta erat Regi Samariæ. Constat enim ex eodem libro 3. Regum, tempore Heliæ regnasse in Hierusalem Asa, & post eum Iosaphat optimos Reges: & sub ipsis fuisse in Hierusalem populum & Sacerdotes manifestissimè in vera religione persistentes. Vnde Dominus cum ait: *relinqui*

Bellar. lib 3. de Eccles. militan. cap 16.

reliqui mihi septem millia virorum, addidit in Israel. Israel enim tunc dicebantur ii, qui erant sub Rege Samariæ, sicut ii qui erant sub Rege Hierusalem, dicebantur Iudæ. *Deinde* consequentia mala decipiuntur, qui ignorant diuersam esse rationem Iudæorum & Christianorum. Ista enim non erat vniuersalis Ecclesia, extra quam etiam fideles & iusti inueniebantur, vt Melchisedech, Iob, & postea Cornelius Centurio, & Eunuchus Candacis Reginæ. Itaque etiamsi vniuersa Synagoga Iudæorum defecisset, non continuò omnis Ecclesia Dei in terris defecisset. At Christiana Ecclesia Catholica est, quæ si deficiat, omnis populus Dei deficit. Rectè igitur hoc loco Augustinus adiecit, distinguenda ea, quæ *de vastatione prioris populi Iudaeorum dicta repersuntur.* Et lib. ad Donatistas post collationem cap. 7. *non intelligentes* inquit, *diuina testimonia secum pugnare cogebant: nec vtrasq; voces Dei pro diuersitate temporum, causarum, personarumq; distinguentes in concordiam redigebant, sed sicut contra nos, ita etiam volebant inter se ipsa diuina documenta pugnare.* Nec *mirum, si pacem scriptura Dei non intelligebant, qui pacem cum eius Ecclesia non habebant.*

De *Enoche* peculiarem responsionem ponit Augustin. Epist. 48. ad Vincentiũ: *Vides quàm longè sis adhuc a iustitia: prorsus donec ad septē remaneas, quibus tu sis octauus, iustum te esse non dicimus: si tamen non istam iustitiam, sicut dicebam, præripuit aliquis ante partem Donati, & cum suis septem iusta aliqua causa commotus, se longè alibi separauit, & à mundi huius diluuio liberauit.* *Respons. ad Exemplũ Enoch.*

CAPVT XIV.

Secundæ & tertiæ Obiectionis solutio.

HAbemus innumerabilia testimonia, & de commixtione malorum cum bonis *Malos in Ecclesia bonis esse permixtos.*

Malos in Ecclesia bonis esse permixtos. *Obiectio 2.* bonis in eadẽ cõmunione Sacramenti: sicut Iudas ab initio malus inter bonos vndecim cõuersatus est: & de bonorum paucitate, propter malorũ pluriũ comparatione, & rursus de bonorũ multitudine, p se ipsam cõsiderata. Ex quibus, ne longũ faciam, pauca cõmemoro. Est in *Canticis Canticorum*, quod de sancta Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: *Sicut lilium in* *Cant. 2.* *medio spinarũ: ita proxima mea in medio filiarũ:* vnde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum. Et easdẽ vndè filias, nisi propter communionẽ Sacramẽtorũ? Videt etiã *Ezechiel* signatos quosdã, ne cum malis *Ezech. 9.* pariter interirẽt, de quibus dicitur: *Qui gemũt, & mœrent peccata & iniquitates populi mei, quæ fiũt in medio eorũ.* Populũ suum non diceret, quẽ solis illis illæsis perire mox iubet, nisi eũ populũ, qui eius Sacramẽta gestabat. Dicit & Dominus de superseminatis *Matth. 13.* zizaniis *sinite vtraq; crescere, vsq; ad messem*, id est, triticũ & zizania. Et ipse interpretatur *messem, finẽ esse seculi, agrũ verò*, vbi vtrũq; seminatũ est, mundum esse. Oportet itaq; vsq; in finẽ seculi crescere vtrũq; per mundũ, vnde iã non permittuntur isti suspicari, aut asserere quod dicũt omnes bonos defecisse de mũdo, vt in sola parte Donati remanerẽt. Conãtur enim contra certissimã sentẽtiã Domini dicẽtis, *Ager est hic mundus: & sinite vtraq; crescere vsq; ad messem:* &, *messis est finis seculi.* Est alia similitudo apertissima de commistione malorũ &

bonorũ intra eandẽ Sacramentorũ comunionẽ & connexionẽ, quã Dominus ipse & ponit, & exponit, *simile est*, inquit, *regnũ cælorũ sagenæ missæ in mari, quæ cõgregat omnia genera piscitũ. Cum antẽ esset impleta, eduxerunt eã ad litus, & sedentes elegerunt optimos in vasa sua, malos autẽ foras miserunt: sic erit in cõsummatione seculi, Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittẽt eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.* Nulla ergo malorum commixtio terret bonos, vt propterea velint tanquam retia rumpere, & à congregatione vnitatis exire, ne homines nõ pertinentes ad regnũ cœlorũ in Sacramentorũ consortio patiantur, quãdoquidẽ cũ ad littus, id est, ad finem seculi ventum fuerit, fiet debita separatio, nõ humana temeritate, sed diuino iudicio. De paucitate autem bonorum ipse Dominus apertissimè dicit, *Intrate per angustam portã. Quoniã lata & spaciosa via quæ ducit ad interitũ, & multi sunt qui pergunt per illã. Quã angusta porta, & arcta via quæ ducit ad vitã, & pauci sunt qui ingrediuntur illã.* Istos paucos Donatistæ, se putãt esse, & ideo dicũt perisse orbẽ terrarũ, se autẽ in hac paucitate, quã laudauit Dominus, remansisse. Qui quãdo cõparãtur cũ eis, longè pauciores Rogatistas, aut Maximianistas obiicim⁹ qui se ab eis separauerunt, si existimãt sibi de paucitate esse gloriandum. Veruntamen hanc paucitatem in comparatione multitudinis malorum, esse à Domino

Matth. 7.

Boni & electi quomodo nunc pauci nunc multi esse dicantur.

Obiectio 3.

Cõtra paucitatem.

commendatam, multitudinem autem bonorum, cum per se ipsa consideratur, non tacuisse scripturas, legant & videant quá plura testimonia reperiantur. Vnde enim

Genes. 15. ipsum *semen Abrahæ, sicut stella cœli, & sicut arena maris*, promittitur, nisi propter innumeram multitudinem? Cum dicat A-

Rom. 9. postolus ideò dictum esse, *In Isaac vocabitur tibi semen: quia non filii carnis, sed filii promissionis deputantur in semine? Vnde mihi*

Esai. 5. Matth. 8. *filii desertæ, magis quam eius quæ habet virum?* Vnde *multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum, filii autem regni ibunt in tenebras exteriores:* hoc est, im-

Tit. 2. pii Iudæi? Vnde dicit Apostolus, vt *mundaret nos sibi populum abundantem æmulatorem bonorum operum?* Vnde Apocalypsis

Apoc. 5. *milia milium dicit esse sanctorum Ecclesiæ filiorum?* Ecce ipsi dicuntur multi, qui dicuntur & pauci. Quare, nisi multi per se ipsos considerati: pauci, in comparatione iniquorum.

ANALYSIS CAP. XIV.

Obiectio 2 ALTERA Obiectio sumpta est à multitudine malorum, quibus passim Ecclesia tanquam ager zizaniis obsitus est. Vnde consequens volebant esse Donatistæ, cúm Ecclesia regnum sit Dei, qui sanctus est, & *odit omnes fornicantes abs se*: tam fæculentum Catholicorum cœtum Ecclesiam esse non posse. Vide *collat. 3. diei* cap. 8. & alibi passim.

Respondet

Respondet Augustin. à contrario: Immò innumerabilibus testimoniis docemur, Ecclesiam esse congregationem bonorum & malorum eorundē Sacramentorum communione connexorum. Idq; probat *primum* exemplō Iudæ inter Apostolos. *Deinde* dicto *Cant.* 2. *Ezech.* 9. *Matth.* 13 de zizaniis & tritico. Item de Sagena missa in mari. Confer *lib.* 1. *contra Epistolā Parmen cap.* 14. *& lib.* 2. *cap.* 2. *& 3 & lib.* 3. *cap.* 2. *Item lib* 2 *contra Cresconium cap* 34. *& 38 & lib.* 2. *contra Gaudentiū cap* 3. 4. 5. 6. 9. 13. *Et lib post collat. ad Donatistas cap.* 6. *&* 19. *In Ecclesia semper bonis admixti mali.*

TERTIA Obiectio ex Matth. 7. *Intrate per portam angustam per quam ingrediuntur pauci.* Ergo neutiquam à multitudine pendet Ecclesia. *Obiectio 3.*

Responsio: si paucitate certandum est, pauciores Donatistis sunt Rogatistæ ac Maximianistæ: quemadmodum hodie *Lutheranis* ac *Caluinistis* pauciores sunt *Anabaptistæ*: Anabaptistis pauciores *Arriani*: Arrianis pauciores *Schuuenckfeldiani*. Deinde paucitas ista de vita accipienda; non de fide, quæ necessario toto orbe disseminanda est in testimonium gentibus. Itaque omnino pauci Christiani & multi: Pauci rectitudine vitæ; multi cōmunione omnium Gentium. *Neque alterum horum est verum, alterum falsum. Cum sit vtrumq; diuina veritate prolatum, nisi quia iidem ipsi boni verìq; Christiani, qui per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum, falsorumq; iidem pauci sunt. Sic multa grana quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* *Cōtra paucitatem hæreticorum.* *Christiani quomodo pauci & multi.* *August in. li.* 3. *contra Cresco. Gram c.* 66 *Confer* 2. *Petil.* 45.

CAPVT XV.

Quarta & quinta Obiectio soluitur.

DE nobis, inquiunt, dictum est, *Erunt primi, qui erant nouissimi. Ad Aphri-*

cã enim post modũ Euãgeliũ venit, & ideò nusquã literarũ Apostolicarũ scriptũ est, Aphricã credidisse. De Orientalibus autẽ & cæteris gẽtibus, quæ in sanctis libris commemorantur fidẽ recepisse Christianã dictũ est. Erunt nouissimi qui erant primi, quia recessuri erant à fide.

Matth. 20.
Obiectio 4.

Responsio. Nonne ista est hæreticorũ cauenda calliditas, volentium conuertere verba Dei à veritate, propter quã dicta sunt, ad peruersitatem, in qua ipsi sunt? Cur enim hoc non potius de Iudæis intelligimus, qui nouissimi facti sunt cum fuissent primi, & de Christianis ex gentibus, qui primi facti sunt cũ fuissent nouissimi? Quem intellectum si aliquo certiore documento probare non possem, sufficere debuit bene iudicanti auditori, quòd inuenerim exitum in his verbis, vndè istos appareat nihil pro se attulisse tanquã certũ, vt dubitari non possit: quia etsi non essent Iudæi, & gentes, de quibus hoc dictum intelligerem; nonnullæ etiam barbaræ nationes post Aphricam crediderunt, vnde certum sit Aphricam in ordine credendi non esse nouissimam. Huc accedit quod ipse Dominus de quibus hoc dixisset exposuit; & ora calumniatorum oppilauit. Loquens enim Iudæis, qui ei dicturi sunt, In plateis nostris docuisti: *Cum videritis*, inquit, *Abrahã, Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autẽ expelli forâs: & veniẽt ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei: & ecce sunt nouissimi, qui erãt primi, &*

Aphrica in ordine credendi nouissima nõ est.

Luc. 13.

sunt primi, qui erãt nouissimi. Hîc certè quid cõtradicatur, nõ inuenitur. Itẽ dicũt de Apostasiã orbis terrarũ dictũ esse, ꝙ ait Dominus, *filius hominis veniens putas inueniet fidẽ in terra?* Quod nos intelligimus dictũ vel propter ipsam fidei perfectionẽ, quæ ita difficilis est in hominibus, vt in ipsis quoq; admirabilibus sanctis, sicut in ipso Moyse, inueniatur aliquid, vbi trepidauerint, vel trepidare potuerint: vel propter illam iniquorũ abundantiã, & paucitatẽ bonorũ, de qua satis diximus. Propterea enim tanquã dubitans hoc Dominus dixit. Neq; enim ait, veniens filius hominis non inueniet fidẽ in terra: sed, *putas inueniet fidẽ in terra?* Cui vtiq; cuncta scienti & præscienti de aliqua re dubitare nõ cõuenit, sed *illius dubitatio nostram dubitationem figurauit:* quia propter multa scandala circa finem seculi pullulantia hoc quoq; erat quãdoq; infirmitas humana dictura. Vnde in Psalmis dicitur, *dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis.* Quare dormitauit anima mea præ tædio, nisi propter illud quod Dominus ait, quoniam *abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum?* Et quare cõfirma me in verbis tuis, nisi ꝓpter id quod seqtur, *qui autẽ perseuerauerit vsq; in finẽ, hic saluus erit?* sunt ergo per totum mundum, in quibus, quoniam abundat iniquitas, refrigescet charitas multorũ: Et sunt rursus per totum mundũ, qui perseuerando vsq;

Obiectio 5. Luc. 18.

Exod. 20.

Dubitatio Christi dubitat. nostram figurat.

Psal. 118.

Matth. 24.

in finem salui erunt: quia, *Sinite*, inquit *crescere vtraq; vsque ad messem: & messis est finis seculi, ager autem mundus*, cuius humanæ infirmitatis est etiam vox illa, *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates, à filiis hominum.* Et inter hos tamen est vnum cor, & vna in Deum anima fidelium clamans, *Saluum me fac Domine*, quia enim

Psalm. 11. sic vnus est iste homo, qui dicit, saluum me fac Domine, vt ex multis constet, paulo post in eodem Psalmo dicitur *propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Et rursus post paululum plurali numero dicitur, *tu vero seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum.* Qua generatione nisi de qua superius dictum est, *defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum?* Sed vtrumque hoc genus per totum mundum vsque in finem, quia *sinite*, inquit, *vtraque crescere vsque ad messem: & ager est mundus, messis finis seculi.* Ipse enim vnus homo,

Christi corpus ex multis constās, vnus homo dicitur. quod est corpus Christi ex multis constans, tanquam *Enoch* Deo placens transfertur, & tanquam *Loth* de Sodomis, & tanquam *Noe* de diluuio liberabitur. In ipso est mi-

Gen. 5 & 7. seria inopum & gemitus pauperum, quia eius anima dormitat à tędio, cum se petit confirmari in verbis Dei. In eo autem Psal-

Psal. 118. mo dicit, vnde sit ipsum tædium: *tædium* inquit *detinuit me à peccatoribus relinquentibus*

tibus legẽ tuã. Ipſe item clamat, cũ eodẽ tædio cor eius angitur: ſed videant vnde clamat, *A finibus terræ*, inquit, *ad te clamaui, dũ angeretur cor meũ.* Ipſe perſecutionẽ vere pro iuſtitia patitur, nõ ſolũ ſi tormentis corporalibus patiatur: hoc enim nõ ſemp, ſed quod ſemper quãdiu trãſeat iniquitas, patitur cruciatus videlicet cordis, cũ eum tædium detinet à peccatoribus relinquentibus legẽ Dei. Neq; enim nullã perſecutionẽ *Loth in Sodomis* patiebatur, vbi tamẽ ei habitanti nullus per corporales pœnas moleſtus fuit, ſed aſpectu & auditu iuſtus inhabitãs animã iuſtã iniquis aliorũ factionibus cruciabat. De hoc dicit Apoſtolus, ſed & *omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutioẽ patientur.* De illis autẽ qui relinquunt legẽ Dei, de quibus dicit idẽ ipſum corpus Chriſti, *vidi inſenſatos & tabeſcebã. Mali* inquit, *& facinoroſi proficient in peius, ipſi errantes, & alios in errorem mittentes.* Sed vtrũq; hoc genus per totũ mundũ vſque in finẽ, quia *ſinite*, inquit, *vtraq; creſcere vſq; ad meſſem, ager autẽ eſt mũdus, meſſis finis ſeculi.* Veruntamẽ iſtos miror nõ attendere quid dicant, cũ velut pro ſe comemorant, quod ait Dominus, *Filius hominis vẽniens putas inueniet fidẽ in terra?* quaſi Aphrica non ſit terra. Si enim hoc ita dixit, tanquã omnino in nullis inuenturus fidem, aut de quadam terra dixit, & incertũ eſt de qua dixerit, aut de tota terra dixit, & non inueniunt, quo-

Perſecutio ſpir tualis. Confer lib. 1 contra Gaudent. cap. 21.

Geneſ. 19.

2. Pet. 2.

2. Tim. 3.

Pſal. 118.

Matth. 13.

Luc. 18.

Quaſi Germania vel Anglia non ſit terra.

modo de Aphrica non dixerit: sanè videant, ne forte consequētibus verbis tales tetigerit quales isti sunt. Cū enim dixisset *filius hominis putas inueniet fidē in terra*: credo quia poterat quibusdā supbis hæreticis, qui in aliqua parte terrarū se ab orbis vnitate separauerunt, ascēdere in cor vana & inflata cogitatio, quod ipsi essent iusti, deficientibus & pereuntibus à fide cæteris gentibus, per quas Ecclesiæ communio dilatatur: continuò sequutus Euangelista, *Dixit autem*, inquit, *ad quosdam qui sibi iusti videbantur, & spernebant cæteros, similitudinē istam*. Et sequitur de illis duobus in templo orantibus, Pharisæo & Publicano: in quibus duobus figuratur superba gloriatio bonorum operum, & humilis confessio peccatorum. Desinant ergo isti, si respondere huic Epistolæ parant, ea testimonia commemorare, quæ nos cū ipsis commemoramus, vel in perditionem Iudæorum, vel in zizania, siue paleam, siue malos pisces totius mundi. Et sicut nos manifestissimis testimoniis asseruimus Ecclesiam toto orbe diffusam, sic & ipsi manifestū aliquid proferant, vnde ostendant esse prædictum, cæteris gentibus à fide Christi pereuntibus, solam Aphricam remansuram, & quocunque Episcopi ex Aphrica mitterentur.

Ibidem.

ANAL.

ANALYSIS CAP. XV.

QVARTA Obiectio ex *Matth. 20 Nouissimi erunt primi*: Ergo Afri in ordine credendi postremi, nunc gratia & veritate primi sunt. *Obiectio 4*

Respondet primò per ἐπίπληξιν, manifestã esse corruptelã verbi Dei, quod loquatur de Iudæis primis, & gentibus nouissimis. Atque hanc responsionẽ in fine probat ex contextu *Luc.* 13. *Deinde* neg. t Afros in ordine credẽdi postremos fuisse, cum multæ barbaræ nationes post illos crediderint. Quemadmodum nunc post Aquilonares Indi & Antipodes fidem susceperunt. *Afri non postremo crediderũt.*

QVINTA Obiectio ex *Luc.* 18. *Filius hominis cum venerit, putas, inueniet fidem in terra.* Ergò dubium non est, orbẽ à fide Apostaturum. *Obiectio 5.*

Respons. Non loquitur Dominus de fide simpliciter, sed de eximia quadam fide, quæ in Heroibus esse solet, vt Moyse & similibus: In quibus tamen trepidatio interdum aliqua intercurrit: Quomodo etiam *Hieronymus in Dialogo contra Lucifer.* interpretatur. Deinde possunt accipi verba Christi *comparatè* ad malorum abundantiam, quæ postremis temporibus tanta futura est, vt quasi omnis extincta fides videri possit. Sic *Theophylactus.* *Quomodo filius hominis non sit inuenturus fidẽ in terra.*

Tertiò Dominus dubitatiuè loquitur, non assertiuè: Et dubitatio ipsius omnia scientis, dubitationem nostrã figurauit, quæ non parum multitudine scandalorum excitari solet. Atque hanc responsionem confirmat collatione *Psalmi* 118. Ex quo ipso Psalmo Quartã elicit responsionẽ. Nullo modo omnes à Deo defecturos, quia Psaltes in persona Ecclesiæ (quod probat) dicat Deo, *confirma me in verbis tuis: Et Matth. 24. Qui perseuerauerit vsq; ad finem, saluus erit.* Item *Matth. 13.* Sinite crescere VTRAQVE VSQVE AD MESSEM. Si ergo mundus est ager, & messis est finis seculi: Et triticum cum zizaniis ad messem crescere debet: Item aliqui perseueraturi, & salutem adepturi sunt:

Falsum est *Donatisticum* & *Lutheranum* commentum, vel aliquando defecisse in mundo Ecclesiam, vel aliquando planè defecturam.

Quintò totam rem illustrat similitudine *Psalmi* 11. vbi dicitur, *defecisse omnes sanctos: & diminutas esse veritates à filiis hominum*: & tamen subditur votum: *Saluum me fac Domine*: quod non nisi Ecclesiæ esse potest.

Postremò retorquet argumentum in ipsos Donatistas. Si nusquam in terra inuenturus est fidem filius hominis, neque in Africa inueniet apud Donatistas, quæ vtique ipsa est terra. Atque hinc elicit reprehensionem superbiæ Donatisticæ, adhibita Parabola *Publicani* & *Pharisæi*: quam confestim superioribus verbis subiunxit *Lucas*.

CAPVT XVI

Obiectio sexta refutatur.

Cantic. 1. Vide infra cap. 19.

SCriptum est inquiunt, *in Canticis Canticorum*, sponsa, id est Ecclesia dicēte ad sponsum, *Annuncia mihi quē dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie?* Hoc est vnicū testimoniū quod pro se isti resonare arbitrantur, eo quòd *Aphrica in meridiana orbis parte* situs constituta. Vnde primum quæro, quomodo Christum interrogabat Ecclesia, vt annunciet ei, vbi sit Ecclesia; neq; enim duæ, sed vna est? Aut isti ostendant, quoniam non negant hæc verba Ecclesiam Christo dicere, quæ sit Ecclesia quæ interrogat, & quæ sit Ecclesia de qua interrogat. Quærit enim quò veniat ad spōsum suū, & dicit ei, *Annūcia mihi quē dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie?*

Adhuc

Adhuc enim iſta Eccleſia eſt quæ loquitur & quærit, vbi ſit Eccleſia in meridie. Neque enim interrogat vbi paſcis, vbi cubas, & ei reſpondetur in meridie: tanquam ſponſus reſpondeat, in meridie paſco, in meridie cubo, ſed omnia iſta verba ad interrogationem pertinent, *vbi paſcis, vbi cubas in meridie?* Adhuc enim ipſa dicit, *Ne fortè fiam ſicut operta ſuper greges ſodaliũ tuorum.* Iam verò ille reſpondet, *niſi cognoueris temetipſam, ô decora inter mulieres*, &c. Non ergo his verbis oſtenditur, in ſola parte meridiana eſſe Eccleſiam, ſed in aliis mundi partibus conſtitutá, interrogat fortaſſe quid ad eius communionem pertineat in meridie, id eſt, vbi ſponſus eius paſcat, & cubet in meridie, quia ſuos paſcit, & in ſuis cubat. Veniunt enim quædam membra eius, id eſt boni fideles ex partibus tranſmarinis in Aphricam, & cùm audierint hîc eſſe partem Donati, timentes ne incidant in manus alicuius Rebaptizatoris, inuocant Chriſtum orantes & dicentes, *Annuncia mihi quem dilexit anima mea, vbi paſcis, vbi cubas in meridie?* id eſt, qui habent charitatem, & non diuidunt vnitatem. Et vide quid adiungat. *Ne fortè fiam velut operta ſuper greges ſodalium tuorum*, id eſt, velut latens & incognita & non reuelata. Hoc eſt enim operta fiam, non ſuper gregem tuum, ſed ſuper greges ſodalium tuorum, qui, cùm primò tecum eſſent, extra colligere

voluerunt non tuum gregem, sed suos greges, nec audierunt te dicentem, *qui mecum non colligit, spargit*, nec quod Petro dixisti, *pasce oues meas*, non tuas. *Non est autem ista operta, quia non est sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Et de illa dictum est, Non potest ciuitas abscondi super montem constituta. Sed Donatistis velut operta est, qui audiũt tam lucida & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe demonstrant; & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere, qui cũ n esset lapis præcisus de monte sine manibus, creuit, & factus est mons ingens & impleuit vniuersam terram.* Potest & alio modo intelligi, vbi pascis, vbi cubas in meridie. Ipsius enim vox est in Psalmis ex persona Moysi famuli Dei. *Dexteram tuam notã fac mihi, & eruditos corde in sapientia.* In illis enim meridies dicitur, propter ingentem sapientiæ lucem, & ingentem charitatis ardorem. Vnde quendam cùm exhortaretur spiritus Dei ad bona opera per prophetam, hoc illi etiam promittit. *Et tenebræ tuæ sicut meridies erunt.* Sed si aliquis mundi locus intelligendus esset, quod dictum est *in meridie*, tamen ipsa verba, sicut dixi, quæ omnia vnam faciunt interrogationem, nullo modo permitterent quenquam ad suum sensum istã detorquere sententiam. Et si tanquam quærenti vbi pasceret, & vbi cubaret, de terreno loco responderetur, in meridie; non

Matth. 12. Ioan. 21.

Ecclesia nõ operta & inuisibilis.

Matth 5.

Daniel. 2.

Psal. 89.

Meridies in scripturis quid significet.

Esaia 58.

non continuò Aphricam accipere deberemus. *Aphrica enim in parte quidẽ meridiana mundi est, sed ad Aphricum, nõ ad Austrũ, vbi verò meridies est.* Ibi enim sol facit medium dié, sub qua cœli plaga potius Ægyptus inuenitur. Si ergo sponsus ab spõsa tanquam de loco familiarius dilecto, & cubili quodam secreto interrogatus, responderet, esse in meridie; multò probabilius Ecclesia Catholica in his membris suis hoc agnosceret, quæ sunt in Ægypto *in milibus seruorum Dei, qui per eremum sancta societate viuunt*, perfectionem præcepti Euangelici studentes tenere, quo dictum est, *vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni sequere me.* Quanto enim melius ibi secretius pascere & cubare, id est, requiescere filius Dei dici potest, quã in turbis inquietis furiosorũ *Circumcellionum*, quod malum Aphricę propriũ est. Nã de *Aegypto* ita Esaias ꝓphetat. *Illo die erit altare Domini in regione Aegyptiorũ, & titulus ad fines eorũ Domino, & erit in signũ in æternũ Domino in regione Aegyptiorũ. Quoniam clamabunt ad Dominum aduersus eos, qui eis pressurã faciebant, & mittet eis Dominus hominẽ, qui saluos eos faciet, iudicans seruabit eos. Et cognitus erit Dominus Aegyptiis. Et timebũt Aegyptii Dominum illo die, & faciẽt sacrificia, & vota promittent Domino, & reddent. Et feriet Dominus Aegyptios plaga, & sanabit eos sua misericordia, & cõuertentur*

Aphrica situs.

Monachi in Aegypti eremo sancta societate viuentes.

Matth. 19.

Studium omnimodæ paupertatis ad Euangelicam perfectionem pertinet.

Esaia 19.

tentur ad Dominum, & exaudiet eos, & sanabit eos. Quid ad hæc dicunt? Quare non communicant Ecclesiæ, quæ prædicta est, Ægyptiorum? Aut si præfiguratione prophetica *Ægyptus* mundum significat, Quare non communicant Ecclesiæ orbis terrarum? proinde perscrutentur scripturas, & cōtra tam multa testimonia. quibus ostēditur Ecclesia Christi toto orbe terrarum diffundi, vel vnum proferant, tam certum & tam manifestum, quàm illa sunt, quo demonstrent Ecclesiam Christi perisse de cæteris gentibus, & in sola Aphrica remansisse tanquam ab alio initio, non ab Hierusalem, sed à Carthagine, vbi primo Episcopum contra Episcopum leuauerunt: Si autem voluerimus intelligere *Donatum principem Tyri*, quia Tyrus Carthago cognominata est, quæ in eum per Ezechielem prophetantur, vbi eum maximè designat, quod ei dicitur, *ostēdam tibi quia homo es, & non Deus.* Isti enim de huius magis quàm de Dei nomine gloriantur. Et cùm solus Deus sine peccato sit, & sacerdos ille qui interpellat pro nobis, quia & de ipso dictum est. *Qui est super omnia Deus benedictus in secula*: isti Donati imitatores *ita sine peccato se volunt videri, vt etiam iustificatores hominum se asserant, & suum oleum, quod non sit oleum peccatoris* Meritò dicitur principi Tyri, Dixisti, Deus sum: es autem homo, non Deus, cui etiam dicitur, *Nunquid tu melior quàm Daniel?*

Imitatus est Optatū lib. 3.

Ezechiel. 28.

Rom. 9.

Confer 2. Crescon. cap 23.

Psal. 140.

Donatistæ aliorū iustificatores videri voluerunt.

Daniel? Confitetur enim Daniel peccata Dan. 9. 20.
sua, & peccata populi sui: Isti autem pertinentes ad principem Tyri, ideò se dicunt orantes audiri pro peccatis populi, quia ipsi sine peccato sunt. Meritò dicitur principi Tyri: Nunquid tu melior quàm Daniel? Ecce non possumus inuenire aliquid proprium, & hoc malum maximum à capite Aphricæ, id est Carthagine exortum. Norunt enim homines quàm congruenter *Tyrus pro Carthagine* accipitur, & tamen non agimus talibus. Fortassis enim aliquid aliud significet Tyrus, quanto magis meridies, cum & ipsa verba ad alium cogant intellectum? Sed quamuis non permittantur saltem, quærere aliquid quæ probent esse prædictum, deficientibus à fide Christiana cæteris gentibus, in sola Aphrica Ecclesiam remansuram: attendant illud quod sæpè commemoraui. *Sinite vtraque crescere* Matth. 13.
vsque ad messem, & agrum esse mundum, messem finem seculi, non nobis sed ipso Domino interpretante parabolam suam. Est aliud euidentissimum, quod eis omninò auferat laborem quærendi vnde probent, Ecclesiam mundo perdito ad solos Aphros redactam. Potest enim aliquid esse, & non inueniri, non esse autem, & inueniri non potest. Desinant ergò quærere quod inuenire non poterunt; non quia occultum est, sed quia non est. *Sunt enim adhuc nonnullæ gentes, in quibus nondum est Euangelium prædicatum.*

Nondum omnibus prædicatū Euangelium.

catum. necesse est autem impleri omnia, quæ de Christo & Ecclesia prædicta sunt. Oportet ergo & in eis prædicari. Quod cùm impletum fuerit, tunc erit finis.

ANALYSIS CAP. XVI.

Obiect. 6. SEXTA Obiectio, Donatistis frequentissima ex *Cant. 1. Vbi pascis, Vbi cubas in meridie.* Atqui Africa est meridiana. Ergo nobiscum pascit & cubat Christus.

Respondet August. primò ab absurdo: Si in Africa est vniuersa Ecclesia, quomodo vniuersa Ecclesia querit de vniuersa Ecclesia, id est eadē de se ipsa: & quidem tam angusto tamque noto loco?

Deinde fallacia est diuisionis. Illud enim IN MERIDIE non pertinet ad responsionem Christi, qui ibi se pascere aut cubare profiteatur: Sed ad quæstionem: quod probat ex sequentibus verbis, quæ itidem adhuc cum præcedentibus cohærent, hoc modo: *Vbi pascis, Vbi cubas in meridie, ne fortè fiam sicut operta super greges Sodalium tuorum.* Tum demum sequitur responsio: *nisi cognoueris temet-ipsam*, &c.

Tertiò reddit verum sensum: quæstionem quasi esse particularium Ecclesiarum extra Africam: quæ, cùm scirent hæresibus Africam infectam, ne fortè eò venturæ in luporum manus inciderent, quærunt: vbi ad plagam meridionalem sana adhuc prata Christi supersint, &c.

Quartò addit aliam interpretationem: Meridiem posse accipi figuratè, de ingenti luce sapientiæ, & charitatis ardore: Quod probat comparatione loci, Esaiæ 58. *Tenebræ tuæ erunt meridies.*

Quintò repetit responsionem alteram de praua distinctione, & simul etiam *negat assumptum.* Afri-

Africam meridiem esse, cùm potius ad Aphricum sit, quàm ad Austrum, vbi sol medium diem facit: Ast Aegyptus verè ad meridiem est (inquit) non vulgaribus tantum Christianorum Ecclesiis, sed exemplaribus etiam perfectionis *Eremitis* clara. *Quorum pietas & continentia tanta fuit, vt etiam nonnullis res humanas plus quam oporteret deseruisse videreutur:* quemadmodum alibi scribit August. *lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31. Illa summa continentia hominum Christianorum multitudo* inquit *per totum tunc orbem indies magis magisq; diffunditur, in oriente maximè atque in Aegypto: Vbi secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhaeserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest.*

Africa situs.

Aegyptus.

Eremitæ perfectionis studiosi.

Cùm igitur hi *Anachoretæ* tam excellens atque admirandum fastigium sanctitatis in Aegypto tenerent: iniquum videbatur Augustino, Africanos latrones, & furibundos Bachi satellites Circumcelliones in Ecclesiæ illis censu præponi. Itaque pro Aegypto allegat disertam *Esaiæ* Prophetiam *cap 19.* vbi elegans de eius ad Deum conuersione vaticinium extat. *Circumcelliones* autem quales fuerint, quàm truculenti & impii, è diuerso ostendit, & nos aliquanto plenius in fine capitis.

SEXTO ad retundendam intolerandam Donatistarum superbiam, contrarium illis vaticinium applicat *Ezechielis 28. Ostendam tibi quia homo es & non Deus.* Etenim Donatistæ adeò videri volebant ἀναμάρτητοι, vt & aliorum *iustificatores* se iactarent (*hic & Epistol 50. ad Bonifacium sæpius.*) præterea *Donatum* Magistrum suum magnis partim laudibus tanquam *Ecclesiæ Carthaginensis ornamentum, & Martyrialis gloriæ virum celebrabant, libr. post collat. cap. 16.* partim *figmenti instar*

Donatistarum superbia, qui se aliorum iustificatores iactabant.

lutei

lutei ad Samaritanorum morem propemodum *colebant. contra Fulgent cap 2.* Itaque meritò torquet in eos August. Ezechielem clamantem, *ostendam tibi quia homo es & non Deus*: qui solus nempe sine macula est, & impios iustificat.

Postremò. His ita propositis & inculcatis, nouo argumento totā Donatistarū causam oppugnat & refellit *Quod non est, inueniri non potest, nec propterea quæri debet. Atqui Ecclesiam toto orbe defecisse, & in solis Afris remansisse non est seu falsum est, vt hactenus ostensum. Ergo de eo frustra disputant & quærunt Donatistæ*, &c.

Alia responsio ad situm Africa.

Atq; hæc de præsenti capite cum quo cōferat lector quæ August. infra respondet cap. 19. & *Episto. 48. ad Vincent. Si hoc loco* inquit *meridies Africa intelligenda est in parte Donati, quæ sub cœli feruentiori plaga est, omnes vos Maximianistæ superabunt, quorum Schisma in Byzantio, & in Tripoli exarsit. Sed confligant cū eis Arzuges, & hoc magis ad se pertinere contendant. Mauritania tamē Cæsariensis, occidentali quam meridianæ parti vicinior: quando nec Africam se vult dici, quomodo de meridie gloriabitur, no dico aduersus orbem terrarū sed aduersus ipsam partem Donati, vnde pars Rogati breuissimum frustum de frusto maiore præcisum est. Quis autem non impudentissimè nitatur aliquid in Allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?*

Frustum de maiore frusto.

De Circucellionibus.

Iam de CIRCVMCELLIONIBVS quia frequens mentio apud Augustinum, placet in gratiam lectorum adiicere paucula, quæ hinc inde apud Augustinum de hoc hominum genere commemorata reperimus *Libro primo* contra Epistolam Parmeniani cap. 11. hæc extant: *Sed hæc non tam multa sunt, quam multa quotidie agunt per furiosos ebriosorum iuuenum greges, qui principes constituunt quiprimum tantum modo fustibus, nunc etiam ferro se armare cœperunt, qui Circumcellionum notissimo nomine per totam Africam vagantur, & sæua cotra omnem ordi-*

ordinem legum potestatumq; committunt: Quorum scelera cum ad eos deferuntur, fingunt se ignorare tale hominum genus, vel omnino ad se non pertinere, contra omnes homines ore impudentissimo affirmant.

Ibidem lib. 2. cap. 3. *Veruntamen isti qui hac catholicis obiiciunt: Cur non se se respiciunt, quorum caterua gregum furiosorum huc atque illuc armata ferro ac fustibus volitant: & tam crebris vbi potuerint stragibus, nequaquam tamen tanta immanitate satiantur, vbi per busta cadauerum eorum cum fœminis, qua cum illis passim commixta contra ordinem rerum diuinarum & humanarum die' ui ac noctibus euagantur, tanta feruet ebrietas, vt inde insaniam quotidianam, non solum alios infestandi, sed etiam seipsos pracipitandi concipiant? Horum pedes ad malum non currunt, nec veloces sunt ad effundendum sanguinem?*

Et lib. ad Donatistas post collat. cap. 17. *Nam quanta mala nostris fecerint, furiosissimi clerici & Circumcelliones partis Donati, nostis & vos. Incensa sunt Ecclesia, missi in flammas codices sancti, incensa etiam priuata domus, rapti homines de sedibus suis, & omnibus qua inerant ablatis aut perditis, ipsi casi, laniati, excacati Nec ab homicidio potuit temperari, quamuis sit mitius huic luci morientem, quam istam auferre viuenti.* *Facinora Circumcellionum in Catholicos.*

Item lib. 1. contra Gaudentium cap. 22. *Si catholicorum domus Donatista nō diripuissent, si catholicas Ecclesias non incendissent, si Catholicorū codices sanctos in ipsa incendia non misissent, si catholicorum corpora nō immanissimis cadibus afflixissent, si catholicorū membra non pracidissent, si oculos non extinxissent, si denique Catholicos non crudeliter occidissent: hanc solam nos à vobis grauissimam persecutionem perpeti verissimè diceremus, quia videmus nos insensatos, & tabescimus: quia infirmatos, & infirmamur: quia scandalizatos, & vrimur: quia perditos, & lugemus. Hac mala vestra qua vos in aternum interitum mittunt amarius nos persequuntur, quam illa* *Donatista suo interitu persecuti Ecclesiam.*

quæ à vobis nostris corporibus, vel rebus vel domibus aut basilicis inferuntur

Ibidem cap. 28. *Voueb.nt Pagani Iuuenes idolis suis, quis quot occideret: At isti gregatim hinc atque inde confluentes, tanquam in amph theatro a venatoribus more immanium bestiarum venabulis se opp. sitis ingerebant, furentes mo iei antur, putrescentes sepeliebantur, decipientes cole antur. Præter hæc sunt saxa immania, & montium horrida prærupta, voluntariorum creberrimis mortibus nobilitata vestrorum: aquis & ignibus rarius :d gebant, præcipitiis greges consumebantur ingentes. Aetatis nostræ hominibus res notissimas loquor. Quis enim nescit hoc genus hominum in horrendis facinori us inquietum, ab vtilibus operibus ociosum, crudelissimum in mortibus alienis, vilissimum in suis, maximè in agris territans, ab agris vacans, & victus sui causa cellas circumiens rusticanas, vnde & Circumcellionum nomen accepit, vniuerso mundo penè famosissimum Aphricani erroris opprobrium.*

Prodigiosa mortis cupiditas.

Circumcelliones vnde dicti.

Sed quid opus plura coaceruare? ne multi simus, *lib. 1. contra Gaudentium cap. 27.* tria mortis genera in homicidiis suis frequentasse dicuntur, aquam, ignem & præcipitium. *libr. 2. contra Epist. Petil. cap. 49.* Narrantur duo, laqueus & præcipitium. Quanquam *lib 1 con ra Gaudent. cap. 37.* Vitandæ similitudinis causa, ne Iudæ proditori similes censerentur, vel nunquam, vel difficillimè se laqueo necasse dicuntur.

Atq; hæc in semetipsos patrarunt maximè stulti isti Martyres. In alios quæ commiserint, vide *lib. 2. contra Epistolam Parmen c.p 3.* Vbi nulli vnquam suorum schismaticorum pepercisse dicuntur. Et *libr. 3. cap. 6* vbi *Saluio* Maximianistæ non solum multas plagas intulerunt, sed & ceruici eius mortuorum canum cadauera colligarunt, & postremò cum illo ad turpes voces cantationesque saltarunt. *Lib de Gestis cum Emerito* exercitus istorum, id est agmen Circumcellionum cuidam *Rogato*, quod Catho-

Crudelitas Circumcellionum in diuersos.

Catholicus factus esset, linguam & manus præcidit. Et in *breuiculo collationis*, Actis tertii diei cap. 11. calce & acero humanos oculos persecuti narrantur. Denique *Epist. 50 ad Bonifac. Maximianum Episcopum Catholicum, quoniam apud ordinarium iudicem dicta inter partes sententia, obtinuerat basilicam, quam illi, cum Catholica esset, inuaserant, stantem ad altare irruentes horrendo impetu & furore crudeli, fustibus & huiuscemodi telis, lignis denique eiusdem altaris effractis immaniter ceciderunt, pugione etiam percusserunt in inguine, quo vulnere sanguis effluens eum exanimem redderet, nisi ei ad vitam maior sæuitia eorum profuisset. Nam cùm grauiter sauciatum per terram insuper traherent, exundanti vena puluis obstrusus sanguine obtinuit, cuius effusione ibat in mortem. Deinde cùm ab eis tandem relictum nostri cum Psalmis auferre tentarent, illi ira ardentiore succensi, eum de portantium manibus abstulerunt malè mulctatis fugatisque Catholicis, quos ingenti multitudine superabant, & facile sæuiendo terrebant. Inde in quandam turrem leuatum, iam defecisse arbitrantes, cum ille adhuc viueret, abiecerunt. Sed quodam molli aggere exceptus & a quibusdam nocte transeuntibus per lucernam conspectus, agnitus atque collectus, & ad religiosam domum apportatus, adhibita magna cura post multos dies ab illa desperatione recreatus est*, &c.

CAPVT XVII.

Ἐπιμονὴ, *quæ Argumentum in fine superioris cap. allatum latius exponit & confirmat.*

QVomodo ergo isti dicunt iam esse completum quod Dominus ait, *prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionē peccatorū in omnes gentes incipiētibus ab Hierusalē,* Luca 20. 24

 sed

ſed poſtea cæteris deficientibus, ſolam Chriſto Aphricam remanſiſſe, cùm adhuc illud implendum ſit, nondum impletum: Cùm autem impletum fuerit, veniet finis. Sic enim Dominus ait: *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Quomodo ergo cùm adimpleta eſſet fides omnium gentium, tunc perditio gentiũ, excepta Aphrica, conſecuta eſt? Quandoquidem ipſa fides omniũ gentium nondum impleta eſt. Niſi fortè hoc reſtat hominum inſaniæ, vt dicãt non ex illis Eccleſiis, quæ fundatæ ſunt per Apoſtolorum labores, adimpleri prædicationem Euangelii in omnibus gentibus, ſed illis pereuntibus, earum reparationem ex Aphrica futuram per partem Donati, & reſiduarum gentium acquiſitionem. Puto quòd ipſi etiam rideant cùm hoc audiunt, & tamen niſi hoc dicant, quod erubeſcunt ſi dicant, non habent omnino quod dicant. Sed quid ad nos? Nemini inuidemus, legant nobis hoc de ſcripturis ſanctis, & credimus. Hoc inquã vobis ex Canone diuinorum librorum legant, tot ciuitates, quæ vſque ad hodiernum diem baptiſmum per Apoſtolos ſibi conſignatum tenuerunt, propter Aphrorum ſibi incognita crimina periſſe à fide Chriſti, & denuò baptizandos eſſe à parte Donati, atque inde cæteris gentibus, quæ nondum audierunt, prædicandum Euangelium.

Matth. 24.

Occupatio.

An Eccleſia per Donatiſtas reſtauranda.

gelium. Hoc nobis legant. Quid moratur? Quid tergiuersantur? Quid impediunt salutem gentium? legant hoc, & cum ipsa lectione *nouos Apostolos mittant* ad tot gentes rebaptizandas, & residuas baptizandas. Sed plane videant, cùm ad Colossenses venerint quomodo ibi vel legant, vel audiãt ad eos Epistolam datam, vbi eis dicit Apostolus: *gratias agimus Deo patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis deprecantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in omnes sanctos propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis, quã ante audistis in verbo veritatis Euangelii, quod peruenit in vos, sicut in omni mũdo est fructificans et crescens, sicut & in vobis, ex qua die audistis & cognouistis gratiam Dei in veritate.* Hæc enim verba conueniunt cum Euangelio, vbi dictum est, *simile est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo.* Postea exponitur, ager esse hic mũdus. Sicut enim hic, ex quo seminatum est, crescere prædictum est vsque ad messem: ita & Apostolus dicit: *In omni mundo fructificans, & crescens, sicut & in vobis ex qua die audistis.* Crescit autem vsque ad finem, quia vsque ad messem. Messis enim est finis seculi, dicent ergo non solum Colossenses, ad quos data est, sed etiam cæteri omnes, apud quos legitur hæc epistola, vbi per apostolicas literas constat, bonũ semen esse seminatum, etiam tunc crescere & fru-

Colos. 1.

Matth. 15.

tentur ad Dominum, & exaudiet eos, & sanabit eos. Quid ad hæc dicunt? Quare non communicant Ecclesiæ, quæ prædicta est, Ægyptiorum? Aut si præfiguratione prophetica *Ægyptus* mundum significat, Quare non communicant Ecclesiæ orbis terrarum? proinde perscrutentur scripturas, & cõtra tam multa testimonia, quibus ostẽditur Ecclesia Christi toto orbe terrarum diffundi, vel vnum proferant, tam certum & tam manifestum, quàm illa sunt, quo demonstrent Ecclesiam Christi perisse de cæteris gentibus, & in sola Aphrica remansisse tanquam ab alio initio, non ab Hierusalem, sed à Carthagine, vbi primo Episcopum contra Episcopum leuauerunt. Si autem voluerimus intelligere *Donatum principem Tyri*, quia Tyrus Carthago cognominata est, quæ in eum per Ezechielem prophetantur, vbi eum maximè designat, quod ei dicitur, *ostẽdam tibi quia homo es, & non Deus.* Isti enim de huius magis quàm de Dei nomine gloriantur. Et cùm solus Deus sine peccato sit, & sacerdos ille qui interpellat pro nobis, quia & de ipso dictum est. *Qui est super omnia Deus benedictus in secula*: isti Donati imitatores *ita sine peccato se volunt videri, vt etiam iustificatores hominum se asserant, & suum oleum, quod non sit oleum peccatoris* Meritò dicitur principi Tyri, Dixisti, Deus sum: es autem homo, non Deus, cui etiam dicitur, *Nunquid tu melior quàm Daniel?*

Imitatus est Optatũ lib 3. Ezechiel. 28.

Rom. 9. Confer 2. Crescon. cap 23. Psal. 140. Donatistæ aliorũ iustificatores videri voluerunt.

Daniel? Confitetur enim Daniel peccata *Dan. 9. 40.*
sua,& peccata populi sui: Isti autem pertinentes ad principem Tyri, ideò se dicunt orantes audiri pro peccatis populi, quia ipsi sine peccato sunt. Meritò dicitur principi Tyri: Nunquid tu melior quàm Daniel? Ecce non possumus inuenire aliquid proprium, & hoc malum maximum à capite Aphricæ, id est Carthagine exortum. Norunt enim homines quàm congruenter *Tyrus pro Carthagine* accipitur, & tamen non agimus talibus. Fortassis enim aliquid aliud significet Tyrus, quanto magis meridies, cum & ipsa verba ad alium cogant intellectum? Sed quamuis non permittantur saltem, quærere aliquid quæ probent esse prædictum, deficientibus à fide Christiana cæteris gentibus, in sola Aphrica Ecclesiam remansuram: attendant illud quod sæpè commemoraui. *Sinite vtraque crescere* *Matth. 13.*
vsque ad messem, & agrum esse mundum, messem finem seculi, non nobis sed ipso Domino interpretante parabolam suam. Est aliud euidentissimum, quod eis omninò auferat laborem quærendi vnde probent, Ecclesiam mundo perdito ad solos Aphros redactam. Potest enim aliquid esse, & non inueniri, non esse autem, & inueniri non potest. Desinant ergò quærere quod inuenire non poterunt; non quia occultum est, sed quia non est. *Sunt enim adhuc nonnullæ gentes, in quibus nondum est Euangelium prædicatum.*

Nondum omnibus prædicatũ Euangelium.

catum. necesse est autem impleri omnia, quæ de Christo & Ecclesia prædicta sunt. Oportet ergo & in eis prædicari. Quod cùm impletum fuerit, tunc erit finis.

ANALYSIS CAP. XVI.

Obiect. 6. SEXTA Obiectio, Donatistis frequentissima ex *Cant.* 1. *Vbi pascis, Vbi cubas in meridie.* Atqui Africa est meridiana. Ergo nobiscum pascit & cubat Christus.

Respondet August. primò ab absurdo: Si in Africa est vniuersa Ecclesia, quomodo vniuersa Ecclesia quęrit de vniuersa Ecclesia, id est eadē de se ipsa: & quidem tam angusto tamque noto loco?

Deinde fallacia est diuisionis. Illud enim IN MERIDIE non pertinet ad responsionem Christi, qui ibi se pascere aut cubare profiteatur: Sed ad quæstionem: quod probat ex sequentibus verbis, quæ itidem adhuc cum præcedentibus cohærent, hoc modo: *Vbi pascis, Vbi cubas in meridie, ne fortè fiam sicut operta super greges Sodalium tuorum.* Tum demum sequitur responsio: *nisi cognoueris temetipsam*, &c.

Tertiò reddit verum sensum: quæstionem quasi esse particularium Ecclesiarum extra Africam: quæ, cum scirent hæresibus Africam infectam, ne fortè eò venturæ in luporum manus inciderent, quærunt: vbi ad plagam meridionalem sana adhuc prata Christi supersint, &c.

Quartò addit aliam interpretationem: Meridiem posse accipi figuratè, de ingenti luce sapientiæ, & charitatis ardore: Quod probat comparatione loci, Esaiæ 58. *Tenebræ tuæ erunt meridies.*

Quintò repetit responsionem alteram de praua distinctione, & simul etiam *negat assumptum*, Afri-

Africam meridiem esse, cùm potius ad Aphricum sit, quàm ad Austrum, vbi sol medium diem facit: At Aegyptus verè ad meridiem est (inquit) non vulgaribus tantum Christianorum Ecclesiis, sed exemplaribus etiam perfectionis *Eremitis* clara. *Quorum pietas & continentia tanta fuit, vt etiam nonnullis res humanas plus quàm oporteret deseruisse viderentur:* quemadmodum alibi scribit August. *lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31. Illa summa continentia hominum Christianorum multitudo* inquit *per totum tunc orbem indies magis magisq́ diffunditur, in oriente maximè atque in Aegypto: Vbi secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhaeserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest.*

Africa situs. *Aegyptus.* *Eremitæ perfectionis studiosi.*

Cum igitur hi *Anachoretæ* tam excellens atque admirandum fastigium sanctitatis in Aegypto tenerent: iniquum videbatur Augustino, Africanos latrones, & furibundos Bachi satellites Circumcelliones in Ecclesiæ illis censu præponi. Itaque pro Aegypto allegat disertam *Esaiæ* Prophetiam *cap 19.* vbi elegans de eius ad Deum conuersione vaticinium extat. *Circumcelliones* autem quales fuerint, quàm truculenti & impii, è diuerso ostendit, & nos aliquanto plenius in fine capitis.

SEXTO ad retundendam intolerandam Donatistarum superbiam, contrarium illis vaticinium applicat *Ezechielis 28. Ostendam tibi quia homo es & non Deus.* Etenim Donatistæ adeò videri volebant ἀναμάρτητοι, vt & aliorum *iustificatores* se iactarent (*hic & Epistol 50. ad Bonifacium sæpius.*) præterea *Donatum* Magistrum suum magnis partim laudibus tanquam *Ecclesiæ Carthaginensis ornamentum, & Martyrialis gloriæ virum celebrabant, libr. post collat. cap. 16.* partim *figmenti instar lutei*

Donatistarum superbia, qui se aliorum iustificatores iactabant.

lutei ad Samaritanorum morem propemodum *celebant. contra Fulgent cap 2.* Itaque meritò torquet in eos August. Ezechielem clamantem, *ostendam tibi quia homo es & non Deus*: qui solus nempe sine macula est, & impios iustificat.

Postremò. His ita propositis & inculcatis, nouo argumento totā Donatistarū causam oppugnat & refellit *Quod non est, inueniri non potest, nec propterea quæri debet. Atqui Ecclesiam toto orbe defecisse, & in solis Afris remansisse non est seu falsum est, vt hactenus ostensum. Ergo de eo frustra disputant & quærunt Donatistæ*, &c.

Alia responsio ad situm Africæ.

Atq; hæc de præsenti capite cum quo cōferat lector quæ August. infra respondet cap. 19. & *Epist. 48. ad Vincent. Si hoc loco* inquit *meridies Africa intelligenda est in parte Donati, quæ sub cæli feruentiori plaga est, omnes vos Maximianistæ superabunt, quorum Schisma in Byzantio, & in Tripoli exarsit. Sed confligant cū eis Arzuges, & hoc magis ad se pertinere contendant. Mauritania tamē Cæsariensis, occidentali quam meridianæ parti vicinior: quando nec Africam se vult dici, quomodo de meridie gloriabitur, no dico aduersus orbem terrarū sed aduersus ipsam partem Donati, vnde pars Rogati breuissimum frustum de frusto maiore præcisum est. Quis autem non impudentissimè nitatur aliquid in Allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?*

Frustum de maiore frusto.

De Circūcellionibus.

Iam de CIRCVMCELLIONIBVS quia frequens mentio apud Augustinum, placet in gratiam lectorum adiicere paucula, quæ hinc inde apud Augustinum de hoc hominum genere commemorata reperimus. *Libro primo* contra Epistolam Parmeniani cap. 11. hæc extant: *Sed hæc non tam multa sunt, quam multa quotidie agunt per furiosos ebriosorum iuuenum greges, qui sub principes constituunt, qui primum tantummodo fustibus, nunc etiam ferro se armare cœperunt, qui Circumcellionum notissimo nomine per totam Africam vagantur, & sæua cōtra omnem ordi-*

ordinem legum potestatumq; committunt: Quorum scelera cum ad eos deferuntur, fingunt se ignorare tale hominum genus, vel omnino ad se non pertinere, contra omnes homines ore impudentissimo affirmant.

Ibidem lib. 2. cap. 3. *Veruntamen isti qui hæc catholicis obiiciunt: Cur non sese respiciunt, quorum caterua gregum furiosorum huc atque illuc armata ferro ac fustibus volitant: & tam crebris vbi potuerint stragibus, nequaquam tamen tanta immanitate satiantur, vbi per busta cadauerum eorum cum fœminis, quæ cum illis passim commixta contra ordinem rerum diuinarum & humanarum diebus ac noctibus euagantur, tanta feruet ebrietas, vt inde insaniam quotidianam, non solum alios insectandi, sed etiam seipsos præcipitandi concipiant? Horum pedes ad malum non currunt, nec veloces sunt ad effundendum sanguinem?*

Et lib. ad Donatistas post collat. cap. 17. *Nam quanta mala nostris fecerint, furiosissimi clerici & Circumcelliones partis Donati, nostis & vos. Incensæ sunt Ecclesiæ, missi in flammas codices sancti, incensæ etiam priuatæ domus, rapti homines de sedibus suis, & omnibus quæ inerant ablatis aut perditis, ipsi cæsi, laniati, excæcati. Nec ab homicidio potuit temperari, quamuis sit mitius huic luci morientem, quam istam auferre viuenti.* *Facinora Circumcellionum in Catholicos.*

Item lib. 1. contra Gaudentium cap. 22. *Si catholicorum domus Donatistæ nõ diripuissent, si catholicas Ecclesias non incendissent, si Catholicorũ codices sanctos in ipsa incendia non misissent, si catholicorum corpora nõ immanissimis cædibus afflixissent, si catholicorũ membra non præcidissent, si oculos non extinxissent, si denique Catholicos non crudeliter occidissent: hanc solam nos à vobis grauissimam persecutionem perpeti verissimè diceremus, quia videmus nos insensatos, & tabescimus: quia infirmatos, & infirmamur: quia scandalizatos, & vrimur: quia perditos, & lugemus. Hæc mala vestra quæ vos in æternum interitum mittunt amarius nos persequuntur, quam illa* *Donatistæ suo interitu persecuti Ecclesiam.*

qua à vobis nostris corporibus, vel rebus vel domibus aut basilicis inferuntur

Ibidem cap. 28. *Voueb.nt Pagani Iuuenes idolis suis, quis quot occideret: At isti gregatim hinc atque inde confluentes, tanquam in an.ph theatro à venatoribus more immanium bestiarum venabulis se opp.sitis ingerebant, furentes mo sel antur, putrescentes sepeliebantur, decipientes cole.antur. Præter hac sunt saxa immania, & montium horrida prærupta, voluntariorum creberrimis mortibus nobilitata vestrorum: aquis & ignibus rarius: d.agebant, præcipitiis greges consumebantur ingentes. Aetatis nostra hominibus res notissimas loquor. Quis enim nescit hoc genus hominum in horrendis facinori'us inquietum, ab vtilibus operibus ociosum, crudelissimum in mortibus alienis, vilissimum in suis, maximè in agris territans, ab agris vacans, & victus sui causa cellas circumiens rusticanas, vnde & Circumcellionum nomen accepit, vniuerso mundo penè famosissimum Aphricani erroris opprobrium.*

Prodigiosa mortis cupiditas.

Circumcelliones vnde dicti.

Sed quid opus plura coaceruare? ne multi simus, *lib. 1. contra G.udentium cap. 27.* tria mortis genera in homicidiis suis frequentasse dicuntur, aquam, ignem & præcipitium *libr. 2. contra Epist. Petil. cap. 49.* Narrantur duo, laqueus & præcipitium. Quanquam *lib. 1. con ra Gaudent. cap. 37.* Vitandæ similitudinis causa, ne Iudæ proditori similes censerentur, vel nunquam, vel difficillimè se laqueo necasse dicuntur.

Atq; hæc in semetipsos patrarunt maximè stulti isti Martyres. In alios quæ commiserint, vide *lib. 2. contra Epistolam Parmen cap 3.* Vbi nulli vnquam suorum schismaticorum pepercisse dicuntur. Et *libr. 3. cap. 6.* vbi *Salutio* Maximianistæ non solum multas plagas intulerunt, sed & ceruici eius mortuorum canum cadauera colligarunt, & postremò cum illo ad turpes voces cantationesque saltarunt. *Lib de Gestis .um Emerito* exercitus istorum, id est agmen Circumcellionum cuidam *Rogato*, quod

Crudelitas Circumcellionum in diuersos.

Catho-

Catholicus factus esset, linguam & manus præcidit. Et in *breuiculo collationis*, Actis tertii diei cap. 11. calce & aceto humanos oculos persecuti narrantur. Denique *Epist. 50 ad Bonifac. Maximianum Episcopum Catholicum, quoniam apud ordinarium iudicem dicta inter partes sententia, obtinuerat basilicam, quam illi, cum Catholica esset, inuaserant, stantem ad altare irruentes horrendo impetu & furore crudeli, fustibus & huiuscemodi telis, lignis denique eiusdem altaris effractis immaniter ceciderunt, pugione etiam percusserunt in inguine, quo vulnere sanguis effluens eum exanimem redderet, nisi ei ad vitam maior sæuitia eorum profuisset. Nam cùm grauiter sauciatum per terram insuper traherent, exundanti vena puluis obstrusus sanguine obtinuit, cuius effusione ibat in mortem. Deinde cum ab eis tandem relictum nostri cum Psalmis auferre tentarent, illi ira ardentiore succensi, eum de portantium manibus abstulerunt malè mulctatis fugatisque Catholicis, quos ingenti multitudine superabant, & facile sæuiendo terrebant. Inde in quandam turrem leuatum, iam defecisse arbitrantes, cum ille adhuc viueret, abiecerunt. Sed quodam molli aggere exceptus, & a quibusdam nocte transeuntibus per lucernam conspectus, agnitus atque collectus, & ad religiosam domum apportatus adhibita magna cura post multos dies ab illa desperatione recreatus est*, &c.

CAPVT XVII.

Ἐπιμονὴ, *quæ Argumentum in fine superioris cap. allatum latius exponit & confirmat.*

QVomodo ergo isti dicunt iam esse completum quod Dominus ait; *prædicari in nomine eius pænitentiam & remissionē peccatorū in omnes gentes incipiētibus ab Hierusalē,* *Luca 20. 24.*

gelium. Hoc nobis legant. Quid moratur? Quid tergiuersantur? Quid impediunt salutem gentium? legant hoc, & cum ipsa lectione *nouos Apostolos mittant* ad tot gentes rebaptizandas, & residuas baptizandas. Sed plane videant, cùm ad Colossenses venerint quomodo ibi vel legant, vel audiãt ad eos Epistolam datam, vbi eis dicit Apostolus: *gratias agimus Deo patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis deprecantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in omnes sanctos propter spem, quæ reposita est vobis in cœlis, quã ante audistis in verbo veritatis Euangelii, quod peruenit in vos, sicut in omni mũdo est fructificans et crescens, sicut & in vobis, ex qua die audistis & cognouistis gratiam Dei in veritate.* Hæc enim verba conueniunt cum Euangelio, vbi dictum est, *simile est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo.* Postea exponitur, ager esse hic mũdus. Sicut enim hic, ex quo seminatum est, crescere prædictum est vsque ad messem: ita & Apostolus dicit: *In omni mundo fructificans, & crescens, sicut & in vobis ex qua die audistis.* Crescit autem vsque ad finem, quia vsque ad messem. Messis enim est finis seculi, dicent ergo non solum Colossenses, ad quos data est, sed etiam cæteri omnes, apud quos legitur hæc epistola, vbi per apostolicas literas constat, bonũ semen esse seminatum, etiam tunc crescere & fru-

Colos. 1.

Matth. 13.

ćtificare cœpiſſe. *Quid nobis affertis noui?* Nunquid iterum ſeminandum eſt bonum ſemen, quando ex quo ſeminatum eſt, creſcit vſque ad meſſem? Si dicitis periſſe in illis locis quod erat per Apoſtolos ſeminatum, & ideò eſſe rurſus ex Aphrica ſeminandum, reſpondetur: legite nobis hoc ex diuinis oraculis, quod profectò legere non poteſtis, niſi prius oſtenderitis falſum eſſe quod ſcriptum eſt. Semen illic antè ſeminatum creſcere vſque ad meſſem. Et quia *nullo pacto ſibi diuina eloquia contradicunt*, nullo modo in eis inuenietis, quod contra hoc tam manifeſtum recitare poſſitis. Reſtat ergo vt non ex diuinis libris, ſed ex vobis iſta dicatis. Proinde digniſſimè reſpondebitur, *anathema ſitis*. Tenent enim Eccleſiæ Apoſtolico labore fundatæ cum quanta cura ſibi prædictum ſit: *Si quis vobis euangelizauerit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit.*

Anathema ſint, qui aliam Eccleſ. præter Catbol. prædicant.
Gal. 1.

ANALYSIS CAP. XVII.

Falſam eſſe Donatiſtarum & recentiorum hæreticorum de Apoſtaſia orbis Chriſtiani criminationem, in fine ſuperioris capitis aſſumpſit Auguſtinus. Id igitur etſi probatum ſatis erat in antecedentibus, tamen immorans hic paululum plenius firmiusque probat. *Nondum impleta eſt per omnes gentes prædicatio, nec dum omnes crediderunt. Ergo falſum eſt ante Donatiſtarum exortum omnes à fide reſiliiſſe.*

Deinde cùm impleta fuerit omnium gentium prædi-

prædicatio, finierit & messis seculi. E. non perditio seu defectio gentium.

Occupatio. Donatistæ & nunc Lutherani collapsas Ecclesias restaurabunt, & barbaris qui nōdum audiuerunt, prædicabunt Euangelium, vt prædictioni Domini satisfiat.

Respons. hoc ridiculum adeò est, vt non credam ipsosmet sine rubore hoc sibi officium arrogare posse. Deinde si maximè faciant, extra scripturam loquuntur & impudenter mentiuntur. Aut si perstant in sententia, accingant se operi, abeant in longè dissitas regiones, & infidelibus pacem nuncient. Vbi memoria mihi incidit nunciorum, quos hoc seculo *Caluinus* in Indiam ad reformatum Euangelium prædicandum misisse dicitur. Qui tamen, ne tenera illa Ecclesia tantum flagellum experiretur, in itinere Apostolatum suum cum morte permutarunt. *Caluinus prædicantes in Indiam mittere voluit.*

Tertiò redit ad propositū August. & perpetuam in omnibus gentibus semel factæ prædicationis Apostolicæ durationem astruit ex Coloss. 1. vbi verbum veritatis semel sparsum, dicitur *crescere & fructificare in toto mundo,* & quidē *vsq; ad messem,* id est ad finem seculi, Matth. 13. Ergo qui hoc semen emarcuisse, vel in sola Aphrica reliquum esse dicunt, de suo id dicunt, id est mentiuntur, & nobis anathema sunt.

CAPVT XVIII.

Obiectio septima, de Traditione codicum diuinorum ad flammas.

QVoniam igitur *in scripturis sanctis Ecclesia manifestè cognoscitur, incipiens ab Hierusalem, & per alias gentes crescens,* donec omnes occupet, vsque ad finem seculi, non autem sola frumenta, sed & purgamenta

Argumentum in Donatistas retorquet. eius commemorantur: prius correcti communicate frumentis, & nunc videbitis quid in eis zizania vel paleam dicere debeatis: alioquin & *malos bonorum laudibus exornare, & bonos malorum criminibus accusare detestando errore cogimini.* Nempe in manibus documenta gestamus, quibus probemus maiores vestros, quorum schisma sectamini, & municipalibus gestis sanctos libros ignibus tradidisse, & ecclesiasticis negare non potuisse, eosdemque inter iudices fuisse illos, qui apud Carthaginem contra Cęcilianum, & collegas eius absentes sententias contulerunt. Nempe iidem leguntur gestis & municipalibus & Ecclesiasticis traditores, qui posteà proferuntur à vobis tanquam traditorum absentium damnatores. Nempe Nundinarius illius temporis Diaconus vester, apud *Zenophilum* consularem omnes *Lucillæ* nundinas patefecit, quæ damnationem Cæciliani emit ab episcopis; qui ei factus fuerat inimicus, verum prædians. Nempe ipsi posteà literas ad Imperatorem *Constantinum* dederunt, datisque ab eo, sic petiuerant, disceptatoribus episcopis non consenserunt, eosdemque postmodum apud illum tanquam iniquos iudices accusauerunt, & ab aliis sibi ad *Arelatum* datis, ad ipsum Imperatorem appellauerunt, eodemque inter partes audiente, calumniatores inuenti atque damnati, in eadem furoris pertinacia perman-

Donatistæ historia commemoratione.

Confer lib. 1 contra epist. Parmen cap. 3. Optatus Mileuit. lib 1 contra Parmen.

Donatistæ sæpius damnati, iudicibus acquiescere noluerunt.

permanserunt. Nempè vos ipsi qui propterea dicitis Christianam sanctitatem de tot gentibus, in quibus Apostoli eam fundatissimam reliquerunt, penitus esse deletam, quia communicauerunt eis, quos vestri maiores septuaginta Episcoporum concilio Carthaginensi damnauerãt. Nonnè illis quos trecenti decem *Vagaiensi* concilio cum *Maximiano* damnastis, modo communicatis? Nonne *pratextatus Assuritanus* & in ipso concilio damnatus legitur, & gestis proconsularibus à vobis accusatus & oppugnatus; & tamen in quo damnatus erat, honore susceptus, & in vestra communione defunctus est? Nonnè *Felicianus Mustitanus* eodem modo in eadem causa, eodẽ concilio damnatus ab Episcopis, accusatus apud iudices, postea receptus à vobis, nunc vobiscum Episcopus viuit? Nonnè illi, qui ab istis damnatis baptizati sunt, in eodem baptismo vobis modo communicant? Sed videlicet tot Ecclesiæ transmarinæ Apostolico labore fundatæ, si communicauerint Sacramenta cum eis, quos nec apud se accusatos ipsi damnauerunt, & ab aliis postea purgatos & absolutos audierunt, amittunt salutem religionemque Christianam: pars autẽ Donati & damnat quos voluerit, & in ipsa damnatione sacrilegia schismatis eorum sic exaggerat, vt illis, quos viuos terra sorbuit, cõparare non dubitet, & in eis rursus cũ

Communicant damnatu.

Num. 16.

voluerit in eodem honore susceptis communicat, & sancta atque integra perseuerat. *O regula iuris Nimidici. ô priuilegia Vagaitana.* Et baptismus Christi exufflatur in eis, qui eũ in ecclesiis Apostolicis acceperunt, in eis autẽ quos damnati sacrilegi sicut in Vagaitano concilio scriptum, *Pratextatus & Felicianus* baptizauerunt, parcitur baptismo Christi, non quia baptismus Christi est, sed quia per eos datus est, qui à suis damnatoribus Episcopis recedere, & ad suos damnatores Episcopi redire meruerunt. Nempe hæc omnia, quæ iam diu commemoro, regalibus literis, & Ecclesiasticis, & municipalibus, & procõsularibus gestis facta recitamus. tamen ô Donatistæ, si vos teneretis Ecclesiam toto orbe diffusam, quæ manifestissimis canonicarum scripturarum testimoniis designata & expressa est, nihil aduersum vos omnia ista valere deberent, quia neque vobis paleæ crimina præiudicarent, si vos in ea triticum essetis, nec si vos essetis palea, & vestra essent crimina, tritico Dominicæ segetis aliquid præiudicaretis, quod ita in agro Domini seminatum est, vt *crescat vsque ad messem*, id est, ꝙ ita in mundo seminatum est, vt crescat vsque in finem seculi. Eo ergo modo si fortè, quod adhuc nobis nunquam probastis, aduersus paleam nostram talia documenta gereretis, nos autem aduersus

Totam hãc criminum exprobrationem ab hac causa remouendam & ex solis scripturis Ecclesiam quærendã.

uersus vos tanta ista, quæ commemoraui non haberemus: etiam sic nihil frumentis nostris toto orbe diffusis omnino præiudicaret, quicquid in eorum paleam quāuis verissimū, quamuis manifestissimum, quamuis probatissimum diceretis. Proinde remoueantur omnes moratoriæ tergiuersationes. Quicquid de peccatis hominum falsum obiicitur, conueniatur cōscientia, & non obiiciatur. Quicquid de peccatis hominum etiam verum obiicitur, & vel probari non potest, vel cum debuit probari, non potuit, non obiiciatur. Quicquid de peccatis hominum & verū & probatum obiicitur, nec tamen ad frumenta, quæ inter paleam latent, sed ad ipsam paleam, quæ in finem separabitur, pertinet, non obiiciatur. Hæc enim & nos multo copiosius & probabilius obiicere possumus, non ea inanitate qua illi, vt in eis causam nostram constituamus, sed vt eis ostēdamus, non ideo nos nolle talibus fidere, quia nō inuenimus talia quæ dicamus, sed ne tempus rebus necessariis vtile, in rebus non necessariis conteramus. Quod propterea *illi faciunt, quia robusta & firma veritate subnixa documenta, quibus causam suam tueantur, inuenire non possunt, & volunt videri aliquid dicere, dum tacere erubescunt, & inania loqui non erubescunt.* Remotis ergò omnibus talibus, Ecclesiam suam demon-

demonstrent, si possunt, non in sermonibus & rumoribus Aphrorum, non in conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non *in signis & prodigiis fallacibus*, quia etiam contra ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus: sed *in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum Cantibus, in ipsius pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus canonicis sanctorũ librorũ authoritatibus.* Nec ita, vt ea colligant & commemorent, quæ obscurè vel ambiguè vel figuratè dicta sunt, quæ quisque voluerit, interpretetur secundum sensum suum. Talia enim rectè intelligi exponique non possunt, nisi prius ea, quæ apertissimè dicta sunt, firma fide teneãtur. Quisquis ergo huic Epistolæ respondere se præparat, ante denuncio ne mihi dicat: *Illi codices Dominicos ignibus tradiderunt*, illi *simulachris gentium sacrificauerunt, illi nobis iniquissimam persecutionem fecerunt*, & vos eis in omnibus consensistis. Breuiter enim respondeo, quod sæpè respondi, aut falsa dicitis, aut si vera sunt, nõ ad frumenta Christi, sed ad eorum paleam pertinent ista quæ dicitis. Non inde perit Ecclesia, quæ vltimo iudicio ventilata, istorum omnium separatione purgabitur, *Ego ipsam Ecclesiam requiro, vbi sit*, quæ
Matth. 7. audiendo verba Christi, & faciendo ædificat super petram, & audiendo & faciendo

tolerat

tolerat eos, qui audiendo & non faciendo ædificant ſuper arenam. Vbi ſit triticum quod inter zizania creſcit vſque ad meſſem: non quid fecerint vel faciant ipſa zizania. Vbi ſit *proxima Chriſti in medio filiarum malarum, ſicut lilium in medio* ſpinarum, non quid fecerint vel faciant ipſæ ſpinæ, vbi ſint piſces boni, qui donec ad litus peruenіant, tolerant piſces malos pariter irretitos, non quid fecerint vel faciant ipſi piſces mali. *Matth. 18.* *Cantic. 10.* *Matth. 13.*

ANALYSIS CAP. XVIII.

Præmiſſa exhortatione ad Donatiſtas redeundi ad Eccleſiam Catholicam, tranſit ad ſolennes illas & toties agitatas ipſorum obiectiones, de traditione codicum diuinorum ad flammas, de thurificatione ſimulachris Gentilium facta, denique de perſecutione quam ſe iniquiſſimè à Catholicis perpeti quærebantur, illaſque ordine refellit.

SEPTIMA igitur Obiectio eſt talis. *Cæcilianus* & eius ſocii libro ſacro ſanctæ ſcripturæ perſecutoribus comburendos tradiderunt. Ergo cum illis ſalua conſcientia communicare non poſſumus. *Obiectio 7.*

Reſpondet primò per negationem conſequentiæ. Hæc non ſatis iuſta faciendi ſchiſmatis cauſa eſt, cùm talem nobis ſcriptura Eccleſiam commendet, in qua non tantum frumenta, ſed purgamenta ſint, &c.

Deinde negat Antecedens, crimenque traditionis in ipſos Donatiſtas retorquet, vtque eos conuincat, Acta enarrare incipit, ex quibus vt lectori patebit, & iniquæ eos in Cæcilianum ſententiæ, & corrupti per Lucillam Iudicis, & triplicis ab ordinariis iudiciis Paſſæ condemnationis & communionis

nionis denique cum damnatitiis personis (quã culpã Catholicis irrogare folebant) redarguit. Quæ omnia aliorum locorum collatione lectori melius patescent. Nã primo ipsosmet Donatistas traditores fuisse, Augustinus docet lib. 1. contra Epistol. Parmen. cap. 3. *Numidas* inquit, *Episcopos ista factio conuocauerat adperniciem Caeciliani, vt illo deposito alter eis ordinaretur. Qui venientes cum Primate suo tunc Secundo Tigisitano, & aliis quibus traditionis confessa crimina Secundus ipse donauerat, veluti paci consulens, sicut Ecclesiastica gesta testantur, absentem Caecilianum sine vlla dilatione diligentioris inquisitionis, nullo responsionis loco seruato, traditorem esse censuerunt: Vt eis videlicet obessent absenti traditionis crimina tantummodo obiecta, cum sibimetipsis praesentes confessa donauerint.*

Donatistæ traditores.

Et lib. 1. contra literas Petilian. cap. 21. *Obiicitis traditionem: Hanc ipsam multo probabilius eis ipsis obiicimus. Et ne per multa curramus, in eadem Constantiniensi ciuitate Syluanum Episcopum maio. es vestri in ipso exordio sui schismatis ordinauerunt. Iste cum adhuc esset Subdiaconus manifestissimus traditor municipalibus gestis expressus est.* Plura vide *ibidem lib. 3. cap. 57. 58. & lib. 3. contra Cresconium Grammat. cap. 29. 48. 63. 64. & lib. 4 cap 6.* Item *Collat. 3. dies cap. 15. & 17. Et lib. 1. contra Gaudent. cap. 37.*

Nomina traditorũ.

Denique contra Fulgentium cap. 12 *Si traditorũ* inquit *vocabula cupis addiscere, habes vestros, Syluanum Cirtensem Felici Curatori Sacram nta tradentem. Habes Marinum ab aquis Tibilitanis. Romano curatori tres codices offerentem. Habes Victorem Rusiccadiensem quatuor Euangelia veluti de ia ira comburentem, qui Caecilianum absentem damnare ausi sunt innocentem. Hæc est spelunca latronum, hæc progenies traditorum, hæc mulier fornicaria, quæ relicto Christo, Donato prostituit lupanaria.*

Iam

Iam de diuersis iudiciorum calculis, quibus damnata est Donatistarum causa, hæc alibi habet Augustinus. Libro 1. contra Epist. Parm cap 5. *Victus est Parmenianos, suos ipsos adisse Constantinum, & arbitrio eius a iudicibus Episcopis causam cognitam, quibus præfuit Melchiades Romanæ vrbis Episcopus. In quo iudicio sicut Ecclesiastica gesta testantur, quia victi sunt illi, & innocens Cæcilianus inuentus est, eundem Melchiadem crimine traditionis accusant. Quod quare quomodo cognouerint? Si enim ante iudicium, non sic præiudicare debuerunt, vt apud talem iudicem causam agere inciperent, etiam ex præcepto imperatoris, quem ipsi adierant, tale subire iudicium. Si autem post dictam causam prolatamq; sententiam eum traditorem didicisse perhibent, vsq; adeo dementes sunt homines, vt auctentos iudices apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponendos.* Donatistarum causa iuratis in iudices. Melchiades

Ibidem cap. 6. *Fatetur etiam Parmenianus ad Arelatense oppidum & Episcopos iudices & partes ex Africa conuenisse, Cæcilianum scilicet atq; Donatistas, vbi omnia suis credi ut qui nihil victi potuerunt de iudicibus conqueri: nec tamen negat rursus eos ad Constantinum venisse: Et quia ibi quoq; vltimo iudicio superati sunt, etiam ipsum gratia corruptum esse criminatur. Quibus omnibus consideratis, qui sine studio partium iudicat, eligat quibus credat, vtrum iudicibus sententias proferentibus, an litigatoribus contra quos prolata sunt litem finire nolentibus. Certé orbis terrarum iudicibus credidit.* Constantinus.

In breuiculo collation. cap 18. & 19. Narrat quomodo Donatistæ non tantum Melchiadis Romani Pontificis iudiciũ tanquã traditoris oppugnarint, sed & Constantini imperatoris sententiã calũniati sint, *imperatorias aures prauis suggestionibus inflatas dicentes.* Et libro de gestis cum Emerito

refert

Marcellinus causæ cognitor. refert variè Donatistas *Marcellinum* collationis cognitorem insectatos esse. *Noui* inquit, *quid dicebatur vobis, nos cognitoris emisse sententiam: noui dictum esse vobis, quod ille fuerit communionis nostræ, & propterea istos loqui omnia quæ vellent, minimè permiserit, & eos potestate potius oppresserit quam veritate, quod loquebantur non acceperit.*

Applicatio ad præsens tempus. Quæ omnia tantò prolixius commemorare hactenus libuit, ne quis recentiorum hæreticorum calumniis & inanibus prætextibus quasi miserando locum det, qui cum ad Rauenna vsque comitia & concilia clamauissent, postea legitimè comitiis & conciliis superati & damnati, nihil non in *Cæsarem* nihil non in *Pontificem*, omnia denique in Deos & homines iactare cœperunt, vt iniuriâ potius quam meritò cecidisse crederentur. Quibus quid aliud respondebimus, quam quod Afris respondet Augustinus, nostris protestantibus adeo similibus, vt nec ouum ouo similius esse possit. *Erat nunc pars Donati* inquit, *totiens improbata, totiens calumniosa, totiens mendax, totiens confutata, totiens modis omnibus superata atq; confusa: adhuc iactet iudicem à nobis fuisse corruptum: Quasi vox alia victis esse consueuerit. Prorsus Iudex corrumpendus fuit, vt quod illi bene egerant, illius infirmaret authoritas.* *Ad Donatist. post collat. cap. 34.* *Ibidem c. 1.* *Quid igitur adhuc miseri seducimini ab Episcopis vestris, quorum fallaces tenebræ clara luce discussæ sunt, quorum apparuit error, quorum pertinacia superata est? Quid adhuc vobis iactant vana mendacia? Quid adhuc creditis hominibus victis? cum vobis dicunt iudicem præmio fuisse corruptum, quid nouum faciunt? Quid aliud omnes victi facere consueuerunt, qui veritati consentire nolunt, nisi vt de iudicis iniquitate mentiantur.* *Omnes victi iudicem criminantur.*

Sed nunc ad Augustinum redeamus, qui 3. loco ex his omnibus iterum argumentum oppositum in Donatistarum capita retorquet. Si propterea deleta est Christiana sanctitas de tot gentibus quod communicauit iis, quos vestri maiores damnarunt:

etiam

etiam vestra communio nulla erit, quia illis quos *Concilium Vagaiense* damnauit, vt Prætextato, Feliciano, denique ab vtroque baptizatis, communicatis.

Quartò redit ad responsionem primã, negatque hæc & similia ad præsentis causæ disceptationem satis idonea argumenta esse, sed solum scripturæ stylum, quo nobis Ecclesiæ facies satis perspicuè suis coloribus depicta est. Itaque & si hæc crimina de Donatistis vera & testata essent, tamen si illi Ecclesiam tenerent, nihil aduersus eos momenti habitura: quia palea tritico non præiudicat. Similiter si illi de Catholicis talia crimina demonstrare possent, nihil tamen frumentis toto orbe diffusis præiudicarent. E. concludit, de peccatis hominum neque falsa, neque quæ probari nequeunt, neque vera quæ tritico non præiudicant, mutuo obiiciamus, sed ex scripturis de Ecclesia quæramus.

CAPVT XIX.

Octaua & nona Obiectio.

OMissis ergo istis morarum tendiculis, ostendat Ecclesiam vel in sola Aphrica, perditis tot gentibus, retinendã, vel ex Aphrica in omnibus gentibus reparandam atque implendam, & sic ostendat, vt non dicat, *verum est, quia hoc ego dico, aut quia hoc dixit ille Collega meus, aut illi Collegæ mei, aut illi Episcopi, vel Clerici, vel laici nostri: aut ideò verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, vel quilibet alius, aut quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant, & exaudiuntur,* *Obiectio 8. Varia.*

Aa aut

aut quia illa & illa ibi contingũt, aut quia ille frater noster, aut illa soror nostra, tale visum vigilãs vidit, vel tale visum dormiens somniauit. Remoueantur ista vel figmẽta mendaciũ hominũ, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera quæ dicuntur, aut si hęreticorũ aliqua mira facta sunt, magis cauere debemus: quod cum dixisset Dominus quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo etiam electos, si fieri possit, fallerent: adiecit vehementer commendans & ait, *Ecce prædixi vobis*: Vnde & Apostolus admonens, *Spiritus*, inquit, *manifestè dicit, quia in nouissimis tẽporibus recedent quidam à fide, intendentes Spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum.* Porrò si aliquis in hæreticorum memoriis orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderii sui recipit siue malum, siue bonum. *Spiritus enim Domini* sicut scriptum est, *repleuit orbem terrarum.* Et: Auris zeli audit omnia. Et: multi Deo irato exaudiuntur. De qualibus dicit Apostolus, *Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis illorum.* Et multis propitius Deus non tribuit quod volunt, vt quod vtile est tribuat. Vnde idem Apostolus ait de *stimulo carnis suæ, angelo Satanæ,* quem sibi datum dicit, à quo colaphizaretur, ne magnitudine reuelationum extolleretur, *Propter quod ter Dominum*

Visa & miracula falsa

Matth. 24.
1. Tim. 4.

Exauditiones in memoriis hæreticorum.

Sapient. 1.

Multi Deo irato exaudiuntur, multis propitio non exaudiuntur.

Rom. 1.
2. Cor. 12.

roga-

rogaui, vt auferret eum à me. Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Nonne legimus ab ipso Domino Deo nonnullos exauditos in excelsis montium Iudeæ, quæ tamen excelsa ita displicebant Deo, vt reges q ea nō euerterent culparentur, & qui euerterent laudarentur? Vnde intelligitur *magis valere petentis affectum, quàm petitionis locum.* De visis autem fallacibus legant quæ scripta sunt, & quia *ipse Satanas transfigurat se tanquam Angelum lucis*, & quia multos seduxerunt somnia sua: audiant etiam quæ narrant Pagani de templis & Diis suis mirabiliter vel facta vel visa, & tamen *Dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.* Exaudiuntur ergo multi, & multis modis non solum Christiani Catholici, sed & Pagani, & Iudæi hæretici variis erroribus & superstitionibus dediti. Exaudiuntur autem, vel ab spiritibus seductoribus, qui tamen nihil faciunt, nisi permittātur Deo sublimiter atque ineffabiliter iudicante, quid cuique tribuendum sit, vel ab ipso Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel ad solatium miseriæ, vel ad monitionem quærendæ salutis æternæ. *Ad ipsam verò salutem ac vitam æternam nemo peruenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit, quod est Ecclesia*, quam sicut ipsum caput in scripturis

Magis valet petentis affectus quam petitionis locus.

2. Cor. 12.
Eccles. 34.
Psalm. 95.

Etiam Pagani & hæretici interdum exaudiuntur.

Coloss. 1.
Christum caput habere non potest nisi qui in eius corpore, hoc est Ecclesia fuerit.

ſanctis canonicis debemus agnoſcere, non in variis hominum rumoribus & opinionibus, & factis & dictis, & viſis inquirere. Nemo mihi hæc opponat, qui mihi reſpōdere paratus eſt, quia nec ego dico ideo mihi eſſe credendũ, communionem Donati nō eſſe Eccleſiā Chriſti, quia quidā qui apud eos Epiſcopi fuerunt, diuina inſtrumēta ignibus tradidiſſe, geſtis Eccleſiaſticis, & municipalibus & iudicialibus conuincuntur, aut quia in iudicio Epiſcoporũ, quod ab Imperatore petiuerant, cauſam ſuā non obtinuerunt: aut quia prouocantes ad ipſũ Imperatorē, etiā ab ipſo contrariā ſibi ſententiam meruerunt: aut quia tales ſunt apud eos Circumcellionũ principes, aut q̄ tāta mala cōmittũt *Circũcelliones*, aut quia ſunt apud eos qui ſe per abrupta præcipitent, vel concremandos ignibus inferant, quos ipſi ſibimet accenderunt: aut trucidationē ſuā etiā inuitis hominibus terrendo extorqueant, & tot ſpontaneas, & furioſas mortes, vt colantur ab hominibus, appetāt: aut ꝙ ad eorum ſepulchra ebrioſi greges vagorum & vagarum permixta nequitia die noctuq; ſe vino ſepeliant, flagitiisq; corrũpāt. Sit iſta omnis turba palea eorum, nec frumentis præiudicet, ſi ipſi Eccleſiam tenent. Sed vtrũ ipſi Eccleſiam teneant, non niſi de diuinarum ſcripturarũ canonicis libris oſtendant: quia nec nos propterea dicimus nobis credi oportere, quod in Eccleſia Chriſti ſumus, quia ipſam

Reiicit iterum crimina ab hac diſputatione.

quã tenemus, cõmendauit *Mileuitanus Optatus*, vel *Mediolanẽsis Ambrosius*, *vel alii innumerabiles nostræ* communionis Episcopi, aut quia nostrorũ collegarũ conciliis ipsa prędicata est, aut quia p totũ orbẽ in locis sanctis, quæ frequẽtat nostra cõmunio, tãta mirabilia vel exauditionũ, vel sanitatum fiunt, ita vt *latẽtia per tot annos corpora Martyrũ, quod possunt à multis interrogantes audire, Ambrosio fuerint reuelata, & ad ipsa corpora cæcus multorũ annorũ ciuitati Mediolanensi notissimus oculos lumẽq; receperit*, aut quia ille somniũ vidit, & ille spiritu assumptus audiuit, siue ne iniret in partẽ Donati, siue vt recederet à parte Donati. *Quæcunq; talia in Catholica fiunt, ideò sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: nõ ideo ipsa manifestatur Catholica, quia hæc in ea fiunt.* Ipse Dominus Iesus cũ resurrexisset à mortuis, & discipulorũ oculis videndũ, manibusq; tãgendũ corpus suũ offerret, ne quid tamẽ fallaciæ se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis legis & Prophetarũ & Psalmorũ cõfirmandos esse iudicauit, ostendens ea de se impleta, quæ fuerant tanto antè prædicta. Sic & Ecclesiã suã cõmendauit dicens, *prædicari in nomine suo pœnitentiã, & remissionẽ peccatorũ per omnes gentes incipientibus ab Hierusalẽ.* Hoc in lege, & Prophetis, & Psalmis esse scriptũ ipse testatus est, hoc eius ore cõmendatũ tenemus. Hæc sunt causę nostræ documẽta, hæc fundamẽta, hæc firmamen-

Doctores & Concilia.

Miracula.

Geruasii et Prothasii, hæc fuere, de quibus plura. lib. 22. de ciuitate Dei ca. 8. & lib 9. Confess. ca. 7. apud Ambrosiũ quoq; epist. 85 & serm. 91. Miraculorum vsus quatenus valeat.

Luc. 24.

Ex scripturis disputandum, sed manifestis.

Actor. 17.

mamenta. Legimus in Actibus Apostolorum dictum de quibusdam credentibus, quod *quotidie scrutarentur scripturas, an hæc ita se haberent*. Quas vtique scripturas, nisi canonicas legis, & Prophetarũ? Huc accesserũt Euãgelia, Apostolicæ epistolæ, Actus Apostolorũ, Apocalypsis Ioannis. Scrutamini hæc omnia, & eruite aliquid manifestum, quo demonstretis Ecclesiam vel in sola Aphrica remansisse, vel ex Aphrica futuram esse, vt impleatur quod Dominus dicit, *prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimoniũ omnibus gentibus, & tunc veniet finis*. Sed aliq̃d proferte, quod non egeat interprete, nec vnde conuincamini, quod de alia re dictum sit, & vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini. Videtis enim nunc illud vnicum quod proferre consuestis, *vbi pascis vbi cubas in meridie*, quemadmodum excussis omnibus eiusdem loci verbis, longè aliud indicat quam vos putatis. Et si hoc sonaret quod vultis, Maximianistæ vos in eo vincerẽt. Magis enim meridies Prouincia, Byzantiũ, Tripolis, vbi illi sunt quicunq; sunt, q̃ Numidia vbi vos ꝓpolletis. Ita ergo ipsi germanius & distinctius possunt de meridie gloriari, vt eos excludere ab hac sententia nõ possitis, nisi in illis verbis verũ sensum & Catholicũ teneatis, ostendentes eis secundũ quatuor angulos orbis terrarũ ab Austro magis quã ab Aphrico esse meridiẽ; secundũ figuratas autem scriptu-

Matth. 24.

Reperit vulgare κρηστφύγετον Donatistarũ.

Vide supra cap. 16. & Epist. 48. ad Vincent.

rarũ locutiones, perfectã mentis illuminationé, feruoréq; maximũ charitatis, vocari meridié. Vnde scriptũ est, *Et tenebræ tuæ tanquã meridies erunt.* Aliquid ergò proferre quod non contra vos verius interpretetur, sed quod interprete omnino non egeat. Sicut non eget interprete: *In semine tuo benedicẽtur omnes*, quia semen Abrahæ Christum, non ego, sed Apostolus interpretatur. Sicut non eget interprete, *Tu enim vocaberis voluntas mea, & terra tua orbis terrarum*: quia ei dicitur, quam nemo Christianus, nisi Ecclesiam Christi intelligit. Sicut non eget interprete, *commemorabuntur & cõuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ gentium, quoniam ipsius est regnum, & ipse dominabitur gentium*, quia in eo Psalmo dicitur, vbi passio Domini etiam teste Euangelio declaratur. Sicut non eget interprete: *Quia oportebat Christum pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Hierusalẽ*, sicut non eget interprete: *Eritis mihi testes in Hierusalẽ, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsq; in totã terrã.* Cœpisse enim ecclesiã ab Hierusalé, atq; inde isse circũ Iudæã, & Samariã, & cęteras gentes, cõsequẽtia gesta testãtur, Canonicis firmata documẽtis. Sicut nõ eget interprete, *Et prædicabitur hoc Euangeliũ regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus,*

Esai. 58. Genes. 22. Gal. 3. Esai. 62. Psalm. 21. Luc. 24. Actor. 1. Matth. 24.

& tunc veniet finis. Interrogatus enim Dominus de fine huius seculi, cũ quædã initia parturitionũ dixisset, ait, *sed nondũ statim finis.* Finẽ autẽ futurum prædixit, post prædicationem Euangelii in vniuerso orbe in omnibus gentibus. Sicut non eget inter-
Matth. 13. prete: *Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem:* quia cum egeret interprete, ipse Dominus interpretatus est, & ipse exposuit, cui nemo cõtradicere potest, maximè in ea parabola, quæ ab illo prolata est: & ipse ait, *bonum semẽ esse filios regni, agrum mundũ, messem finem seculi.* Tale aliquid proferte vel vnũ, quo apertissimè Aphrica declaretur, vel in reliquis sola derelicta, vel ad principium renouandi, & implẽdi orbis sola ser-
NB. uatã. *Neq; enim tot testimoniis commendaretur quod erat citò periturum: & sic taceretur, aut quod solum esset relinquẽdum, aut ex quo solo totũ esset reparandum & implendũ.* Si autem nõ potestis quod tam iuste à vobis flagitamus ostendere, credite veritati, conticescite, obdormiscite, à furore expergi-
Obiectio 9. scimini in salutem. An adhuc dicitis *si apud vos est Ecclesia, vt quid nos ad eius pacem persequendo compellitis? aut si mali sumus, quid nos quæritis? Et si zizania sumus, sinite nos crescere vsq; ad messem,* quasi nos quibus modis possumus, aliud agamus nisi ne triticum simul eradicetur, dum ante tempus zizania separantur. Quicunq; enim boni in æter-

in æternum futuri sunt, etsi ad tempus mali sunt, *non zizania, sed triticum sunt in præscientia Dei.* Sic autem nos accusatis, quasi e vos quæramus si mali estis: quasi non eo perieritis, quo mali estis: & ideò sitis quærendi quia peristis, vt perditi quæramini, quæsiti inueniamini, inuenti reuocemini, sicut illa *ouis* à pastore, sicut illa *drachma* à muliere, sicut ille *filius, qui mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.* Ille vos enim quærit, qui in sanctis habitat, & imperat vt quæramini.

Zizania quædam in Dei præsc. e tia triticū.

Luc. 15.

ANALYSIS CAP. XIX.

Occasione præcedentis capitis, vbi in fine inciderat mentio Doctorum, Conciliorum, Visorum & Prodigiorum Donatisticorum: Proponit nunc 8. obiectionem, eaque ibi nudè reiecta paulò plenius refutat.

Obiectio autem huiusmodi est, Doctores & Episcopi nostri viri sunt magna authoritate præditi: Mirabilia etiam in nobis facta sunt: Ad memorias nostras exauditiones consecutæ: Fratres nostri hæc & illa somnia visaque habuerunt. E. non adeò profana communio nostra esse potest.

Obiectio 8.

Respondet Augustinus ad singula, quanquam non ordine. *Primum* enim in genere somnia, visa, & miracula vel vt mendacia hominum, vel vt portenta spirituum malorū reiicit. *Deinde* in specie miracula refellit ex verbis Christi Matth. 24. & Pauli 1. ad Timoth. 4. Posteaque multis interpositis hanc sententiam subnectit, ipsam quoque Catholicam Ecclesiam miraculis non manifestari. Qualem quoque locum habet *tract. 13. in Iohannem.* Quod quomodo intelligendum, Illustriss. *Bellarminus* expli-

Miraculis quomodo non ostendatur Ecclesia.

cauit lib. *de notis Ecclesiæ cap. 14.* Nam contrario modo loquitur August. lib. *contra Epistol. Fundamenti cap. 4. & 5.* vbi dicit, Ecclesiam demonstrari ex miraculis, non ex scripturis, immò scripturas demonstrari ex Ecclesia. Ne igitur secum pugnet, dicendum est, in vtroquè loco eum loqui *ex Hypothesi.* Quia enim Manichæi admittebant miracula, & negabant scripturas, (Nam veterem dicebant esse à Diabolo, nouam dicebant esse totam corruptam à falsariis;) Augustinus in *libro contra Epistolam Fundamenti* ex miraculis demõstrat Ecclesiam, deinde ex Ecclesia demonstrat scripturam. Sed quia Donatistæ credebant scripturæ tàm veteri, quàm nouæ, & iactabant suas visiones contemnentes miracula Ecclesiæ, ideò Augustinus contra Donatistas alia via procedit, & ex scripturis demonstrat Ecclesiam, deinde per Ecclesiam vult iudicari de miraculis.

Responsio Bellarmini.

Est autem obseruandum (addit ibidem Bellarminus) rectè demonstrari ex miraculis Ecclesiam, & ex Ecclesia miracula, sed diuerso genere demonstrationis; quemadmodum ex effectu demõstratur causa, & ex causa effectus; ex miraculis demonstratur Ecclesia, nõ quo ad euidentiam, vel certitudinẽ rei, sed quo ad *euidentiã & certitudinem credibilitatis,* cuius rei ratio est, quia ante approbationẽ Ecclesiæ, nõ est euidens aut certũ certitudine fidei de vllo miraculo, quod sit verũ miraculum; tamen est tale, vt euidenter faciat rem credibilẽ: Et quidem, quod non sit euidens, patet, quia tunc fides esset euidens; quòd non sit certum certitudine fidei, patet, quia nõ constat nobis certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non esse illusionẽ Dæmonis; Dæmon enim etsi non potest facere verè miracula, tamen potest facere apparenter etiam maxima quæque.

Quomodo mutuò Ecclesia ex miraculis: & miracula ex Ecclesia demonstrẽtur.

Tertiò respondet Augustin. ad exauditiones precum, quòd *homo non pro merito loci, sed pro merito desiderii exaudiatur.* 2. Quòd multi Deo irato exaudiantur, quemadmodum multi Deo propitio non exau-

Exauditiones precum.

exaudiantur, exẽplo Apostoli 1. Corinth 12. 3. Quòd etiam Iudæi in excelsis, & Pagani in suis fanis, & hæretici in suis lustris exaudiantur. 4. Et in rebus tantum temporalibus, non in iis quæ ad salutem spectant, ad quā nemo peruenit, nisi qui est in corpore Christi Ecclesia. Hinc relabitur ad superiorem disputationem, & bestiam tricipitem vulgarium criminationum de traditione, thurificatione & persecutione ab hac disputatione remouet.

Post hæc ad authoritatem Doctorum respondet, tam illis non inhærendum, vt & ipse de suo iure cedat, & ne Catholicos quidē Episcopos vel Concilia suæ causæ probandæ adhiberi velit. Qua concessione (nihil enim hic nisi mera & libera in re aperta, & manifestis scripturæ testimoniis abundante concessio est) ne quis cum hæreticis ad proculcandam saluberrimam Conciliorum & Patrū authoritatē abutatur: Videat quæ *Illustriss. Bellarminus hac de re scripsit lib. 3. de Verbo Dei cap. 10. & lib. 2. de Conciliorum authoritate cap. 7.* *Authoritas Doctorum & Conciliorum.*

Atque hic ponit illud quod supra de miraculis diximus, refertque memorabilem historiam de reliquiis sanctorum Geruasii & Protasii, quam ipsam quoque attingit lib. 9. confess. cap. 7. *Tunc memorato Antistiti tuo* (Ambrosio Mediolanensi) *per visum aperuisti, quo loco laterent Martyrum corpora Protasii & Geruasii, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, vnde opportunè promeres ad coërcendam rabiem fœmineam, sed regiam. Cùm enim propalata & effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam, non solùm quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem Dæmonibus sanabantur, verum etiam quidam plures annos cæcus ciuis ciuitatiq; notissimus cùm populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset atq; audisset, exiluit, eoque se vt duceret, suum ducem rogauit. Quò perductus, impetrauit admitti, vt sudario tangeret feretrum pretiosa in conspectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod vbi fecit atque admouit oculis,* *Reliquiæ Geruasii et Protasii.* *Cæcus reliquiis Sanctorum sanatus.*

confe-

confestim aperti sunt. Inde illius inimica animus etsi ad credends sanitatem non applicitus, à persequendi tamen furore compressus est.

His igitur ac similibus à disputatione remotis, in hac causa solam scripturam adhiberi monet, exemplo *Berrhoensium*: Sed manifestam & propriam, vbi iterum vulgare ipsorum effugium de MERIDIE aliorum Illustrium locorum collatione reiicit.

Obiectio 9. OBIECTIO IX. Si apud vos est Ecclesia, quid persequendo nos ad eam compellitis? Item si mali sumus, quid nos quæritis?

Respons. prius membru n de persecutione differre in caput sequens. Posterius ita soluit, quemadmodum & Epist. 48. & Epistola 50. *Quærimus vos iniustos, ne permaneatis iniusti. Quærimus perditos, vt de inuentis gaudere possimus, dicentes mortuus erat frater & reuixit, perierat & inuentus est. Quærimus vos, quia peristis, vt de inuentis gaudeamus, de quibus perditis dolebamus. Hæreticos autem vos esse dicimus, sed antequam ad pacem Catholicam conuertamini, antequam errore quo irretiti estis exuamini. Cùm autem transitis ad nos, prius vtique relinquitis, quod eratis, ne ad nos hæretici transeatis.*

CAPVT XX.

Obiectio decima de persecutione.

DE persecutione autem vestra querela sedabitur, si cogitetis & intelligatis prius, *non omnem persecutionem esse culpabilem*, alioquin non laudabiliter diceretur,

Psal. 110. *detrahentẽ secretò proximo suo, hunc persequebar.* Nam quotidiè videmus, & filiũ de patre

Persecutio quædam licita. tanquam de persecutore suo conqueri, & coniugem de marito, & seruum de Domino,

no, & colonum de poſſeſſore, & reum de iudice, & militem vel prouincialem de duce & rege, cùm illi plerumque ordinatiſſima poteſtate ſibi homines ſubditos per terrores leuiorum pœnarum à grauioribus malis prohibeant atque compeſcant. plerumque autem à bona vita, & à bonis factis minando & ſæuiendo deterreant: Sed cùm à malo & illicito prohibent, correctores & conſultores ſunt; Cùm autem à bono & licito, perſecutores & oppreſſores ſunt. Culpantur etiam qui prohibent à malo, ſi modum peccati modus coërcitionis excedat. Item iurè culpandi ſunt, qui turbidè atque inordinatè in eos coërcendos inſiliunt, qui nulla ſibi lege ſubiecti ſunt. Proinde Circumcellionum veſtrorum inordinatas licentias & ſuperbas inſanias iuſtè reprehendimus, etiam cum aliquibus peſſimis violenti ſunt: quia *illicita illicitè vindicare, & ab illicitis illicitè deterrere, non eſt bonum*. Cùm verò & innocentes vel cauſa incognita, vel iniquiſſimis inimicitiis perſequuntur, quis eorum latrocinia non perhorreſcit? At verò quòd *Maximianiſtarum* furorem legibus publicis coërcendum putaſtis, vt eos per iuſſa iudicum & executionem officiorum, & auxilia ciuitatum pulſos de Baſilicis quas tenebant ad conſiderationem ſui ſceleris argueretis; non reprehendimus, niſi quia hoc in eis inſectati eſtis, quod ipſi feciſtis: imò multò leuius quàm

Correctio qua et quatenus licita.

Circumcellionũ furia.

quàm feciſtis. Illi enim aduerſus partem Donati, vos autem aduerſus orbem terrarum & aduerſus eius verba, qui Eccleſiam ſuam incipientem ab Hieruſalé per omnes gentes commendauit, ſacrilegæ diſſenſionis altare erexiſtis. Porrò ſi *Maximianiſtæ* iuſſionibus iudicum aduerſum ſe impetratis illicitè & furioſè reſiſtere auderent, nonnè ipſi ſibi iudicium acquirerent? dicẽte Apoſtolo: *qui enim reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autẽ reſiſtunt, ipſi ſibi iudicium acquirunt. Principes enim non ſunt timori bono operi, ſed malo.* Cùm ergò eorum malũ opus exiſteret, quod vos per ordinatas poteſtates cohibere conabamini, ſi vellẽt illi ꝑ ipſo malo opere ſuo peiore opere legibus aduerſari, nunquid à vobis & non à ſeipſis quicquid eis mali accideret, paterentur? Quemadmodũ quicunq; voluiſſet dicere *blaſphemiã in Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago*, & ſecundum edictũ regis cum domo ſua diſperderetur, nunquid hoc ab iſtis tribus viris, quibus de igne liberatis rex cõmotus illud edixerat, aut verò etiam ab ipſo rege, ac non potius à ſe ipſis illa digna mala paterentur? Si etiam *quadraginta illi Iudæi, qui Paulum interficere coniurauerant*, in armatos, à quibus ordinata tuitione idem Paulus deducebatur, irruiſſent, nunquid eos Paulus ac non ſeipſi poteſtatibus reſiſtendo peremiſſent? Quapropter & vos ſine tumultu animi, ſiue turbulẽta contentio-

Luc. 24. *Roman. 13.* *Qui ſcientes contra legem peccant, ſua culpa pereunt.* *Dan. 3.* *Act. 23.*

tentione, siue amaritudine odiorum considerate diligenter ea, quæ contra vos reges nostræ communionis constituunt, qua causâ patiamini. Et si vos in Ecclesia Christi esse inueneritis, gaudete, & exultate, *quia merces vestra multa est in cælis.* Vos enim tanquam martyres coronamini, illi autem tanquam persecutores martyrum iudicantur. Si autem vos contra Ecclesiam Christi altare erexisse, & à Christiana vnitate, quæ toto orbe diffunditur, sacrilego schismate separatos esse, & corpori Christi, quod est Ecclesia toto orbe diffusa, & rebaptizando, & blasphemando, & quantum potestis oppugnando aduersari, sancta & Canonica scriptura conuincit, vos impii atque sacrilegi; illi autem, qui vos pro tanto scelere tam leniter damnorum admonitionibus, vel locorum, vel honorum, vel pecuniæ priuatione deterrendos coërcendosque decernunt, vt cogitantes quare ista patiamini, sacrilegium vestrum cognitum fugiatis, & ab æterna damnatione liberemini, & rectores diligentissimi, & consultores piissimi deputantur. *Hanc vobis dilectionem debent Christiani Catholici Imperatores*, vt sacrilegia vestra & propter Christianam mansuetudinem, non pro merito punienda decernant; & propter Christianam solicitudinem non omninò impunita dimittant. Hoc in eis Deus operatur, cuius misericordiam etiam

Matth. 5.

Reges Catholicos merito & ex officio hæreticos compescere.

etiam in his molestiis, de quibus conqueremini, non vultis agnoscere. Nos autem quantum in nobis est, quantum Dominus donat atque permittit, nec ipsas leges leuissimæ coërcitionis aduersus vos mouemus, nisi vt Ecclesia Catholica propter infirmorum fragilitatem, vt eis liceat sine timore eligere quid teneant, vel sequantur, à vestris terroribus libera præstetur: vt si aliquid vestri in nostros violenter fecerint, tunc vos quoque tanquam obsides in fundis, & in ciuitatibus habemus, non qualia vestri faciunt, patiamini, sed per ordinata iudicia subiecti legibus damno pecuniario vapuletis. Quod si vobis graue videtur, vestri nobis parcant, & quiescant. Si autem in nos non quiescendo illi sæuiunt, qui vel sub vobis, vel vobiscum sunt: quod de nobis conqueramini non habetis: qui in vestra, vel vestrorum potestate posuimus, vt etiam sectantes hæresim vestram, nulla damna patiamini, si nullas Catholica siue à vobis, siue à vestris violentias patiatur. Quod si aliquæ factæ fuerint, vobis inuitis & compescere non valentibus; misericorditer ipsis damnis, & iustè admonemini, quales habeatis à quibus vos contaminari non putatis; atque hinc intelligere cogimini, quàm inanes calumnias Ecclesiæ Christi toto orbe diffusæ faciatis. Neque iam nobis obiiciatis, quod persequimur vos; sed vestris potius, si & nos suis violen-

violentiis infeſtari, & vos publicis legibus malunt conteri, quàm ſe à ſolito furore ſedari. Si quid ſanè à noſtris Chriſtianæ charitatis modum votumque non cuſtodientibus odioſè & pernicioſè patimini, non eſſe illos noſtros citò dixerim, ſed aut futuros, ſi ſe correxerint; aut in fine ſeparandos, ſi in malitia perdurarint: nos tamen nec propter piſces malos retia rumpimus, nec propter vaſa in contumeliam facta domum magnam deſerimus. Quod ſi vos quoque illos, à quibus talia Catholica patitur, non eſſe veſtros eadem regula dicitis, probate animum veſtrum, corrigite errorem, amplectimini vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Nam ſi nec vos illi contaminant, nec nos iſti, non nobis inuicem alienis criminibus calumniemur: in vna charitate frumenta creſcamus ſimul, vſque ad ventilabrum paleam toleremus. Quamobrem ſi nullo interprete indigent Canonicarum ſcripturarum teſtimonia, quæ commendant Eccleſiam in totius orbis communione conſiſtere; & ſeparationi veſtræ in Aphrica conſtitutæ, ex eiſdem libris nulla talia poteſtis inuenire ſuffragia, nec iuſtè de perſecutionibus conquerimini, quas grauiores ipſa perpetitur, quo latius diffūditur; fide ac ſpe & charitate omnia tolerat, non tantum talia, qualia veſtri Circumcelliones, & eorum ſimiles vbi poſſunt membris eius infligunt, ſed omnia va-

Excuſatio immodicæ ſeueritatis.

Matth. 13.
2. Tim. 2.

Eccleſia nō facit, ſed patitur perſecutionem.

Bb riarum

riarum iniquitatũ ſcandala per vniuerſum mundũ ſcatentia, de quibus Dominus exclamauit, *Væ mundo ab ſcandalis.* Grauius enim perſequitur filius patrẽ malè viuendo, quã pater filiũ caſtigando. Et grauius ancilla Sarã perſecuta eſt per iniquã ſuperbiam, quàm eã Sara per debitã diſciplinam. Et grauius Dominũ perſequebantur, propter quos dictum eſt, *Zelus domus tuæ comedit me*, quàm eos ipſe cùm eorum menſas euertit, & eos flagello de templo expulit.

Matth. 18. *Geneſ. 16.* *Pſal. 68.*

ANALYSIS CAP. XX.

Perſecutionis calumniam, omnibus ſemper hæreticis vſitatam, & à Donatiſtis ad rauim vſque inculcatam, è ſuperiori capite huc reſeruauit Auguſtinus, & nunc latè copioſeque confutat. Vbi animis auribusq; præſentes ſint rogo noſtri turbatores, qui legitima Catholicorũ bella, quibus ſe ſuasque poſſeſſiones ab iſtorum furore flammisq; vix ægrè tutantur, omnibus modis inceſſere, ac tanquã Antichriſti ſæuiſſimas ac crudeliſſimas ſcilicet perſecutiones traducere non ceſſant. *Vide Caluinum præfat. Inſtit. Bezam volum. 3. 379. l. 24.*

Hæreticorũ querela de perſecutione.

Reſpondet primò Auguſtinus, non omnem perſecutionem eſſe culpabilem, ex *Pſalm. 110.* Et quotidianis exemplis, vbi filius de patre, ſeruus de Domino, reus de iudice etiam iuſtiſſimè ſcelera caſtigante non aliter ac de perſecutore quæritur. Ergo quiſquis à bono minando & ſæuiendo deterret, vel coërcitionis modum excedit, vel turbidè atq; inordinate in nõ ſubiectos fertur, perſecutor eſt. Qui verò diuinitus ſibi conceſſa poteſtate homines ſibi ſubditos per terrores leuiorũ pœnarũ à grauioribus malis prohibet, & compeſcit, perſecutor nõ eſt.

Reſponſio Auguſtini.

Deinde per retorſionem: Donatiſtæ potiùs, & Circumcelliones perſecutores habendi, qui non tantum

tantum in impios illicitè, sed & in bonos causa incognita crudeliter sæuiunt: & suos schismaticos *Maximianistas*, ferro & legibus vrgent. Quod exemplum amplificat à comparatis. *Maximianistæ* si legibus sibi latis aduersantur, dicitis, eos (Donatistæ) sibi iustum iudicium acquirere. Quantò rectius orbis terrarũ, cuius legibus æquissimis vos resistitis, hoc de vobis dicere potest, quod vestra culpa petulanter & consultò pereatis? Huc pertinent exempla *Danielis* 3. & *Actor*. 23.

Tertiò ostendit iustissimam habere Reges Catholicos causam Donatistas persequendi: vt pote qui sacrilego schismate obstricti sint, à quo vt liberentur, Christianorum est, neq; nimis sæuire, neque etiam planè conticescere, cũ duplex charitas sit, alia seueritatis, quæ virgam habet, alia mansuetudinis, quæ modum iræ ponit, quemadmodum pulchrè distinxit August. *lib.3. cont. Parm. cap. 1.* Imò Deus opera Magistratuũ, & lenibus coërcitionibus malos ab interitu sempiterno reuocat. Et infirmiorũ necessitati cõsulit, quò à vestris incursionibus & seductionibus tuti sint. Tum denique vestra proteruia sæpe pœnas vobis exasperat, vt si vapulare nolitis, quiescere debeatis.

Occupatio. Si quid tale fit à nostris Circumcellionibus, nobis inuitis fit. *Respons.* Cogitate igitur quod in quæstione est, bonos malorum consortio non contaminari. 2. Vicissim. Si nostri interdum puniendo Christianæ charitatis modum excedunt, credite id nobis inuitis fieri, & tales vel non re ipsa nostros esse, vel tandem non futuros.

Postremò concludit, Ecclesiam potius persecutionem pati quàm inferre. Grauius enim persequitur filius patrẽ malè viuendo, quã pater castigando, &c. Ad hæc mẽbra reuocabit lector omnia, quę hoc toto capite satis prolixo dicũtur. Quibus intelligẽdis, conferat ea, quæ alibi quoq; de hac causa ab Augustino scripta sunt, vt *lib. 1. contra Parmenianum cap. 8. & 9.* Quæ duo loca Apologiæ nostræ ascripsimus pag. 120. & 121.

Cõtra querelam persecutionis.

Et lib. 3. contra Epistol. Parm. cap. 6. *Quæ cùm ita sint, audent sacrilega schismata vel hæreses impia, si quando in flagello vt se corrigant admonentur, pœnas furoru sui etiam inter martyria deputare. Quod existimans etiam Parmenianus, in fine Epistolæ suæ exhortatur Ticonium, vt in parte Donati permaneat, & persecutiones perferat, dicens non se debere voluntate coniungi eis, quibus persecutione cogente non iuncti sunt, adhibens etiam testimonium scripturæ dicentis. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient cùm inspicere cœperit eos Dominus? more suo cuncta de diuinis libris aduersus seipsos proponentes*, &c.

Idem lib. 1. contra Gaudentium ca. 19. Cùm Gaudentius obiiceret, pugnare cum libertate arbitrii, pœnâ hominem ad fidem vel vnitatem cogere, respondet Augustinus: *Secundum istas vestras fallacissimas vanissimasq; rationes, habenis laxatis atque dimissis, humanæ licentiæ impunita peccata omnia relinquentur, nullis oppositis repagulis legum, nocendi audacia, & lasciuien: i libido bachetur, non rex suum regnum, non dux militem, non prouincialem iudex, non Dominus seruum, non maritus vxorem, nec pater filiũ à libertate & suauitate peccandi minis vllis pœnisue compescat. Clamate si audetis, puniantur homicidia, puniantur adulteria, puniantur cætera quantalibet sceleris siue libidinis facinora seu flagitia, sola sacrilegia volumus à regnantium legibus impunita. O dolor, fraudata sunt tali magisterio tempora antiqua, quoniam nondum eras natus, quando sanctus Moyses iniurias suas leuissimè pertulit, Dei verò seuerissimè vindicauit. Datum est ergo homini quando creatus est, liberum arbitrium; sed vt si esset malefaciens, fieret patiens. Denique illi primi homines cùm peccassent, morte damnati sunt, & prius quàm mors eis extrema etiam corporis suppleretur, in exilium de paradiso missi sunt. Mitiora constituit in vos Imperator propter mansuetudinem Christianam. Exilium vobis voluit inferre, non mortem: sed vos homines docti considerantes*

Hæreses eodẽ loco habendæ, quo homicidiã, adulteria.

Exiliũ decretum hæreticis.

tes quid debeatur merito, & quid minus sit in supplicio, non de iudicio illius, sed de vestro additis mortem Nolite perire in æternum, dum vobis hoc tempore ad offendendum Deum concedi ab hominibus vultis liberum arbitrium. Audi Apostolum, & habebis magnum compendium, quo tibi regia potestas nocere non possit: Bonum fac & habebis laudem ex illa. Ex illa & Rom. 13. *ante nos iusti habuerunt laudem, non solum qui regibus religiosis fideliter paruerunt, verum etiam qui reges impios pro Dei veritate aduersarios pertulerunt: Illi laudem obaudiționis, vtrique tamen ex illa, sed bonum faciendo, non potestatibus resistendo. Quod autem vos facitis, non solum bonum non est, sed grande malum est, vnitatem Christi pacemque conscindere contra promissa Euangelica rebellare, & aduersus eum de quo dictum est: Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ: Hoc est,* Psalm.71. *aduersus verum & summum Regem Christianorum, tanquam ciuili bello Christiana signa portare. Sufficiat ergo vobis ad occasionem correctionis, quod pro tam magnis malis vestris longè mitiora & minora recepistis.*

Ibidem cap. 20. Cùm pro se quoque citaret Gaudentius illud Matth. 5. Beati estis cùm vos persequuntur homines, &c. *Rectè* (inquit Augustinus) *ista dicerentur à vobis quærentibus martyrum gloriam, si haberetis martyrum causam. Non enim felices ait Dominus, qui mala ista patiuntur, sed qui propter filium hominis patiuntur, qui est Christus Iesus. Vos autem non propter ipsum patimini, sed contra ipsum. Patimini quippe ideo, quia non ei creditis: & toleratis ideo, ne credatis. Quomodo ergo vos eam fidem tenere iactatis, quam Dominus Christus Apostolis dereliquit? An vsque adeò cæcos & surdos vultis esse homines, vt non legant, non audiant Euangelium, vbi nouerint quam fidem de sua Ecclesia Dominus Christus Apostolis dereliquit: ex qua diuisi atque separati, nihil aliud facitis quam contra verba capitis & corporis rebellatis, & tamen propter filium hominis ac fi-* Hæreticorũ martyres.

dem quam reliquit Apostolis, vos persecutionem sustinere iactatis? Multi quippe erant futuri per vniuersas partes terræ, vendicaturi sibi nomen Ecclesiæ, & contra vniuersam domum quæ per vniuersam terram cantat canticum nouum, de quo scriptum est: Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra: de suarum quisque ruinarum angulis latraturi.

Psal. 95.

Ibidem cap. 28.

Nolite itaque falli quòd vobis dictum sit, veniet hora quando qui vos occiderint, putent se officium facere Deo: *Aut sicut tu hic testimonium posuisti, putent se victimā dare Deo. Non quidem hoc esse dictum de persecutionibus, quas gentes Ecclesiæ fecerunt, manifestum est. Diis enim suis plurimis, qui vtiq; non sunt, deputauerunt se gentiles officium facere, cum hoc facerent vni Deo. Vnde hoc idem quod Dominus prædixit suis, aut per Iudæos impletum est, qui sanctum Stephanum & multos alios occiderunt, dum putabant se officium Deo facere, quoniam vnum verum Deum colere videbantur: aut etiam nobis, id est Catholicis dictum est, de diuersis hæreticis vsquequaque furentibus, qui vbi possunt, & quando possunt & quomodo possunt occidendo Catholicos, putant se officium Deo facere, maximeq; de vobis qui præcipuum vobis nomen fecistis in Africa de talibus victimis.*

Cogere ad veritatem vtrum liceat.

Denique ibidem cap. 25. *Quod autem vobis videtur, multos ad veritatem non esse cogendos, erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inuiti. Nam reprobatis quibusdam, qui vtique intelliguntur Iudæi, quia ipsi per Prophetas anteà fuerant inuitati, & ad horam excusare maluerunt: ait Dominus seruo suo: Exi in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Et ait seruus Domino, Factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea, intelligimus vias, hæreses: schismata, sepes. Viæ quippe hoc loco significant diuersas opiniones, sepes autem peruersas opiniones.* Plura huius

Luc. 14.

Viæ hæreses: sepes schismata.

huius generis vide *lib. 2. contra Petil. cap. 19. & 20.* Et *in breuiculo collationis Actis 3. diei cap 8.* Et *lib 1. contra Gaudentium cap 26. 27. 28.* Item duabus Epistolis, *48. ad Vincentium*, & *50. ad Bonifacium*, quas propterea ad calcem Apologiæ nostræ nuper adiecimus. Denique supra in Cypriano confutati argument. 2. cap. 10. p.223.

CAPVT XXI.

Obiectio vndecima, de Anabaptismo hæreticorum.

QVid habetis amplius quod dicatis? An illud vltimum vestrum iam placet in medium proferamus? *Ecce*, inquiunt, *vos tenetis Ecclesiam. Quomodo nos suscipitis si ad vos transire voluerimus?* Breuiter respondeo: sic vos suscipimus, quomodo suscipit Ecclesia, quam in sanctis libris Canonicis inuenimus. Deposita quippe animositate contradicendi, qua tument omnes, qui veritate Dei vinci nolunt, & sua peruersitate vincuntur, facilè potestis intelligere, & in bonis esse & in malis Sacramenta diuina, sed in illis ad salutem, in malis ad damnationem. Et cùm tantum distet inter eos qui hæc dignè indigneq; tractauerint: Ipsa tamen eadem sunt, illis ad præmium valentia, illis ad iudicium. Quapropter quando plures, quàm *Ioannes* Dominus baptizabat: Sicut in Euangelio scriptum est, vbi subiecit Euangelista. *Quamuis ipse non baptizabat, sed discipuli eius,* *Ioannis 4.*

 cùm

Baptismus discipulorũ Christi ante passionẽ eius Christi fuit baptismus.

Cùm tantùm distaret inter Petrum & Iudam, nihil tamen distabat inter baptismum, qui dabatur per Petrum, & qui dabatur per Iudam. Illud enim quod per eos dabatur, vnum erat, cùm ipsi non essent vnum. Et illud Christi erat; illorum autem vnus ad membra Christi, alter ad partem diaboli pertinebat. Cùm verò Ioan. Baptista & Paulus Apostolus vnum essent, quia vterque sponsi amicus erat, tamen quia *non erat vnus baptismus qui dabatur à Ioanne, & qui dabatur à Paulo, iussit Paulus Christi baptismo baptizari eos, qui baptismo Ioannis fuerant baptizati.* Itaque ille baptismus Ioannis dictus est, qui autem per Paulum datus est, non est dictus baptismus Pauli, sed *iussit eos*, inquit, *baptizari in Christo.* Ecce vnum sunt Ioannes & Paulus, & non vnum dant. Ecce non sunt vnum Petrus & Iudas, & vnum dant. At verò Petrus & Paulus & vnum sunt, & vnum dant. *Abraham & Cornelius* ex fide iustificati vnum sunt, & non vnum Sacramentum acceperunt. Idemque *Cornelius* & *Simon Magus* non sunt vnum, & vnum Sacramentũ acceperunt. At verò *Cornelius* & ille Spado, quem *Philippus* in itinere baptizauit, & vnũ sunt, & vnum Sacramentũ acceperunt. Cũ ergo vnum est Sacramentũ, nec diuersi datores, nec diuersi perceptores faciunt, vt non sit vnũ quod vnũ est. Isti autem cũ volũt hominũ esse quod Christi est,

Iohannis Baptismus non idem qui Baptismus Christi & Apostolorum.

Act. 19.

res

res falsissimas & absurdissimas persuadere conantur, vt propè tot sint baptismi, quot homines per quos dantur. Itaque illud quod Dominus ait de homine, & opere hominis, *Arbor bona bonos fructus facit, arbor mala fructus malos facit*, isti adhoc detorquere conantur, vt à bono baptizatus bonus sit, & à malo baptizatus malus sit. Vnde sequitur eos etiam si nolint, vt à meliore baptizatus melior sit, & ab inferiore baptizatus inferior sit. Ex quo fit, vt illi quos antè Domini passionem non ipse *Iesus* baptizabat, sed discipuli eius, multo sanctius nascerentur, si ab ipso baptizarentur. Quis enim vel cogitare possit, quantum intererat inter ipsum, & discipulos eius à quibus baptizabantur. Ergo inuidit eis sanctiorem generationem, quos à discipulis suis sese hîc constituto maluit baptizari. Quod vtique quisquis credit insanus est. Quid ergo Dominus eo ipso demonstrare dignatus est, nisi suum esse quod daretur, per quemlibet daretur, & se baptizare, de quo amicus ille sponsi dixerat, *hic est qui baptizat*, per cuiuslibet manus ministri baptizaretur, qui credidisset in eum? Dicit etiam Paulus, *Gratias Deo, quod neminem vestrum baptizaui, nisi Crispum & Caium, ne quis dicat quod in nomine meo baptizaui.* Et iste ergo credatur inuidisse hominibus meliorem sanctificationem, si quanto melior erat, tanto melius poterant baptizari, qui

Exceptio Donatistarum.

Matth. 7.

Ioanni. 1.

1. Cor. 1.

ab illo baptizarentur: Imò verò ad hoc ipsum vigilauit cautissimi & fidelissimi dispensatoris intentio, ne quisquā ideò sanctius se baptizatum putaret, quòd à ministro sanctiore baptizaretur: & quod Domini erat seruo tribueret. Cum igitur boni & mali dent, & accipiant baptismi Sacramentum, nec regenerati spiritaliter in corpus & membra Christi coædificentur nisi boni, profectò in bonis est illa Ecclesia, cui dicitur, *sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum.* In his est enim qui ædificant super petram, id est, qui audiunt verba Christi, & faciunt. Quia & Petro confitenti se Christum filium Dei, sic ait, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Non ergò in eis qui ædificant super arenam, id est, qui audiunt verba Christi, & non faciunt. Ipse enim dixit, *qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eū viro sapienti, qui ædificat domum suam super petram.* Et ibidem paulo post, *qui audit,* inquit, *verba mea hæc, & non facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam.* Qui ergò compage charitatis incorporati sunt ædificio super petram constituto, & lilio inter spinas candenti, ipsi vtique possidebunt regnum Dei. Qui autem super arenam ædificāt, vel in spinis deputantur, quis dubitauerit, quòd regnum Dei non possidebunt?

Cantic. 2.

Matth. 16.

Matt. 7.

Nihil

Nihil vtique prodeſt talibus baptiſmi Sacramentum, nec tamen propter eorum inſtabile fundamentum, ſterilemque malitiam etiam Sacramento quod habent, vlla iniuria facienda eſt.

ANALYSIS CAP. XXI.

POSTREMA Obiectio eſt à fœdo Donatiſtarum errore *Anabaptiſmo*, quem ipſam etiam naturam horrere, ſcribit *Auguſtinus* lib. 5. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 5. Vt Mirum & deplorandum, hanc tam execrabilem hæreſin noſtro etiam ſeculo à fanaticis Mennoniſtis in lucem ab inferis reuocari potuiſſe. Aduerſus quem errorem quia tam multa ab Auguſtino contra *Parmenianum*, *Petilianum*, *Gaudentium*, denique *ſeptem libris de baptiſmo* ſcripta ſint, non video cur nos prolixius ea in re immoremur. Contenti igitur ſimplici articulorum indicatione, lectoris diligentiæ cætera commendabimus.

Eſt igitur 11. *Obiectio huiuſmodi.* Si Donatiſtis ad Catholicos tranſeundum eſt, nouo baptiſmo indigebunt, quia ab hæreticis baptizati ſunt. At Catholici neminem à quocunque baptizatum, rebaptizant. Ergò neque eorum communio nobis amplectenda videtur.

Reſpondet Auguſtin. falſum eſſe connexum, neque hæreticis ad Eccleſiam venientibus nouo baptiſmo opus eſſe: quia nullum is diſcrimen accipit à dignitate perſonarum, ſed extra Eccleſiam etiam eſſe poteſt, etſi prodeſſe non poteſt.

Hoc enunciatum probat aliquot argumentis. I. Si baptiſmus à dignitate perſonæ penderet, Chriſtus

Christus ipse omnium dignissimus baptizare debuisset, quod tamen non fecit. *Ioan. 4.* Deinde neque Iudas omnium pessimus baptizare debuisset. Cuius tamen baptismus eodem loco fuit, quo baptismus Petri & cæterorum Apostolorum.

Iohannis Baptismus alius à Baptismo Christi & Apostolorum.

Tertio duo æquè digni, Paulus & Iohannes non eundem baptismum dederunt, sed Iohannes suum in pœnitentiam, Paulus autem Christi in remissionem peccatorum. Ideoque & à Iohanne baptizati à Paulo rebaptizādi fuerunt. *Actor. 19.* quod probe contra nouatores teneatur, qui baptismū Christi & Iohannis eundem & eiusdem efficaciæ fuisse delirant. Contra quem errorem multa scribit *Augustinus lib. 2. cont. Petil. cap. 37.* & *lib. de Vnico baptismo contra Donatistas cap. 7.* Et *lib. 5. de baptismo cap. 9. 10. 11.*

Confer. lib. 2. cont. Parm. cap. 14.

Obiectio. Atqui arbor bona bonos fructus fert & mala malos. Ergo hæreticus extra omne dubium profanus, sanctificare non potest.

Respons. Non loquitur hic Dominus de baptismo, sed de operibus pœnitentiæ. Alioqui sequeretur à meliore baptizatum, meliorem fieri, & ab inferiore inferiorem. Quod si verum, malè Dominus baptismum intermisisset, item Paulus qui testatur se neminē nisi Crispū & Gaium baptizasse.

CAPVT XXII.

Alio argumento Anabaptismū oppugnat.

PRoinde in loco illo ex Epistola Pauli Apostoli, quam scripsit ad Galatas, sine studio contentionis aduertite, quam rectè fiat, vt hæreticum corrigentes errorē, si Sacramentum hoc habent, quod habere debuerunt, illud accipiant, quod eis deerat, non improbetur & blasphemetur, quod

Gal. 5.

quod inerat. *Manifesta* inquit, *sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ luxuriæ, Idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Omnes inquit isti non sunt in isto, nec super petram, inter hos autem & hæretici positi sunt. Cur ergo vos, vt omittam cætera, non baptizatis post ebriosos, luxuriosos, inuidos, qui regnum Dei non possidebunt, & ideò in petra non sunt? & quia in petra non sunt, proculdubio in Ecclesia non deputantur, quia *super hanc petram*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam*: & vos vultis vt baptizemus post hæreticos, qui inter eosdem spinas regnum Dei non possessuras enumerati sunt, & quibus similiter Sacramenta insunt, quando eadem sunt, sed non prosunt, quia cum illa recta sunt, ipsi peruersi sunt. Hæc sine pertinacia considerantes atque cogitantes facile potestis intelligere, id in quoquo corrigendum esse, quod prauum est, quod autem rectum est, approbandum: & hoc dandum esse quod deerit, quod autem inerit, agnoscendum. *Veniens itaq; hæreticus vt Catholicus fiat, errorem corrigat proprium, non Christi violet Sacramentũ. Accipiat vinculum pacis quod non habebat, sine quo illi prodesse non poterat baptisma*

Hæretici quomodo in Ecclesia recipiendi.

baptiſma quod habebat. Vtrumque enim neceſſarium eſt ad regnum Dei adipiſcendum, & baptiſmus, & iuſtitia. Et in contemptore quidem baptiſmi Chriſti non poteſt eſſe iuſtitia: baptiſmus autem & in eo qui iuſtitiam non habet, poteſt eſſe, ſed non poteſt prodeſſe. Sicut enim veritas

Ioannis. 3. dixit: *Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum*: ita

Matth. 5. eadem veritas dixit, *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra ſuper Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum*: vt non baptiſmus ſolus, ſed etiam iuſtitia perducat ad regnum, cui autem vel vtrumque, vel vnum defuerit, illuc peruenire nõ poſſit. Quapropter cum dicatur hæreticis: *Iuſtitia vobis deeſt, quam ſine charitate ac vinculo pacis habere nullus poteſt*: Cumque & ipſi fateantur, multos baptiſmum habere, & iuſtitiam non habere, & ſi non fateantur, eos conuincat ſcriptura diuina: miror quomodo putent, cum eos habentes non ſuum, ſed Chriſti baptiſmum, iterum nolumus baptizare, ita nos agere, ac ſi eis iam nihil deeſſe iudicemus: & quia baptiſmus eis in Catholica non datur, quem habere inueniuntur, nihil ſe illic accipere arbitrantur, vbi hoc accipiunt, ſine quo illud quod habent, eis ad perniciem valeat, non ad ſalutem. Quod ſi nolunt intelligere, ſufficit nobis, quod eam tenemus eccleſiam, quæ manifeſtiſſimis ſanctarum & Cano-

Canonicarum ſcripturarum teſtimoniis demonſtratur. *Dicat mihi nunc hæreticus: Quomodo me ſuſcipis?* Citò reſpondeo: *Sicut ſuſcipit Eccleſia, Cui Chriſtus perhibet teſtimonium.* Nunquid tu melius potes noſſe quomodo ſuſcipiendus ſis, quam Saluator noſter medicus vulneris tui. Hic forte dicis: *lege ergò mihi* quemadmodū Chriſtus ſuſcipi iuſſerit eos, qui ab hæreticis tranſire ad Eccleſiam volunt. *Hoc apertè atque euidenter, nec ego lego, nec tu.* Si enim hæreticus eſſet Ioannes, & in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti baptizaret, poſt cuius baptiſmum iuſſit Paulus homines baptizari, tu obtineres quod dicis, ita vt contrà quid dicerem, non haberē. Rurſus ſi Petrus in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ab hæreticis baptizatus fuiſſet, cui Dominus ait, *Qui lotus eſt ſemel, non habet neceſſitatem iterum lauandi:* ego obtinerē quod dico, ita vt tu cōtra quid diceres, non haberes. Nunc verò cum in ſcripturis non inueniamus aliquos ad Eccleſiam tranſiſſe ab hæreticis, & ſicut ego dico, aut ſicut tu dicis, eſſe ſuſceptos, *puto ſi aliquis ſapiens extitiſſet, cui Dominus Ieſus Chriſtus teſtimoniū perhibet, & de hac quæſtione cōſuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere quod ille dixiſſet, ne nō tā ipſi quàm Domino Ieſu Chriſto, cuius teſtimonio commēdabatur, repugnare iudicaremur. Perhibet autem teſtimonium Chriſtus Eccleſiæ ſuæ.* Ecce

Ioan. 13.

Elegans locus pro authoritate Eccleſiæ.

Luc. 24.

Ecce Euangelium, lege vbi ait: Oportebat Christum pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissioné peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem. Quomodo ergo suscepit ista Ecclesia per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem, remotis omnibus ambagibus & tergiuersationibus, sic suscipiendus es. Quod si non vis, *non mihi*, aut cuiquā hominum, qui vult ita suscipere, sed *ipsi saluatori contra salutem tuam perniciosissime reluctaris, qui te sic suscipiendum esse non vis credere, quemadmodum suscipit illa Ecclesia, quam testimonio suo commendat ille, cui fateris nefarium esse non credere.*

Ecclesiæ reluctans, Christo reluctatur.

ANALYSIS CAP. XXII.

Proponit aliud argumentum contra Anabaptismum, Deinde duas instantias soluit. *Argumentum est istius modi.* Si post hæreticos rebaptizandum est, etiam post ebriosos, Luxuriosos, inuidos baptizabitur: quia non minus ista scelera, quàm hæresis inter opera carnis recensentur. Galat. 5. At hoc ne ipsi quidem Donatistæ facitis. Ergo neque illud nobis faciendum est. *Instantia.* Quid ergo hæretici Ecclesiæ accedentes nouæ gratiæ consequuntur? *Respons.* Vnitatem in vinculo pacis, quod non habebant, sine quo illis prodesse non poterat baptisma quod habebant. Nec minus iustitia, quæ in charitate consistit, ad salutem necessaria est, quàm baptismus: quod probat ex duabus similibus Christi locutionibus.

Instantia

Instantia altera. Atqui in scriptura non extat talis recipiendi hæretici modus. Vnde ergo tu eum hausisti? *Respons.* Ex more & consuetudine Ecclesiæ Catholicæ, cui Christus ipse testimoniũ perhibuit, q in rebus dubiis, & nulla scriptura explicatis tanquã magistræ veritatis consuli & audiri debeat. Quæ diuinissima *Augustini* vox, si nostri seculi hæreticis persuaderi possit, reluctantẽ Ecclesiæ, Christo ipsi reluctari, iam omnis lis composita, & pax terris, gaudium vero cœlis restitutũ esset itaq; moneo iterũ atq; iterũ, legãt hæc, audiant, obsequantur, & si volunt, scripturas sanè apertas & rectè intellectas controuersiarum iudices faciant. Scripturis autem deficientibus, vel obscuris, & in ambiguitatem feruore animorũ adductis, Ecclesiam interpretẽ adhibeant, cui sine omni ambiguitate Christus Dominus testimoniũ perhibuit. *Ecclesia* enim *vera neminem latet*, inquit August. lib. 2. cont. literas Petil. cap. 32. *Sed extat potius cunctis clara atq; conspicua, quippe ciuitas quæ abscondi non potest, super montem constituta, per quam dominatur Christus à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terræ, tanquam semen Abrahæ multiplicatum sicut stellæ cœli & sicut arena maris, in quo benedicuntur omnes gentes.*

Ecclesia authoritas.

Ecclesia quam manifesta & visibilis.

August. lib. 3. contra Crescon. cap. 36.

Proinde (addit idem lib. 1. contra Cresconiũ ca. 33.) *quamuis huius rei certè de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarũ etiã in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat authoritas,* VT QVONIAM SANCTA SCRIPTVRA FALLERE NON POTEST, QVISQVIS FALLI METVIT, HVIVS OBSCVRITATE QVÆSTIONIS, EANDEM ECCLESIAM DE ILLA CONSVLAT, QVAM SINE VLLA AMBIGVITATE, SANCTA SCRIPTVRA DEMONSTRAT. *Si autem dubitas, quod Ecclesiam, quæ per omnes gentes numerositate copiosissima dilatatur, hæc sancta scriptura*

Ecclesiæ authoritas.

commendat: (neq; enim si non dubitares, adhuc esses in parte Donati) multis & manifestissimis testimonijs ex eadem authoritate prolatis onerabo, vt ex tuis concessionibus si nimium peruicax esse nolueris, ad hoc etiam perducaris.

Et lib. 5. de baptismo cap. 24. *Si quisquam in hac re authoritatem diuinam quærit, quanquam quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum: sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur, &c.*

Denique li. 5. de baptis. ca. 26. *Quod nos admonet* Cyprianus, *vt ad fontem recurramus, id est, ad* Apostolicam *traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus, optimum est & sine dubitatione faciendum.*

CAPVT XXIII.

Instantia tres pro Anabaptismo Donatistarum.

Instantia 1. ex Hie. 15.

AT enim dixit *Hieremias. Facta est mihi vt aqua mendax, non habens fidem.* Nō de hac aqua dixit, quam putas. Lege diligenter. Ipsam enim hominū mendacium multitudinem dixit aquam mendacē, more prophetico, sicut figuratè loqui solent: sicut in *Apocalypsi* populos aquarum nomine nouimus appellatos. Nam sic ait Hieremias: *vt quid qui contristant me, præualent. Plaga mea valida est, vnde sanabor? Facta est mihi vt aqua mendax non habens fidem.* Plagam suam sibi dixit factam vt aquam mendacem: eādem verò plagam suam eos appellauit, qui se contristabant. Quod enim ait, *qui contristāt me*, hoc dixit postea

Apoc. 11. Aqua figuratè quid significent.

postea, *Plaga mea*: & quod supra dixit, *praeualent*: hoc postea dixit, *valida est*. Sic & illic facitis vbi scriptũ est: *Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno ne biberis.* Putatis enim de baptismo dictũ, q est apud hæreticos, vt ideo sit aqua aliena, quia hæretici regnũ Dei nõ possidebũt: quasi non ita sit & apud ebriosos, & apud inuidos, & cæteros huiusmodi, de quibus pariter dictũ est: *Regnũ Dei non possidebunt*: & tamẽ in omnibus talibus, si secundũ Euangeliũ baptizati sunt, Christi est baptismus, nõ ipsorum. Vnde aqua illa nõ est aliena, cum ipsi alieni sint, quibus dictur⁹ est, *Nõ noui vos*. Cur nõ ergò potius intelligã *aquã alienã, & fontem alienum*, doctrinam esse maligni Spiritus, qua decipiuntur, & seducuntur alienati à Deo per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatẽ cordis eorum: hoc expressius commendante Apostolo: *Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum?* Hæc est aqua aliena, & fons alienus. Si enim aqua in bono intelligitur & Spiritus sanctus, cur non aqua in malo intelligitur & Spiritus malignus? *Non enim semper vbi aquam nominat scriptura, hoc visibile baptismi Sacramentum vult intelligi*, sed aliquando ipsum, aliquando aliud. Iam enim hoc visibili baptismo etiam alios discipuli Domini baptizauerant,

Instantia 2. ex 1. rou. 5

1. Cor. 6. Gal. 5.

Aqua aliena & fons alienus. Matth. 7.

1. Tim. 4

antequam veniret ad eos secundum eius promissionem Spiritus sanctus. De quo
Ioan. 4. tamen idem Iesus dicit: *Si quis sitit, veniat & bibat, qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius.* Et sequitur Euangelista, & exponit vnde sit dictum: *Hoc autem*, inquit, *dicebat de Spiritu, quem accepturi erant ii, qui in eum erant credituri. Spiritus enim nondum erat datus, quia Iesus nondum fuerat clarificatus.* Ecce aquam dicit Spiritũ, qui nondũ erat datus, cũ iam aqua illa baptismi multis fuisset data. Vnde & illud, quod similiter non intelligitis, quod scriptum est: *Bibe aquam de tuis vasis, & de*
Instantia 5. ex Prou. 5 *puteorum tuorum fontibus, & fons aquæ tuæ sit tibi proprius, & nemo alienus communicet tibi, & non superfluant tibi aquæ foràs, & in plateis tuis discurrant aquæ tuæ.* Non visibilem baptismum quem possunt habere & alieni, id est, qui regnum Dei non possidebunt, sed hoc donum commendat Spiritus sancti, quod proprium est eorum tãtum, qui regnabunt cum Christo in æter-
Rom. 5. num, *quoniam charitas Dei*, sicut dicit Apostolus, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ipsa enim latitudo cordis, quam charitas facit, vnde illam diffusam dicit, & vnde ad Co-
2. Cor. 6. rinthios ita loquitur: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est:* platearum nomine significata est. Quod ergò

ergò apertè audimus: *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus si ex Deo sint,* hoc figuratè audimus: Ab aqua aliena abstinete, & de fonte alieno ne biberitis. Et quod apertè audimus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: hoc figuratè audimus, *fons aquæ tuæ sit proprius, & nemo alienus communicet tibi.* Multa enim munera Dei possunt habere & alieni, non solum ista communia cũ lapidibus & arboribus, sicuti est esse & vigere: nec solum communia cum pecoribus, sicut spirare, sentire: sed etiam maiora iam hominum propria, sicut est ratio, locutio, artes vtiles innumerabiles, & alia multa. Ipsa etiam quæ domui Dei data sunt, nonnulla ex eis habent alieni, id est, non possessuri regnum Dei, quibus in fine dicetur: *Non noui vos*, etiam cum dixerint, *in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus*: quia *etsi habeam*, inquit *prophetiam, & sciam omnia Sacramenta & omnem scientiam, & si habuero omnẽ fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Hoc est ergo donum Spiritus sancti proprium sanctorum, vndè nemo communicat alienus. Hoc deest omnibus malignis & gehennæ filiis, etiam si Christi baptismo baptizentur, sicut Simon fuerat baptizatus. Hoc deest etiã hæreticis. Hoc accipiunt cum correcti veniunt, & vnitatis

1. Ioan. 4

Rom. 5.

Improbi multa dona cum electis habent communia.

Matth. 25.

1. Cor. 13.

Caritas proprium donum sanctorum.

vinculũ ſynceriter amplectuntur. Quod ſi nõ acciperẽt, etiã habentes baptiſmũ Chriſti, nõ erant poſſeſſuri regnũ Chriſti, quia non introierãt ad fontẽ illũ propriũ aquarũ diſcurrentiũ in plateis ſanctorũ, & foras non excurrentium, quo fonte *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritũ ſanctum, qui datus eſt nobis.* Definite itaque illa teſtimonia cõmemorare, quæ aut non intelligitis, aut pro nobis contra vos eſſe intelligitis. Quod ſi ambiguè poſita, & pro nobis, & pro vobis poſſent interpretari, nihil vtiq; adiuuarent cauſam veſtrã: quia & nos ſi talibus vti vellemus, innumerabilibus vteremur, quæ cauſam noſtram nihil ſimiliter adiuuarent. Sed planè talia malam cauſam vel moras faciendo ſuſtentant.

Ambigua nihil iuuant.

ANALYSIS CAP. XXIII.

Ad eradicandum funditus ex animis hominum Anabaptiſmum, tres alias Donatiſtarum inſtantias proponit & ſoluit. *Vna* eſt ex *Hieremia* 15. *Facta eſt mihi aqua mendax.* id eſt baptiſmi Sacramentum non in Eccleſia ſuſceptum fallax & inefficax eſt.

Aqua mendax.

Reſpondet Auguſt. Malam eſſe interpretationem verborũ, q̃ nõ aquã baptiſmi ſed populi multitudinẽ, q̃ figuratè aquis innotari ſolet intelligant, &c.

Apoc. 17.

Inſtantia altera ex Prouerbiorum 5. *Ab aqua aliena abſtine te,* &c.

Reſponſ. Non loquitur de baptiſmo: Neque baptiſmus hæreticorum alienus eſt, quia Chriſti eſt non ipſorum. Deinde per aquã alienã Spiritus deceptores intelligi poſſunt, de quibus *1. Timoth. 4.* quemadmodum aqua in bono de Spiritu ſancto accipitur, Iohan. 4.

Aqua aliena.

Inſtantia

Instantia 3. Iterum ex Prouerbiorũ 5. *Bibe aquam de tuis vasis, & nemo alienus communicet tibi.* Responsio. Non loquitur de visibili baptismo, sed de aqua charitatis, quæ diffusa in cordibus nostris tanquam plateas illa dilatat, & sanctorum propria est, cum multa alia dona tum naturalia tum cœlestia, & in iis baptismus improbis communis esse possit: Sed ad perditionem, non ad salutem. *Aqua propria.*

CAPVT XXIV.

Vltima Instantia soluitur, & priora quædam repetuntur.

ECce, inquiũt, *de corpore Domini aqua profluxit.* Et quid de hoc adiuuat ô Hæretice? multum inquit, *Baptisma enim significat non esse, nisi in corpore Domini, id est, in Ecclesia:* melius diceres de corpore Domini, hoc est de Ecclesia: etiam si iam constet, quod adhuc fortè diligentius requirendũ est, aqua illa baptismum esse significatum. Nam & nos baptismum quem habetis, de corpore Domini esse dicimus, hoc est, de Ecclesia, quamuis in ea ipsi non sitis, sicut omnes qui non ædificant super petram, sed sup arenã. Quare tamẽ nõ attendis aquã illã, qua baptismũ significatũ dicis, nõ tantũ in corpore Domini fuisse, sed etiam de corpore eius foras exisse, & hoc per vulnus pſecutoris? *Neq; enim & hæretici, & omnes mali secum foras Sacramenta traxissent, si vnitatis integritatẽ in corpore Domini custodissent.* Sed etiam hoc videtis quàm pfundum sit, & quanta misterii altitudine occultum. Iam sufficiat: Desinite talibus agere. *Instantia IV.*

Omnia quæ huiusmodi protuleritis, aut pro nobis sunt, aut vt multum causæ nostræ minuam, incertum est pro quibus sint. *Sed libenter in opertis immoramini ne fateri operta cogamini.* Ecce Ecclesia, rogo quid patimini? Ecce ecclesia tot manifestissimis sanctarum scripturarum testimoniis commendata & expressa, prædicta & demonstrata: Sicut audiuimus, ita & vidimus. Quid tergiuersaris, quomodo suscipiaris. Cur detrectas sic suscipi quomodo illa suscipit, cui testimonium perhibet qui mentiri non potuit? Doce scripturas canonicas apertè dixisse, baptizandum esse in Ecclesia Catholica, qui apud hæreticos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti fuerit baptizatus. Quod si hoc docere non potes: *illud doce: huic communioni tuæ, id est parti Donati, vbi hoc didicisti, apertum aliquod & manifestum testimonium à scripturis canonicis perhiberi*: & fateor ad te esse transeundum, nec aliter esse suscipiendos hæreticos, quam sicut suscipit ecclesia, in qua es, quia tali testimonio declarata est. Quid æstuas? quid perturbaris? non inuenis in scripturis canonicis, quod à te iustissimè exigimus? Nam quod dicere soletis: *Vbi pascis, vbi cubas in meridie*: vides quale sit, & quàm pro te non sit. Noli ergò talia quærere, quia & si in partibus *Aquilonis* esset pars Donati, q̃ contariæ sunt partibus

Hæretici libenter in opertis & obscuris immorantur.

Idem doceant Lutherani, & Caluinistæ.

Cantic. 1.

Quomodo sibi Aquilo Ecclesiam vindicare possit.

partibus Meridianis, diceret de se esse dictum: *Montes Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni.* Nam vtique ciuitas regis magni non est nisi Ecclesia, & hoc potius indubitanter sonat Ecclesiam, quàm illud: *vbi pascis, vbi cubas in meridie.* Sed fortassè illo testimonio *Marcion* hæreticus vteretur, qui dicitur Ponticus fuisse, quæ partes ad Aquilonem sunt. Rursus si in occidente esset pars Donati, diceret de se esse dictum. *Iter facite ei qui ascēdit super occasum, Dominus nomen est illi.* Fortassis n. sublimius esse diceret, ascendit super occasum: quam cubat in meridie. *Hæc mystica sunt, operta sunt, figurata sunt, aliquid manifestum quod interprete non egeat, à vobis flagitamus.* Ego itaque sic te suscipio, quemadmodum suscipit semen Abrahæ, in quo benedicuntur omnes gentes. Hoc fortè obscurum esset, nisi Paulus aperuisset semen Abrahæ quod est Christus. Sic te suscipio, quemadmodum suscipit illa sterilis, cuius multi filii magis quàm eius quæ habet virum. Quod obscurum esset, nisi Paulus dixisset, ipsam esse Ecclesiam matrem nostram, cui dictum est, Dominus qui eruit te, ipse Deus vniuersæ terræ vocabitur, cui dictum est *Terra tua orbis terrarum.* Sicut suscipit regina illa, de qua in Psalmis dicitur: *Astitit regina à dextris tuis*; & cui dicitur: pro *patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.* Postremò ne mul-

Item Occasu. *Psal. 77.* *Genes. 22.* *Gal. 3.* *Gal. 4.* *Esaia 54.* *Psal. 62.* *Psal. 44.*

ta commemorem: sic te suscipio, sicut suscipit Ecclesia per omnes gentes *incipiens ab Hierusalem, & in tota Iudæa & Samaria, & vsque ad totam terram.* Ille enim te suscipit qui hoc de illa dixit, qui in talibus eam verbis, ne quisquam de illa dubitaret, ostendit. Sic te suscipio quemadmodum suscipit triticum seminatum in agro, *quod cum zizaniis crescit vsque ad messem.* Hi sunt enim filii regni, ager autem est mundus, *messis est finis seculi*: Dominus exposuit, Euangelium est, verba Domini sunt, manifesta sunt, possem tibi dicere, sic te suscipio, quemadmodum & vos suscepistis, quos *Prætextatus & Felicianus* à vobis damnati, extra vestram communionem baptizauerunt, cui rei quid contradicas, omnino non habes. Sed hoc potius dicam, quod & aduersus ipsos *Maximianistas* inuictissimè valeat, qui vos in duobus præcipuè testimoniis, quibus imperitissimè, tamen creberrimè vti soletis, omnino vicerunt, *& de paucitate, & de meridie.* Hoc ergo dicã quod vos omnes tanquam pariter contra nos insurgatis, extinguat. Sic vos suscipimus si corrigi vultis, quemadmodum suscipit Ecclesia, quam Dominus Iesus dixit ab Hierusalem cœpturam, & in Actibus Apostolorũ legimus inde cœpisse: & per omnes gentes ituram, & in Actibus Apostolorũ legimus, per multas esse antequã veniret in Aphricam, & per omnes gentes iturã, antequam veniat

Matth. 13.

veniat finis, quia ipse Dominus ait: *prædicabitur hoc Euangelium in omnibus gentibus, & tũc veniet finis.* Ecce purgaméta eius, *quoniã abũdabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Ecce fruméta eius. *Qui aũt perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* Vbi hic Aphrica nominata est in parte Donati? Ecce iterũ fruméta eius: *Vt scias* inqt Apostolus, *quemadmodũ te oporteat in domo Dei cõuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentũ veritatis. Et sine dubio magnũ est pietatis sacramentũ, quod manifestatũ est in carne, & iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatũ est in gẽtibus, creditũ est in mundo, assumptũ est in gloria.* Ecce purgaméta eius: *Spiritus autẽ,* inquit, *manifestè dicit, quia in nouissimis tẽporibus, recedent quidã à fide, attendentes spiritibus seductoribus, doctrinis Demoniorũ* &c. Vbi hic Aphrica in parte Donati nominata est, vt in ea remanserit columna & firmamentũ veritatis, aut pietatis sacramentũ, de quo vsq; in finẽ ita cucurrit, vt diceret: *prædicatũ est in gentibus, creditũ est in mundo, assumptũ est in gloria?* Quid ergo pluribus teneã? Qui respõdere cogitat huic epistolæ, scrutetur scripturas: & aut manifestũ de Aphrica vel in qua sola, vel ex qua sola est pars Donati, proferat testimonium: quod ideò proferre nõ potest, quia illis tam manifestis, q̃ à nobis ꝓlata sunt, repugnare scriptura nõ potest, aut si suarũ suspicionũ vel criminationũ, vel calũniarũ sectatores

Matth. 24.

1. Tim. 3.

1. Tim. 4.

credu-

credulos quærit, & vult traducere in aliud Euangelium quod nõ est aliud, *atq; annunciare vobis præterquam quod accepimus, etsi angelus de cœlo esset, anathema esset*; quoniam & diabolus qui propterea de cœlo cecidit, quia *in veritate non stetit*; si anathema fuisset homini, quando ei præterquam quod à Domino Deo acceperat, annunciauit, primi parentes carnis nostræ nec in pœnam mortis incidissent, nec de loco fœlicitatis exiissent.

Ioan. 8.

ANALYSIS CAP. XXIV.

Vltimam instantiam soluit. Deinde per ἀνακεφαλαιώσιν præcipua libri membra repetit.

Instantia est talis. Aqua de corpore Domini fluxit: Ergò in Christi tantum Ecclesia Baptismus est.

Respons. Plus concluditur quàm sequitur. Si enim omnino aqua baptismi mysterium fuisse concedatur, nil nisi hoc sequitur, baptismum de corpore Christi esse, id est de Ecclesia, quod concedimus. Sic enim etiam baptismus hęreticorum Ecclesię est: etsi illi non sint in ea.

Repetitionis varia membra sunt, quæ lector ipse deprehendet. Primum enim inculcat manifesta scripturę de Ecclesia, & Ecclesiæ de recipiendis hæreticis testimonia. *Deinde* reiicit illud ex Canticorum 1. *Vbi pascis, vbi cubas in meridie*: A similibus dictis, quæ de Aquilone & Occidente proferri possunt. 3. Remouet omnia mystica & obscura, & sua manifestissima ad quæuis, probãda enunciata commendat, vbi in primis postulat vt manifestum de Africa scripturæ testimonium proferatur, quemadmodum ipse de Ecclesia toto orbe diffusa protulerit.

lerit. Quod nostris quoque hæreticis optimo iure insonare licebit, vt vel minimo scripturæ apice Ecclesiam vnius Ducatus vel Prouinciæ prædictam ostendant.

CAPVT XXV.

Conclusio libri hortatoria & consolatoria.

QVapropter vos charissimi, quibus hanc epistolam scribo, præceptum pastoris qui animam suam posuit pro ouibus suis, & nunc exaltatus & glorificatus sedet ad dexteram Dei patris, corde fidelissimo & firmissimo retinete dicentis, *quæ sunt oues meæ, vocem meam audiunt & sequuntur me.* *Ioan. 10.* *Conclusio hortatoria.* Audistis eius vocem manifestissimam, non solum per legem & prophetas, & Psalmos, sed etiam per os proprium commendantis Ecclesiam suam futuram. Et ea quæ prædixit quemadmodum ex ordine consecuta sint, in Actibus & literis Apostolorum, quæ diuinarum scripturarum Canonem complent, legendo perspicitis. Non est obscura quæstio in quâ vos fallant, quos ipse Dominus prædixit futuros atque dicturos: *Ecce hic est Christus, ecce illic, ecce in deserto;* *Matth. 24.* quasi vbi non est frequentia multitudinis: *Ecce in cubiculis*, quasi in secretis traditionibus atque doctrinis. Habetis Ecclesiam vbique diffundi, & crescere vsque ad messem. Habetis ciuitatem, de qua ipse qui eam

Matth. 5. eam condidit, ait: *Non potest ciuitas abscondi super montem constituta.* Ipsa est ergo quæ non in aliqua parte terrarum, sed vbique

2. Consolatio fidelium. notissima est. Hæc temporales aliquando etiam in suis frumentis patitur tempestates, vt in quibusdam locis non cognoscantur, sed tamen etiam illic latent. Neque enim falli potest diuina sententia, quoniam crescunt vsque ad messem. Itaque & in aliis gentibus sæpè nonnulla membra Ecclesiæ præualentibus hæresum & schismatũ seditionibus, pressa atq; obumbrata sunt; & tamen quia inerãt, paulò post nullo dubitante claruerunt: & in ipsa Aphrica post illud *Secundi Tigisitani* apud Carthaginem seditiosum, turbulentumq; concilium, vbi & à

Lucilla. fœmina nobili *Lucilla* operata corruptio, postea iudicialibus gestis cõmemorata est, cùm inde literæ penè per totam Aphricam, qua Ecclesiæ Christi iam germinauerant, missæ fuissent, creditum est literis concilii, neque enim aliter oportebat, & quasi visa sunt per aliquam partem agri fruméta Dominica defecisse, nullo modo autem defecerant, quæ verè frumenta erant prædestinata atq; seminata, & alia radice veraciter germinantia. Salua enim conscientia literis concilii crediderant, *neq; enim ab hominibus de aliis hominibus aliquid incredibile dicebatur, aut eis contra Euangelium credebatur*: sed posteaquam illi furiosam pertinaciam vsq; ad dissensionem sacrilegam contra totũ orbem

bem Christianum contentione obstinatissima perduxerunt, atq; innotuit bonis fidelibus, quos à Cæciliano alienauerat falsa criminatio, viderunt se, si in illa cõmunione persisterent, non iam de quodã homine, vel de quibusdam hominibus, sed de Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, prauũ habere iudicium, & maluerunt Christi Euangelio, quàm collegarũ concilio credere. Itaq; illis relictis, mox ad Catholicã pacẽ multi, & Episcopi, & clerici, & populi redierunt, quod & antequã facerent, in tritico deputabantur. Tunc enim non faciebant, cũ aduers⁹ homines malè sibi á collegis insinuatos, non aduersus Ecclesiã Dei, quæ in cunctis gentibus crescit, illa eorũ contradictio tenebatur. Itaq; & in Aphrica triticũ quod filius hominis seminauerat, triticũ mansit: Ex illo vsq; adhuc creuit, & crescit, & deinceps vsq; àd messèm fructificabit & crescet, sicut in omni mũdo. Nonnulli etiã bonæ voluntatis per carnalẽ caliginẽ etiã post confirmatũ contra Ecclesiæ Dei malignorũ furorem in illa dissensione diutius errauerunt, tanquam si adhuc mollia cõculcarentũr frumenta, & radice viua herbæ vigor attereretur: etiam ipsa tamen frumenta sua nouerat Deus, quamuis vt reuiuiscerẽt, arguenda & increpanda. Non enim eò modò dictum est Petro; *Redi post me satana*: quomodo dictum est de Iuda, *Vnus ex vobis Diabolus est.* Quidam quoque & apertissimæ Matth. 16. Ioan. 17.
verita-

veritati malo ſtudio contradixerunt: illi verò eradicati vel præciſi erant, ſed non permanentes in infidelitate, ſicut de quibuſdam ramis fractis Apoſtolus dicit, *manu diuina replantati, aut iterum inſerti ſunt.* (*Rom. 11.*) Tunc enim quiſque infructuoſus, & nondum à radice præciſus eſt, cùm mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum eſt: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt*: (*Gal. 5.*) Sed cùm pro ipſis operibus etiam veritati apertiſſimè qua redarguitur, reſiſtere cœperit, tunc præciditur. Et multi tales ſunt in Sacramẽtorum communione cum Eccleſia, & tamen iam non ſunt in Eccleſia: (*Hæretici quomodo quidam in Eccleſia.*) alioquin ſi tunc quiſque præciditur, cùm viſibiliter excommunicatur; conſequens erit, vt tunc rurſus inſeratur, cùm viſibiliter communioni reſtituitur. Quid ſi ergò fictus accedat, atq; aduerſus veritatem & Eccleſiam cor inimiciſſimum gerat, quamuis peragatur in eo illa ſolennitas, nunquid recõciliatur, nunquid inſeritur? Abſit. Sicut ergo iam denuò communicans nondum inſertus eſt: Sic & antequam viſibiliter excommunicatur, quiſquis contra veritatem, qua conuincitur & arguitur, inimicum geſtat animum, iam præciſus eſt. Ita fit, vt & ſemen bonum, & ſemen malum vtraque per agrum creſcant vſque ad meſſem, id eſt, & filii regni & filii maligni vtrique per mundum creſcant vſque in finem ſeculi, illis

fructum

fructum ferentibus cum tolerantia, illis cum sterilitate amaricantibus. Vos autem innitentes tot euidentissimis testimoniis Legis, Prophetarũ, Psalmorum ipsius Domini, & Apostolorum, de sancta Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, *Exigite ab istis vt ostendant de Aphrica, quod attinet ad partem Donati, aliqua manifesta de canonicis libris testimonia.* Neque enim, sicut iam dixi, vllo modo fieri posset, vt Ecclesia, sicut dicunt, & quod absit, tam citò ex tot gentibus peritura, tot testimoniis tam sublimiter, & tam indubitanter prædicaretur: & de ista, quam volunt, sua, quæ vsque in finem sicut contendunt permansura fuerat, taceretur. Mementote enim quid illi diuiti dictum sit, cùm apud inferos torqueretur, & ad fratres suos aliquem ex mortuis mitti vellet: *Habent illic,* inquit, *Moysen & Prophetas.* Et cum ille diceret, non eos credituros, nisi ad eos isset aliquis mortuorũ: *Si Moysen,* inquit, *& Prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Dixit Moyses, quod in semine Abrahę benedicentur omnes gentes. Dixerunt Prophetæ, tu vocaberis voluntas mea, & terra tua orbis terrarum: commemorabuntur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. His & talibus tam manifestis prænunciationibus Ecclesiã demonstrantibus isti credere noluerũt. Surrexit Dominus à mortuis, dixit in nomine suo prædi-

cari pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem. Illi, qui Moysi & Prophetis nõ crediderunt, nec Domino resurgenti à mortuis crediderunt. Quid restat, nisi vt diuitis illius torméta sortiantur? Quæ vos fugiétes dum adhuc tempus est, antequam de hac vita emigretur, diuinis eloquiis constanter inhærete, vt nec in vita conturbemini, & post hanc vitam, quod semini Abrahæ promissum est, accipere mereamini, Amen.

ANALYSIS CAP. XXV.

Conclusio libri duabus partibus constans, acerrima ad vnitatem Catholicam cohortatione, & suauissima fidelium in mediis schismatum & hæreseon furoribus consolatione.

Hortationis ratio petita est ex superioribus argumentis, quibus Ecclesiæ vniuersalitas nobis demonstrata est. Deinde à natura huius quæstionis, quæ satis manifesta, & apertè contra deceptores explicata. Vbi nota interpretationem dicti *Matth. 24. Ecce hîc aut illic Christus*, &c. quod peruersè hæretici ad venerabile Sacramentum referunt.

Consolatio est, quod etsi Ecclesia interdum in partibus quibusdam obscuratur, tamen illic adhuc latent frumenta, & suo tempore clarescunt, vt in ipsa Africa post Concilium Carthaginense apparuit. Vbi etsi creditum est literis Concilii, & quædam quasi frumenta deficiebant, tamen prędestinata remanserunt, quia nihil contra Ecclesiam credebant, sed tantum criminibus contra homines sparsis. Posteaquam verò mali in schisma diuerterunt, Ecclesiæ sese boni reddiderunt. Vide *libr. 1. cont. Gaud. cap. 29.* Et *lib. de Gestis cum Emerito* non procul

cul ab initio. Alii etsi paulò diutius in errore perseuerauerunt, corripiendi tamen fuerunt, & correptione ab insania reuocandi.

Postremò concludens hortatur iterum, vt credentes scripturæ testimoniis stent firmi, nec Donatistis (intellige pariter & hodie, Lutheranis & Caluinistis) nisi manifestas scripturas, quibus Africa, vel non dicam Europa; sed Germania vel Gallia sola Ecclesiæ sedes designata sit, proferentibus credant: nec alia euidentiora argumenta expectent.

Nisi enim Moysen & Prophetas audiant, neque resurgenti ex mortuis credent.

FINIS EPIST. AVGVST. DE VNIT. ECCLESIÆ.

PRÆSCRIPTIONVM ADVERSVS HÆRETICOS PERPETVARVM

TRACTATVS IV.

Qui eſt.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE VTILITATE CREDENDI ad Honoratum Liber.

Argumentum & partitio libri.

CVm duo ſint ſumma Chriſtiani hominis munera ſeu officia: fidem rebus credēdis, & obedientiam faciendis adhibere: Moderatrix vtriuſque Eccleſia, quia in rebus diuinis diuinè præter cōmunem mortalium ſenſum agere interdum cogitur, tot fanaticorum hominum ſannas & ludibria incurrit, vt media in ratione fœdiſſimè inſanire iudicetur. Quid enim hoc noſtro ſeculo *Iohannes Rainoldus Anglus* Epiſtola ad Anglica ſeminaria Romæ & Rhemis, §. 7? Cùm

Rainoldus.

Cum multis superiores paginas nugis repleſſet, & quæ voluiſſet in Romanæ Eccleſiæ Doctores incomparabiles, Baronium, Bellarminum, Alanum, &c. conuitia eiaculatus eſſet, tandem quaſi faces ſeditionis ſcholis illaturus, hoc claſſicum ebuccinat: *Illud demum omniũ malorum grauiſſimũ, & dignum querimonia T. amaris de Amnone, maius malum altero, quo me affeciſti, nunc afficis expellens me; quod cæcam obedientiam (vt appellant ipſi) tanquam præſtantiſſimam virtutem vobis laudant. Ita vos coniiciunt negotiatores veſtri in eum locum, de quo Chriſtus, Si cæcus cæcum duxerit: & iniquius tractant, quàm Naas Ammonita Iſraelitas voluit, quos vno tantum oculo orbare concupiuit.* *1. Sam. 13. 16.* *Poſſeuin. Biblioth. ſelect. l. 5. c. p. 4.* *Matth. 15. 14.* *1. Sam. 11. 2.*

Quid olim Manichæi, *homines ſuperbè delirantes, & carnales nimis & loquaces, in quorum ore laquei Diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum nominis Dei & Domini Ieſu Chriſti & paracleti conſolatoris noſtri Spiritus ſancti.* *Auguſt. 3. confeſſ. cap. 6.* Quid inquam iſti? Sacrilegè ac temerè inuehebantur in eos, *qui Catholicæ fidei autoritatem ſequentes, antequam illud verum, quod pura mente conſpicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur & illuminaturo præparantur Deo: dicentes ſuperſtitione ipſos terreri, & fidem illis ante rationem imperari: ſe autem neminem premere ad fidem, niſi prius diſcuſſa atque enodata veritate: adeoque terribili authoritate ſeparata mira ac ſimplici ratione eos qui ſe au-* *Auguſt. de Vtilit. credendi c. p. 1.*

 dire

dire vellent, introducturos ad Deum & errore omni liberaturos.

August. lib. 1. de morib. Eccles. Catholica cap. 2.

Contra hos tam salutaris instituti contemptores (*quid enim naturæ ordini conuenientius, quàm vt cùm aliquid discimus, rationē præcedat authoritas?*) Augustinus apud Hipponem Regiū iam presbyter præsentem librum scripsit ad amicum suū Honoratū, quem deceptum à Manichæis adhuc eo errore nouerat detineri. Demonstratq; malè in Catholicę fidei disciplina irrideri, quod iubeantur homines credere priusquā quid verum sit, certissima ratione doceātur. *Neq; enim caligantes hominū mentes consuetudine tenebrarū, quibus in nocte peccatorū vitiorūq; velantur, perspicuitati sinceritatiq; rationis aspectū idoneū intendere posse: ideoq; saluberrimè comparatū esse, vt in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacata inducat authoritas.*

August. lib. 1. Retract. cap. 14.

August. lib. 1. de morib. Eccles. Catholica cap. 2.

Quæ doctrina cum sciolo hoc & curioso seculo apprimè necessaria sit, meritò quartum præscriptionum nostrarū locum liber hic tenere debuit: cuius partes constituimus quinque. Prima est exordium cap. 1. Altera propositio itidem cap. 1. Tertia crypsis alieni thematis, de authoritate librorum veteris Testamenti cap. 2. 3. 4. 5. 6. Quarta confirmatio principalis propositionis de vtilitate credendi cap. 7. & seq. ad 18. vsque. Quinta conclusio cap. vltimo. De quibus singulis suo loco latius.

D. AV-

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE VTILITATE CREDENDI ad Honoratum Liber.

CAPVT I.

Exordium ac propositio libri: de quibus plura in Analysi.

SI mihi Honorate, vnum atque idem videretur esse, *hæreticus & credens hæreticis homo*, tam lingua quàm stylo in hac causa conquiescendũ mihi esse arbitrarer. Nunc 1.
verò cùm inter duo plurimum intersit: quando quidem *hæreticus est*, vt mea fert opinio, *qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusque sui gratia falsas ac nouas opiniones vel gignit vel sequitur.* *Hæreticus & cred. hæreticis differunt.* Ille autem qui huiusmodi hominibus credit, homo est imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusus. Cùm hæc ergo ita sint, non putaui apud te silendum esse, quid mihi de inuenienda ac retinenda veritate videatur, cuius vt scis, ab ineũte adolescen- 2.
tia magno amore flagrauimus. Sed res est 3.
longè remota à vanorum hominum mentibus, qui nimis in hæc corporalia progressi atque lapsi, nihil aliud putant esse, quàm quod istis quinq; notissimis nunciis

corporis sentiunt: & quas ab his plagas atque imagines acceperunt, eas secum voluunt, etiam cùm conantur recedere à sensibus: & ex earum mortifera & fallacissima regula, ineffabilia penetralia veritatis rectissimè se metiri putant. Nihil est facilius mi charissime, quàm non solum se dicere, sed etiam opinari verum inuenisse. Sed quàm re ipsa difficillimum sit, agnosces, vt confido, his literis meis. Quæ vt tibi prosint, aut certè nihil obsint, omnibusque omnino quorum in manus fortè deuenerint, & rogaui Deum, & rogo, & spero ita fore, si benè mihi conscius sum, quòd ad hunc stylum pio & officioso animo, non vani nominis appetitione, aut nugatoriæ ostentationis accessi. Est igitur mihi propositum, vt probem tibi, si possim, quòd Manichæi sacrilegè ac temerè inuehantur in eos, qui Catholicę fidei authoritatem sequentes, antequam illud verum quod pura mente conspicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, & illuminaturo præparantur Deo. Nosti enim Honorate, non aliam ob causam nos in tales homines incidisse, nisi quòd se dicebant *terribili authoritate separata, mira ac simplici ratione eos qui se audire vellent introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos.* Quid enim me aliud cogebat annos ferè nouem spreta religione, quæ mihi puerulo à parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire

Propositio totius libri.

Augustinus qua illecebra factus Manichæus.

audire, nisi *quòd nos superstitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent: se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa & enodata veritate?* Quis non his pollicitationibus illiceretur, præsertim adolescentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in schola doctorum hominum disputationibus superbus & garrulus? qualem me tunc illi inuenerunt, spernentem scilicet quasi aniles fabulas, & ab eis promissum apertum & syncerum verum tenere atque haurire cupientem. Sed quæ rursum ratio reuocabat, ne apud eos penitus hærerem, vt me in illo *gradu* quem vocant *auditorum* tenerem, vt huius mundi spem atque negotia non dimitterem: Nisi quòd ipsos quoque animauertebam plus in refellendis aliis disertos & copiosos esse, quàm in suis probandis firmos & certos manere? Sed de me quid dicam, qui iam Catholicus Christianus eram: Qui nunc vbera Ecclesiæ, post longissimam sitim penè exhaustus atque auidus tota auiditate repetiui, eaque altius flens & gemens concussi & expressi, vt id manaret quod mihi sic affecto ad recreationem satis esse posset, & ad spem reducendam vitæ ac salutis? Quid ergo de me ipso dicam? Tu nondum Christianus, qui hortatu meo cùm eos vehementer execrareris vix adductus es, vt audiendi tibi atque explorandi viderentur, qua quæso alia re dele-

Quid August. à Manichaismo reuocarit.

ctatus es, recordare obsecro te, nisi magna quadam præsumptione ac pollicitatione rationum? Sed quia diu multumq; de imperitorum erroribus latissimè ac vehemétissimè disputabant, quod cuiuis mediocriter erudito esset facilimum, serò didici. Si quid etiam suorum nobis inserebant, necessitate retinendum, cùm alia nō occurrerent in quibus acquiesceremus, arbitrabamur. Itaque nobis faciebant, quod insidiosi aucupes solent, qui viscatos surculos propè aquam defigunt, vt sitientes aues decipiant. Obruunt enim, & quoquo modo cooperiunt alias quæ circa sunt aquas: Vel inde etiam formidolosis molitionibus deterrent, vt in eorum dolos non electione, sed inopia decidatur. Sed cur non ipse mihi respondeo, quod istæ lautæ ac lepidæ similitudines, atque huiusmodi reprehensiones, in omnes qui aliquid docent, â quouis aduersario effundi vrbanissimè ac dicacissimè possunt? Sed ob hoc putaui aliquid tale inserendum literis meis, vt eos admoneam, desinant talibus agere: vt quemadmodum ille ait, *separatis nugis locorum communium, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione confligat.* Quare desinant dicere illud quod in ore habent quasi necessarium, cum eos quisque deserit qui diutius audisset, *lumen per illum transitū fecit.* Vides enim tu mea maxima cura, nam de illis non nimis æstuo, quàm

Simile aucupum.

Sic nunc conuersi ad Catholicā matrem, Apostasiæ nomine flagellantur.

quàm hoc inane & facilimum ad reprehédendum cuiuis esse possit.

Itaque hoc discutiendum dimitto prudentiæ tuæ. Non enim vereor ne me arbitreris inhabitatum lumine, cum vitæ huius mundi eram implicatus, tenebrosam spem gerens, de pulchritudine vxoris, de pompa diuitiarum, de inanitate bonorum, cæterisque noxiis & pernitiosis voluptatibus. Hæc enim omnia quod te non latet, cum studiosè illos audirem, cupere & sperare non desistebam. Neque hoc eorum doctrinæ tribuo. Fateor enim & illos sedulò monere, vt ista caueantur. Sed modò me dicere desertum lumine, cum ab his omnibus vmbris rerum me auerterim, soloque victu ad valetudinem corporis necessario contentus esse decreuerim: Illustratum autem atque fulgentem fuisse, cùm ista diligerem, & his inuolutus tenerer, hominis est, vt mitissimè dicam, minus acutè considerantis res, de quibus loqui multum amat. Sed veniamus ad causam, si placet.

Commutatio studiorum Augustini à conuersionis tempore.

ANALYSIS CAP. I.

Duæ Principes huius libri partes, Exordiũ & Propositio. EXORDIVM ad beneuolentiam captandam accommodatum, obliquè causas scribendi exponit, partim à psona Honorati, eiusq; Ingenio: partim à veritatis pfunditate, & infelicibus Honorati pceptoribus Manichæis. A persona Honorati, qui

qui etsi Manichæus esset, hæretici tamen loco Augustino non erat, qui propterea commodè inter hæreticum & credentem hæretico distinguit.

Hæreticus quis & quis non

Hæreticum definit (quem Epist. ad QuodVult-Deum definire difficile ait) *qui alicuius temporalis commodi & maximè gloriæ Principatusq; sui gratia falsas ac nouas opiniones vel gignit vel sequitur.* Alibi paulò aliter. *Qui in Ecclesia Christi* inquit, *morbidum aliquid prauumq; quid sapiunt, si correcti vt sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter, suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt.* Sed qui sententiam suam *quamuis falsam atq; peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint: Nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.*

Cont. Manich. 24. quæst. 3. qui in Eccle.

Sensus ergò huius loci est talis. Si Honoratus esset hæreticus, nullo neque verbo neque calamo eum interpellarem: Ex mandato Apostoli qui ait: *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, quia subuersus est huiusmodi, & peccat in semet ipso damnatus.* Et alibi, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis.* At hæreticus non est Honoratus, sed Homo veritatis imaginatione delusus, & ab hæreticis circumuentus. Ergò mihi opera danda est, vt de periculo ipsum commonefaciam, ouemque perditam Catholico ouili restituam. Hanc rationem secundò argumento illustrat & amplificat: Quia eum ab ineunte ætate amantem veritatis nouerit. At qui amat sapientiam potietur illa: *maleuola autem anima non potietur: quia non habitabit Spiritus sanctus in corpore subdito peccatis, & aufferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Pulchrè Augustinus

Tit. 3.

2. Ioh. v. 10.

Ratio altera.

Sap. 1. 4. 5.

stinus: quod in gratiam peruicacium nostrorum nouatorum asscribam. *Multi* inquit *ad quaerendum pigri sunt, nisi per molestias & insultationes haereticorum quasi de somno excitentur, & de imperitia sua erubescant sibi, & de illa imperitia sua periclitari se sentiant. Qui homines si bonae sunt fidei, non concedunt haereticis, sed quid eis respondeant diligenter inquirunt. Nec eos deserit Deus, vt petentes accipiant, & quaerentes inueniant; & pulsantibus aperiatur. Qui autem desperant se posse in Catholica disciplina inuenire quod quaerunt, atteruntur erroribus, & si perseueranter inquirunt, ad ipsos fontes à quibus aberrauerant post magnos labores fatigati atq; sitientes, & pene mortui reuertuntur.* — *Lib. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 1.* — Matth. 7. 6.

Tertia ratio à Manichaeorum persona: qui etsi *sonoritus & strepitu linguae* magnificas veritatis pollicitationes iactabant, Crassi tamen homines toti à sensibus corporis pendentes, iisque omne veritatis iudicium asscribentes, propriam veritatis conditionem ignorabant. Quam brutam stupiditatem alibi quoque iisdem obiicit Augustinus: *Non est vestrum* inquit, *ista intelligere.* Non parum *mihi cogniti estis. Crassas omnino mentes & corporeorum simulachrorum pestifero pastu morbidas ad diuina iudicanda defertis, quae multo altiora sunt quàm putatis. Quare vobiscum modo non sic agendum est, vt ea iam intelligatis, quod fieri non potest, sed vt intelligere aliquando cupiatis. Facit enim hoc simplex & pura charitas Dei, quae maximè spectatur in moribus, de qua multa iam diximus: quae inspirata spiritu sancto perducit ad filium: id est, ad sapientiam Dei, per quam pater ipse cognoscitur. Nam si sapientia & veritas non totis animi viribus concupiscatur, inueniri nullo pacto potest. At si ita quaeratur, vt dignum est, subtrahere sese atque abscondere à suis dilectoribus non potest. Hinc est illud, quod in ore habere etiam vos soletis, quod ait Iesus: Petite & accipietis: quaerite & inuenietis: pulsate & aperietur vobis. Nihil est* — *Ratio 3.* — *3. Confess. cap. 6.* — *Manichaei carnales.* — *Lib. 1. de moribus* Manich. *cap. 17.*

est

est occultum, quod non reuelabitur. Amore petitur, amore quaritur, amore pulsatur. amore reuelatur, amore deniq; in eo quod reuelatum fuerit permanetur.

Cap 3. Et *contra Epistolam* Fundamenti Crassa illa & carnalia de Deo Phantasmata paulò apertius redarguit. *Ego*, inquit, *diu multumq; iactatus, tandem perspicere potui quid sit illa sinceritas, qua sine inanis fabula narratione percipitur: qui vanas imaginationes animi mei variis opinionibus erroribusque collectas vix miser merui Domino opitulante conuincere: qui me ad detergendam caliginem mentis, tam tardè clementissimo medico vocanti blandientiq; subieci: qui diu fleui, vt incommutabilis & immaculabilis substantia concinentibus diuinis libris sese mihi persuadere intrinsecus dignaretur, qui deniq; omnia illa figmenta qua vos diuturna consuetudine implicatos & constrictos tenent, & quasiui curiosè, & attentè audiui, & temerè credidi, & instanter quibus potui persuasi, & aduersus alios pertinaciter animoseq; defendi.*

Confer 3. conf. 6. 7. 10. & 4. confes. 2. 4. & 15.

3. Confes. cap. 6. Atq; hæc etiã spectat ista Prolepsis q̃ subiicit: *nihil est facilius mi Charissime*, &c. Nã iactatio veritatis & cõmixtio syllabarũ nominis Iesu & Parecleti Spiritus sancti nunq̃ recedebat de ore Manichæorũ, sed sonotenus & strepitu linguæ. Cæterũ cor inane veri, vt quãuis subinde clamarẽt veritas & veritas, nusq̃ tamen in eis esset, & falsa loquerentur.

Protestantes præfat. confes. Augustana ad Carol. V. & passim alibi. O quàm multis hodie eadẽ nassa in vsu, q passim clamantes *suam doctrinam non ex turbidis scholasticorum fontibus, sed ex scripturis sanctis, & puro verbo Dei haustam*, meros tamẽ fumos populis vendũt & siliquas porcorũ, quas ex corrupta verbi Dei cętere dentibus suis miserè commolunt, & simplicioribus pascendas obiiciunt. Quantò meliores Grammaticorum & Poëtarum fabellæ, quam nouę istius Theologiæ decipula, quæ quantò blandior tanto crudelius occidit credentem.

August. 3. Confes. 6.

Postremò his addit sui in scribendo integerrimi consilii seriã testificationem. Atq; hæc de Exordio.

Propositio. Propositio satis perspicuè in textu posita est: de

qua cũ affatim in argumẽto, nihil hic repetere attinet. Tantũ rogo a nimis auribusq; attẽtis adsint, q in Lutheri aut Caluini schola bellã hãc Manichei vocẽ adhuc quotidie audiũt: *nõ necesse esse credi do centibus propter ipsorũ asseuerationem, sed propter eas quas afferunt suæ doctrinæ probationes.* Homines ꝓdigiose ꝓbatores! qs momenta ponderosissimarũ rationũ enumeret? Probant ꝙ credis, quantũ credis, si nugis credis. Nugari contra sapientiã maiorũ, Eliæ sapientia est, & iactitare voculas Apostoli, sine succo & sanguine corpori euulsas, ratiocinari est. O Petre, ô Paule, ô Augustine, ô Hieronyme, vbi ratiocinatio tua est, si horum hominũ Litigiũ Christi religio est? Meminerint obsecro eius, ꝙ toties contra *Petrum Ramum*, quãq̃ in alio argumẽto ipsi ex Aristotele inculcarunt, δεῖ τόν μανθάνοντα πιςέυειν. Sed reprimo me. Augustinus hãc Lampada capiet ipse, & quod instituit contra Probatores, probabit ipse viriliter & neruosè. Qui si volent in campũ locorũ cõmuniũ excurrere, ꝙ ὀυδὲν ἄτερ γραφῆς: neq; authoritas sine ratione firma sit: Quod *Philosophi non sit testibus vti*: neque *tam autores in disputando, quam rationis momenta quærenda*. Sciant, ꝙ non ignorant, ista vel Prouectorũ sine scirpea iam rati nantium, vel Philosophorũ esse, de rebus in natura positis scientiã q̃rentiũ, q̃ sine causarũ redditione nulla est. Fidem nos q̃rimus, q̃ authoritate asseuerantis Dei vel Ecclesiæ gignitur, nec argumenta quærit, *Piscatoribus credens, non dialecticis.* Sed ad propositionẽ meam redeo, q̃ Augustinus latius enarrare incipit, primũ causas exponens, cur de præsenti argumẽto ad Honoratũ scribere aggressus sit: Tum qa Manichæi promissorũ illecebra plurimos fallere solebant: quod suo primum exemplo, qui nouennium Manichæus fuerat, tum Honorati ipsius comprobat, q etiã nondum Christianus ab Augustino pollicitatione rationũ se ad Manichæos ꝑtrahi passus est.

Zach. Vrsin. Locis Comm. de autor. S script. pag. 11.

Pertinet huc illud cont. Fulgent cap. 13. *ô probare! ô errare! ô delirare!*

Lib. 1. Elench.

Prolepsis.

2. de diuin.

1. De natura Deorum.

Ambros. de Trinitat.

De sua seductione scribit Augustinus in confessionibus. *Itaq; institui animum intendere in scripturas sanctas, vt viderem quales essent: & ecce video rem non compertam superbis, neq; nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam & velatam mysteriis: & non eram ego talis, vt intrare in eam possem, aut inclinare ceruicem ad eius gressus. Incidi itaq; in homines superbè delirantes & carnales nimis & loquaces, in quorum ore laquei Diaboli, & viscum confectum commixtione syllabarum nominis tui, & Domini Iesu Christi, & Paracleti consolatoris nostri Spiritus sancti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum, sed sonotenus & strepitu linguæ, cæterum cor inane veri. Et dicebant veritas & veritas & multi eam dicebant mihi, & nusquam erat in eis, sed falsa loquebantur, non de te tantum qui verè veritas es, sed etiam de istis elementis huius mundi creaturis tuis, de quibus etiam vera dicentes Philosophos transgredi, debui præ amore tuo, mi pater summe bone, pulchritudo pulchrorum omnium. O veritas, veritas, quàm intime etiam tunc medulla animi mei suspirabant tibi, cum te illi sonarent mihi frequenter & multipliciter voce sola & libris multis & ingentibus. Et illa erant fercula in quibus mihi esurienti te, inferebantur pro te Sol & Luna pulchra opera tua, sed tamen opera tua, non tu, nec ipsa prima.* Et lib. 5. Confessionum cap. 3. *Iam venerat Carthaginem quidam Manichæorum Episcopus Faustus nomine, magnus laqueus Diaboli, & multi implicabãtur in eo per illecebram suauiloquentiæ, quam ego tametsi laudabam, discernebam tamen a veritate rerum, quarum discendarum auidus eram, nec quali vasculo sermonis, sed quid mihi scientiæ comedendum apponeret nominatus apud eos ille Faustus intuebar.*

Lib. 3. Confess. cap. 5. & 6.

Alibi duas illis fallendi illecebras, vnam innocentium scripturarum reprehensionem: Alteram vitæ castæ & memorabilis continentiæ imaginem tribuit: Qua de re cum ipse duobus eos libellis cõuicerit, nihil hic attinet ociosa cura distineri.

Lib. 1. de moribus Eccles. Cathol. cap. 1.

Altera instituti ratio est, suæ à Manichæis discessionis excusatio: Cuius hic duas rationes affert: *Vnam* quod viderit, in imperitorum magis erroribus eos refellendis, quam in suis stabiliendis occupari. Solent enim hæretici, quod hodie frequentissimum, Catholicorum sententias in horribilia monstra & μορμολύκεια transformare, quo tāto liberius maledicentiæ suæ spicula in eos contorquere possint. Sed rectè Augustinus 6. Confess. cap. 11. *Magna spes oborta est, non docet Catholica fides, quod putabamus, & vani accusabamus.* Et lib. 1. de morib. Ecclesiæ cap. 10. *Desinite errare, non colimus pœnitentem Deum, non inuidum, non indigū, non crudelem, non quærentem de hominum vel pecorum sanguine voluptatem, non cui flagitia & scelera placeant, non possessionem suam terræ quadam particula terminantem. In has enim atque huiusmodi nugas grauiter copioseq; inuehi soletis. Quare nos inuectio vestra non tangit, sed aniles quasdam, vel etiam pueriles opiniones, eo ineptiore, quo vehementiore oratione peruellitis. Quæ quisquis mouetur, & ad vos transit, non Ecclesiæ nostræ damnat disciplinam, sed eam se ignorare demonstrat. Quamobrem, si quid humani corde geritis, si curæ vobis vosmetipsi estis, quærite potius diligenter & piè quomodo illa dicantur. Quærite miseri: nam talem fidē qua de Deo inconueniens aliquid creditur, nos vehementius & vberius accusamus. Nam & in illis quæ dicta sunt, cum sic intelliguntur vt litera sonat, & simplicitatem corrigimus & pertinaciam deridemus. Et alia multa quæ vos intelligere non potestis vetat eos credere Catholica disciplina, qui non annis sed studio atq; intellectu excedentes quandam mentis pueritiam, in canos sapientiæ promouentur.*

Neq; nunc Petrū, aut Mariam, aut Panem pro Deo: neq; alium Saluatorē quam Christum. NB.

Altera transmigrationis ratio redditur Manichæorum erga discipulos fraus, quos rationes solidas celando, & suas vnicè auditoribus obtrudendo, insidiosos aucupes imitatos scribit, qui viscatos

surculos propè aquā defigunt, vt sitientes aues decipiant, &c. Quod qa cuiuis obuiū aduersario suo impingere, p ꝓlepsin occupat Augustinus, ac quasi p correctionē superiora reiicit, allata tamen petitione à pari, vt ipsi quoq; Manichæi à suis in Augustinum dicteriis sibi temperent, quem Catholicum factum tanquam Apostatam criminabantur, & *per quem Lumen diuinum transitum fecisset.* Qua calumnia triuiali, non parum meam, aliorumque diuinitus misericordiam consecutorum famā exedunt, qui Fausti haram, quam Petri cathedram impensius amarunt. Sed stultorum omnium volucre telum maledictum.

Augustinus suo & suorum nomine inflictam calumniā facile excutit. Quam cassus inquit sim diuino lumine, opera facilè testantur, & interioris pectoris studia, ab ambitu, cubilibus & commessationibus in humilimam prostrationem, & parcissimam continentiam transmutata. Nam qualis olim Augustinus fuerit, confessionibus suis testatum reliquit. *Iam tricenariam ætatem gerebam* inquit, *in eodem luto hæsitans, auiditate fruendi præsentibus, fugientibus, & dissipantibus me.* Et non multò antè. *Inhiabam honoribus, lucris, coniugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus sinebas mihi dulcescere quod non eras tu.* Præcipuum autem (quod propter mulierosos protestantes nostros annotare visum) conuersionis Augustini impedimentum, cœlibatus fuit: quod disertis verbis 6. Confess. cap. 3. asserit. *Ipsum* inquit, *Ambrosium felicem quendam hominem secundum seculum opinabar, quem sic tanta potestates honorarent: Cælibatus tamen eius mihi laboriosus videbatur.* Et ibidem cap. 11. *Quid cunctamur igitur relicta spe seculi, conferre nos totos ad quærendum Deum & vitam beatam? Sed expecta, iucunda sunt etiam ista, habent non paruam dulcedinem suam, non facile ab eis præcidenda est intentio, quia turpe est ad ea rursum*

Augustin. qualis olim fuerit.
6. Confess. 6.
Metus continentiæ præcipuum August. impedimentū à conuersione.

ea rursum redire: Ecce iam quantum est vt impetretur aliquis honor? Et quid amplius in his desiderandum? Suppetit amicorum maiorum copia, vt nihil aliud & multum festinemus, vel præsidatus dari potest: & ducenda vxor cum aliqua pecunia, ne sumptum nostrum grauet, & ille erit modus cupiditatis. Multi magni viri & imitatione dignissimi, sapientiæ studio cum coniugibus dediti fuerunt. Cum hæc dicebam, & alternabant hi venti, & impellebant huc atque illuc cor meum. transibant tempora, & tardabam conuerti ad Dominum Deum, & differebam de die in diem viuere in te, & non differebam quotidie in memetipso mori, amans beatam vitam, timebam illam in sede sua, & ab ea fugiens quærebam eam. Putabam enim me miserum fore nimis, si fœminæ priuarer amplexibus, & medicinam misericordiæ tuæ ad eandem infirmitatem sanandam non cogitabam: Quia expertus non eram, & propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius, cum tàm stultus essem vt nescirem, sicut scriptum est: neminem posse esse continentem nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te iactarem curam meam. Similia multa habet lib. 7. Confes. cap. 12. 13. 15. & lib. 8. cap. 7. 8. 11. 12.

Quàm multi hoc sub isto nouo cælo adhuc putant.

NB.

Cuius muneris sit continenta.

Qualis verò à conuersione fuerit, & quâ fortiter illam cupiditatum hydram contuderit (magna Catholicæ veritatis laude, quæ instar salutaris medicinæ morbos vitiorum pellere, veræque pietatis vigorem instillare solet) iam satis toti terrarum orbi testatum est, & Possidius in eius vita literis commendauit. Humilitas, deuotio, caritas, nulli secunda. Castitas omnibus suspicienda. Certè *fœminarum nulla intra domum eius conuersata est, nulla mansit, nec germana quidem soror, nec patrui aut fratris filia, quæ omnes pariter Deo seruiebant.*

Possidius in vita cap. 26.

CAPVT II.

Proponit thema παράλληλον, de authoritate veteris Testamenti contra Manich.

NAm benè nosti, quod reprehendentes Manichæi Catholicam fidem, & maximè vetus testamentum discerpentes & dilaniantes commouent imperitos. Qui profectò nesciunt quatenus sint accipienda illa, & quemadmodum hausta vtiliter in venas quasi vagientium adhuc animarum medullasque descendant. Et quia sunt ibi quædam quæ suboffendant animos ignaros & negligentes sui, quæ maxima turba est, populariter accusari possunt: defendi autem populariter propter mysteria quæ his continentur, non à multis admodum possunt. Qui verò pauci hoc facere nouerunt, non amant propatula & famigerula quædam in disputatione certamina, & ob hoc minimè noti sunt, nisi his qui eos instantissimè requirunt. De hac igitur Manichæorum temeritate, qua vetus testamentum, & Catholicam fidem reprehendunt, accipe obsecro quæ me moueant. Opto autem ac spero te hoc animo accepturum, quo à me dicuntur. Scit autem Deus, cui nota sunt arcana conscientiæ meæ, nihil me in hoc sermone mali-

Causa instituti.

Votum.

tiosè

tiosè agere, sed, vt existimo, accipiendum esse, veri probandi causa, cui vni rei viuere iam diu statuimus, & incredibili solicitudine: ne mihi errare vobiscum facilimum fuerit, iter autem rectum tenere vobiscum sit, ne durius loquar, difficillimum. Sed præsumo quod & in hac spe, qua spero vos viam sapientiæ mecum obtenturos, non me deseret ille cui sacratus sum: Qué dies noctesque intueri conor. Et quoniam propter peccata mea, propterque consuetudinem plagis veternosarum opinionum sauciatum oculum animæ gerens, inualidum me esse cognosco, sæpè rogo cum lachrymis. Et quemadmodum post longam cæcitatem ac tenebras luminibus vix apertis, & adhuc lucem palpitando atque auersando, quam tamen desiderant recusantibus, præsertim si eis solem istum quispiam conetur ostendere: Ita mihi nunc euenit, non neganti esse ineffabile quoddam & singulare animæ bonum quod mête videatur, & me ad contemplandum nōdum esse idoneum cum fletu & gemitu cōfitenti. Non me ergo deseret, si nihil fingo, si officio ducor, si veritatem amo, si amicitiam diligo, si multum metuo ne fallaris.

ANALYSIS CAP. II.

Antequam ad principale thema veniat, præmittit confutationem delirii Manichæorum in veteris Testamenti libris tanquam nihili contemnendis: Eamque disputationem ad caput vsque septimum protendit.

Hoc autem capite I. causam indicat, cur de hoc argumento scribere instituerit: quia nimirum pauci, vel ob difficultatem mysteriorum, vel quod famigerula certamina non ament, virulentis Manichæorum Calumniis obsistant.

Deinde testatur, quod bono sinceroque animo in hac re sine vllius gloriæ affectu versaturus sit, eaque vt multis fructuosa sit, à Deo exoptat.

CAPVT III.

Argumentum I. pro authoritate veteris Testamenti, ex quadrupli eius sensu, Historico, Ætiologico, Analogico, & Allegorico.

OMnis igitur scriptura, quæ testamentum vetus vocatur, diligenter eam nosse cupientibus quadrifaria traditur, *secundum historiam, secundum ætiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam.* Ne me ineptum putes, Græcis nominibus vtenté. Primũ q a sic accepi, nec tibi hoc aliter audeo intimare, quã accepi. Deinde tu quoque animaduertis, non esse harum rerum apud nos vsitata nomina: quæ si fabricassem

Excusatio terminorũ Græcorum.

bricassem interpretando, essem profectò ineptior. Si autem circumloquerer, minus essem in disserendo expeditus. Id tantum oro credas, quoquo modo errem, nihil à me inflato ac tumido fieri. *Secundum historiam* ergo traditur, cum docetur quid scriptum, aut quid gestum sit: Quid non gestum, sed tantummodo scriptum quasi gestum sit. Secundùm *aetiologiam*, cùm ostenditur quid, qua de causa vel factum vel dictum sit. Secundùm *analogiam*: cùm demonstratur non sibi aduersari duo testamenta Vetus & Nouum. Secundùm *allegoriam*, cùm docetur non ad literam, esse accipienda quædam quæ scripta sunt, sed figuratè intelligenda. His omnibus modis Domin⁹ noster Iesus Christus & Apostoli vsi sunt.

Definitio singulorum modorum.

Nam de historia illud sumptum est, cùm obiectum esset, quod die Sabbati discipuli eius spicas euulsissent: *Non legistis*, inquit, *quod fecit Dauid, cùm esuriret, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis manducauit, quos non licebat ei manducare; neque eis qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus?* Ad ætiologiam verò illud pertinet, quod cùm Christus *prohibuisset vxorem abiici, nisi fornicationis causa*, relatumque esset ab interrogantibus, Moysen libello dato repudii permisisse licentiam: *Hoc*, inquit, *Moyses fecit propter duritiam cordis vestri.*

Exemplum historici sensus. *Matth. 12. 1. Retract. 21. a. 4.*

Aetiologia. *Matth. 7. 9*

Hic enim causa reddita est, cur illud à Moyse pro tempore benè permissum sit, vt hoc quod Christus præcipiebat, alia iam tempora demonstrare videretur. Horum autem temporum vices atque ordinem, mira quadam diuinæ prouidentiæ dispositione digestum atque compositum, longum est explanare.

Analogia. Iam porrò *Analogia* qua vtriusque testamenti congruentia perspicitur, quid ego dicam vsos fuisse omnes quorum authoritati illi cedunt; cum secum ipsi considerare possint; quàm *multa soleant dicere immissa esse scripturis diuinis, à nescio quibus corruptoribus veritatis?* Quæ vox mihi semper quidem etiam cùm eos audirem, inualidissima visa est: nec mihi soli, sed etiam tibi: nam benè memini, & nobis omnibus, qui paulò maiorem diligentiam in iudicando habere conabamur, quàm turba credentium. Nunc verò posteaquam mihi sunt exposita atque enodata multa, quæ me maximè mouebant, ea scilicet in quibus illorum plerumque se iactat, & quo securius sine aduersario eò, effusius exultat oratio; nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel vt mitius loquar, incuriosius & imbecillius, *quàm scripturas diuinas esse corruptas: cùm id nullis in tam recenti memoria extantibus exemplaribus possint conuincere.* Si enim dicerent, eas sibi penitus accipiendas non putasse, quod

Refutat calumniam corruptarum scripturarum.

quod

quod ab his essent conscriptæ, quos verum scripsisse non arbitrarentur, esset vtcunque tergiuersatio eorum tectior, vel error humanior. Hoc enim de illo libro fecerunt qui *Actus Apostolorum* inscribitur, quod eorum consilium cum mecum ipse pertracto, nequeo satis mirari. Non enim sapientiam hominum in hac re, sed cor mediocre desidero. Tanta enim liber iste habet, quæ similia sunt his q̃ accipiunt, vt magnæ stultitiæ mihi videatur, nõ & hunc accipere, & si quid ibi eos offendit, falsum atq; immissum dicere. Aut si talis oratio impudens est, sicuti est, cur in Pauli epistolis, cur in quatuor Euangelii libris ea valere aliquid putent, in quibus haud scio an multò plura sint proportione, quàm in illo libro esse potuerunt, quæ à corruptoribus interiecta credi volunt? Sed nimirum illud est quod mihi videtur, quod peto placidissimo & serenissimo iudicio mecum consideres: Nosti enim quod *authoris sui Manichæi personam in Apostolorum numerum inducere molientes*, dicunt Spiritum sanctum quem Dominus discipulis se missurum esse promisit, per ipsum ad nos venisse. Itaque si illos Actus Apostolorum acciperent, in quibus euidenter *aduentus sancti Spiritus* prædicatur, non inuenirent, quomodo id immissum esse dicerent. Volunt enim nescio quos corruptores diuinorum librorum ante ipsius Manichæi tempora fuisse. Corru-

Authoritas libri Actorum.

Act. 2. a.

pisse autem illos, qui Iudæorum legem Euangelio miscere cupiebant. Hoc autem de spiritu sancto dicere nequeunt, nisi fortè diuinasse illos asserant, & posuisse in suis libris quod contra futurum aliquando Manichæum, qui spiritum sanctum per se missum esse diceret, proferretur. Verũ de spiritu sancto aliàs planius aliquid eloquemur. Nunc ad hoc quò intenderam redeamus. Nam & historiam veteris Testamenti, & ætiologiã & analogiã in nouo Testamento inueniri, satis, vt puto, est demonstratũ: de *allegoria* restat ostendere. Ipse liberator noster in Euangelio allegoria vtitur ex veteri Testamento, *Generatio*, inquit, *hæc signum quærit, & non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ, sicut enim Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus fuit, sic & filius hominis tribus diebus & tribus noctibus erit* in corde terræ. Nam quid ego de Apostolo Paulo dicam? qui etiã ipsam Exodi historiã futuræ Christianæ plebis allegoriam fuisse significat ad Corinth. Epist. I. *Nolo autem vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierũt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eundẽ cibum spiritalẽ manducauerunt, & omnes eundẽ potum spiritalem biberunt. Bibebant autẽ de spiritali consequente eos petra, petra autẽ erat Christus. Sed non in pluribus eorũ beneplacuit Deo: prostrati enim sunt in deserto. Hæc aũt figura nostra fuerunt, vt non*

Exempla Allegoria.

Matth. 12. 39.

1. Cor. 10. 1.

Exod. 13. 17.

Num. 26. 65.

ut non simus cupidi malorum, sicut & illi concupierunt. Neq; idola colamus, sicut quidā ex illis, sicut scriptum est: Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex illis fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia hominum. Neq; tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt: & à serpentibus interierunt. Neq; murmuremus, sicut quidam ex illis murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Omnia autem ista in figura contingebant illis. Scripta autem sunt ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt. Est item apud Apostolum Allegoria quædam sanè ad causam maximè pertinens, ideò quòd eam ipsi in disputando proferre atq; ostentare consueuerunt. Idem enim Paulus dicit ad Galatas: *Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit: Vnum de ancilla, & vnum de libera: Sed is qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per promissionē: quæ sunt per allegoriā dicta. Nam hæc sunt duo testamenta, vnum quidem de monte Sina in seruitutem generans, quod est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui confinis ei quæ nunc est Hierusalē, & seruit cū filiis suis. Quæ aūt sursum est Hierusalē, libera est, quæ est mater omniū nostrū.* Hic igitur illi homines nimiū mali, dum frustrare legem conātur, eas scripturas approbare nos cogūt. Attendūt enim quod dictū est, in seruitute esse eos q̃ sub lege sunt, & id vltimū p̄ cæteris

Exod. 32. 6. *Num 25 1* *Ibidem v. 9.* *Num 21. 5.* *Num. 11. 1. & 14. 36.* *Gal. 4. 22.* *Gen. 16. 15.* *Gen. 21. 2.*

Obiectio Manichæorum contra legem.

ris

Galat. 5. 4. ris ventilant. *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.* Nos hæc omnia vera esse concedimus, nec illam legem necessariam esse dicimus, nisi eis quibus est adhuc vtilis seruitus: Ideoque vtiliter esse latam, quòd homines qui reuocari à peccatis ratione non poterant, tali lege coercendi erant, pœnarum scilicet istarum quæ videri ab stultis possunt, minis atque terroribus: à quibus gratia Christi cùm liberat, non legem illam damnat, sed aliquādo nos obtemperare suæ charitati, non seruire timori legis inuitat. Ipsa est gratia: id est, beneficium, quod non intelligunt sibi venisse diuinitus, qui adhuc esse cupiunt sub vinculis legis. Quos meritò Paulus obiurgat tanquam infideles, quia à seruitute cui certo tempore iustissima Dei dispositione subiecti erant, iam per Dominum nostrum Iesum Christum se liberatos esse non credunt. Hinc est illud eiusdem Apostoli. Gala. 3. 24. *Lex enim pædagogus noster erat in Christo.* 1. Retr. 14. Ille igitur pædagogum dedit hominibus quem timerent, qui magistrum postea, quem diligerent. In quibus tamen legis præceptis atq; mandatis, quibus nunc Christianos vti fas non est, quale vel sabbatum est, vel circumcisio, vel sacrificia: & si quid huiusmodi est: tanta mysteria continentur, vt omnis pius intelligat nihil esse pernitiosius, quàm quicquid ibi est accipi ad literam: id est ad verbum: nihil autem salu-

salubrius quàm spiritu reuelari. Inde est: *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* Inde est: *idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet*, quod non reuelatur, quoniã in Christo euacuatur. Euacuatur namque in Christo non vetus Testamentum, sed velamen eius, vt per Christum intelligatur, & quasi denudetur, quod sine Christo obscurum atque adopertum est. Statim quippe idem Apostolus subiicit: *Cum autem transieris ad Christum, auferetur velamen.* Non enim ait, auferetur lex, aut Testamentum vetus. Non igitur per Domini gratiam tanquam inutilia ibi tegerentur, ablata sunt; sed tegmen potius quo vtilia tegebantur. Hoc modo agitur cum iis qui studiosè ac piè, non turbidè atq; improbè scripturarum illarum sensum requirunt, demonstraturque sedulò & ordo rerum, & causæ factorum atque dictorum, & veteris Testamenti ad nouum tanta congruentia, vt apex nullus qui non consonet, relinquatur; & figurarum tanta secreta, vt omnia, quæ interpretando eruuntur, miseros esse cogant fateri, qui hæc volunt antè condemnare, quàm discere.

2. Cor 3.6.

Ibidem v. 16.

Conclusio.

ANALYSIS CAP. III.

Autoritatem veteris Testamenti contra Manichæos astructurus, primum hoc loco argumentum ducit à quadruplici scripturæ enarrandæ genere: Quod recentiores paulò aliter distinxerunt, numerantes primò *literalem* seu grammaticum sensum,

sensum, quem verba immediatè præferunt, Deinde *spiritualem*, qui aliò, quàm ad id quod verba immediatè significant, refertur. Literalem faciunt iterum duplicem, simplicem, in verbis propriis, & figuratum, in translatis. Quò fit vt figurati tot sint genera, quot figuræ: *Spiritualem* sensum faciunt triplicem, *Allegoricum*, *Tropologicum*, & *Anagogicum:* de quibus prolixius vide *Bellarm lib 3 de Verbo Dei cap. 3.* Et ex hæreticis *Aretium in Problematibus loco 52.* Sed Augustinus suam diuisionem ita tractat, vt primò quatuor generum nomina proponat. Deinde terminos Græcos excuset. Tertiò singulos modos definiat. Quartò singulorum modorum exempla afferat: Vt *historia* de panibus propositionis Matth. 12. *Aetiologia* de libello repudii Matth. 19. *Analogia* autem quia suspecta erant exempla Manichæis tanquam à corruptoribus immissa: refellit Augustin. hanc calumniam. 1. Quòd nullis contrariis exemplaribus ostendi possit. 2. Quòd grauior impietas sit, quàm cum integros libros proscribunt, velut Actus Apostolorum: Quem librum simul vindicat ab insectatione istorum, tum quòd habeat multa similia istis quæ profitentur, tum quòd in Pauli Epistolis & quatuor Euangeliis plura inueniantur ipsis contraria, quàm in Actis. Tum denique quòd causa odii istius manifesta sit, historia missi Spiritus sancti, quem illi per suum demum Manem exhibitum credi malebant.

Distinctio capitis.

Denique exempla affert *Allegoria* ex Matth. 12. de signo Ionæ. Ex 1. Corinth. 10. de Israëlitis in deserto. Ex Gal. 4. de duobus filiis Abrahami. Vnde obiectionem quoque Manichæorum soluit, quod qui sub lege sint, sub seruitute sint. Nos autem à Christo in libertatem vindicati, &c.

Lex quatenus abrogata.

Respondet primò per concessionem, legem non esse necessariam, nisi seruis, qui adhuc minis ac terroribus ad iustitiam adigendi sunt. Liberi autem sua sponte vel amore iustitiæ ad obedientiam feruntur.

runtur. Atque hanc ait esse gratiam Euangelii, charitati potius, quàm timori legis obedire. Deinde respondet omnes pariter liberatos esse á lege *ceremoniali*: Quàm tamen sano nobis sensu interpretandam docet, ex Apostolo 2. Corinth. 3. *Litera occidit, spiritus viuificat*, &c. Hinc ergo conclu- dit, quod ab initio proposuerat: Cùm scriptura veteris Testamenti quadruplici interpretationis genere tàm bellè cum libris noui Testamenti conueniat, absurdos & impios esse Manichæos, qui sola imperitia tam nobilem thesaurum conculcatum pedibus velint. *Summa argumenti primi.*

CAPVT IV.

Tribus modis Errari docet, & Exemplis ostendit.

SEd vt omissa interim altitudine scientiæ, sic agam tecum, quomodo agendum arbitror cum familiari meo: id est, sicut ego possum, non sicut doctissimos viros posse miratus sum: *Tria genera sunt erroris quibus homines errant*, cùm aliquid agunt. De singulis dicam. *Primum* genus est, in quo id quod falsum est verum putatur, cùm aliud qui scripsit putauerit. *1. Error.* *Alterũ* est quãuis non tam latè patens, non tamen minus noxium, cùm id quod falsum est verum putatur, id tamen putatur quod etiam ille, qui scripsit, putauit. *2. Error.* *Tertium* est, cùm ex alieno scripto intelligitur aliquid veri, cùm hoc ille, qui scripsit nõ intellexerit. *3. Error.* In quo genere non parũ est vtilitatis, imò si diligentius consideres, totus legendi fructus est inte-

Exemplum 1. Erroris. integer. *Primi generis* exemplum est, vt si quisquam verbi gratia, dicat & credat *Rhadamanthum* apud inferos audire ac diiudicare causas mortuorum, eò quòd Maronis in carmine id legerit. *Aeneid.6.* Hic enim errat duobus modis, quod & rem non credendam credit, neque id putandus est credidisse ille quem legit. *Exemplum 2. Erroris.* *Alterum genus* animaduerti sic potest, si quis quia Lucretius animam ex atomis esse scribit, eamque post mortem in easdem atomos solui atque interire, id verum ac sibi credendum arbitretur. Nam & hic non minus miser est, si de re tanta id quod falsum est pro certo sibi persuasit; Quanquam id *Lucretius*, cuius libris deceptus est, opinatus sit. Quid enim huic prodest de authoris sententia certũ esse, quando sibi eum non per quem erraret, sed cum quo erraret, elegerit? *Exemplum 3. Erroris.* *Tertio generi* est illud accommodatum, si quis *Epicurum* lecto eius in libris aliquo loco vbi continentiam laudat, in virtute illum summum bonum posuisse asseueret, & ideò non esse culpandum. Huic enim quid obest error Epicuri, si summum bonum hominis voluptatem ille corporis credit, cùm iste non se dederit tam turpi noxiæque sententiæ, neque ob aliam causam ei placeat Epicurus, nisi quòd eum sensisse non putat, quod sentiri non oporteat? Hic error non modò humanus est, sed sępè etiam homine dignissimus. *Aliud Exemplum.* Quid enim si mihi de aliquo quem diligerem

rem, nunciaretur, quòd ſibi cùm eſſet barbatus, pueritiam atque infantiam ita placere multis audientibus dixerit; vt etiam iurauerit ſe ſimiliter velle viuere, idque ita mihi probaretur, vt impudenter negarem, num reprehendendus viderer, ſi eum exiſtimarem, cùm hoc diceret, ſignificare voluiſſe, ſibi placere innocentiam; & ab eis quibus hominum genus inuolueretur cupiditatibus, animum alienum, & ex eo illum magis magiſque diligerem, quàm antea diligebam, etiam ſi fortaſsè ille in puerorum ætatibus libertatem quandam in ludendo & cibando, atque ignauum otium ſtultus adamaſſet? fac enim eum eſſe defunctum, pòſtquam hoc mihi nunciatum eſt; nec interrogari à me potuiſſe quicquam, vt aperiret ſententiam ſuam: eſſet ne quiſquam tam improbus, qui mihi ſuccenſeret, cùm hominis laudarem propoſitum & voluntatem per illa ipſa verba quæ acceperam? Quid quòd etiam iuſtus rerũ exiſtimator non dubitaret fortaſsè laudare opinionem & voluntatem meam, cùm & innocentia mihi placeret, & homo de homine in re dubia benè potius exiſtimarem, cùm etiam male diceret.

ANALYSIS CAP. IV.

Tres errandi modos quo conſilio hic diſtinguat Auguſtinus, ſequenti capite patebit, vbi ex hoc

fundamento alterum contra Manichæos argumentum deducet.

Error quid.

Sciendum autem, *errorem* propriè esse approbationem falsorum pro veris. Et quia error matrem habet ignorantiam, obseruanda Aristotelis distinctio, qui duplicem ignorantiam tradit. Vna est ἄγνοια κατ' ἀπόφασιν, id est, *ignorantia puræ negationis*: cùm quis simpliciter alicuius rei cognitione destitutus est: Quemadmodum infantes & rustici conclusiones artium & facultatum simpliciter ignorant; adeò vt nec illas se scire arbitrentur. Vnde nec hactenus erroris capaces sunt. Altera est, ἄγνοια κατὰ διάθεσιν, id est, *ignorantia praue dispositionis*, cũ quis falso argumẽto deceptus, falsam sententiã animo complectitur, atq; ita sibi scire videtur quod nescit, vel saltem non omni ex parte pro vt est amplectitur. *Hæc ignorantia error est* & non dubium, quin variis modis fieri possit. Augustinus autem quas hic species commemorat, patet ex exemplis in scriptorum alienorum interpretatione potissimum solere contingere. Modos illos & modorum exempla, videat lector in textu. Nos deinceps, quia librum immodicè præter consilii rationem turgescere videmus, breuitati magis magisque studebimus.

1 Posterior. 13.

Ignorantia duplex.

Confer S. Thomam quæst. de malo, q. 3. art. 3.

CAPVT V.

Argumentum alterum pro authoritate veteris Testamenti, ex superiori hypothesi de triplici errorum genere.

QVæ cùm ita sint, audi etiam earundem scripturarum totidem conditiones & differentias. Nam necesse est totidem occurrant. *Aut enim vtiliter scripsit quispiam, & non vtiliter ab aliquo intelligitur, aut vtrunque*

vtrunque inutiliter fit, aut vtiliter intelligit lector, cùm ille contra, qui legitur, scripserit. Horum trium primum non improbo; vltimum non curo. Nam neque possum reprehendere hominem, qui nulla sua culpa malè intellectus est: nec molestè habere quenquam legi, qui verum nõ viderit, cũ obesse legentibus nihil videam. Vnũ igitur genus est probatissimũ, & quasi purgatissimũ, cùm & bona scripta sunt, & in bonam partem accipiuntur à legentibus. Id quoq; tamen adhuc in duo diuiditur, non enim penitus excludit errorem. Nam euenit plerunq; vt cùm benè senserit scriptor, benè etiã lector sentiat, sed aliud quàm ille, & sæpè melius, sæpè inferius, vtiliter tamen. Cùm autẽ & hoc sentimus quod ille quẽ legimus, & id est vitæ benè agẽdæ accommodatissimum, cumulatissimè sese habet veritas, nec aliũdè aperitur falsitatis locus. Quod genus cũ de rebus obscurissimis lectio est, rarissimũ omninò est, neq; id mea sententia liquidò sciri, sed tantũmodò credi potest. Quibus enim argumentis absentis vel mortui hominis voluntatem ita colligam, vt de illa iurare possim: Cùm etiam si præsens interrogaretur, multa esse possent, quæ si malus non esset, officiosissimè absconderet. Illud autem nihil ad rem cognoscendam valere arbitror, qualis fuerit ille qui scripsit: honestissimè tamen bonus creditur, cuius literis generi humano posteritatique

consultum est. Quamobrem vellem mihi isti dicerent, in quo genere ponant Ecclesiæ Catholicæ, quem putant errorem. Si in primo, graue omnino crimen, sed defensionem longinquã non requirit; Satis est enim negare ita nos intelligere, vt illi cùm inuehuntur existimant. Si in secundo, nõ minus graue est, sed eàdem voce refellentur. Si in tertio, nullũ crimen est. Age, ac deinde scripturas ipsas cõsidera. Quid enim libris obiiciunt veteris, quod dicitur, Testamenti? Nunquid nam quòd boni sunt, sed malè intelliguntur à nobis? At eos ipsi non accipiunt. An quia nec boni sunt, nec benè accipiuntur? At hoc superior defensio satis expugnat. An illud dicẽt, quamuis benè à vobis accipiantur, mali sunt tamen? Quid est aliud viuos, cum quibus res agitur, aduersarios absoluere, atq; olim mortuos, cum quibus nulla contentio est, accusare? Ego quidem illos viros & omnia vtiliter memoriæ mandasse, & magnos ac diuinos fuisse, & illam legem Dei iussu ac voluntate promulgatã esse & conditã credo: Et id quanquam perpauca eius generis librorum sciã, persuadere tamen facilè possum, si mihi æquus & minimè pertinax animus adhibeatur: atque id faciam, cùm copia nobis data fuerit beneuolarum aurium, ac mentis tuę: Sed hoc cùm potero. Nunc autem nõnne mihi satis est, quoquò modo se ista res habeat, deceptum non fuisse.

ANA-

ANALYSIS CAP. V.

Hypothesin præcedentis capitis instituto nunc suo applicat Augustinus, atque hinc argumentum pro Ecclesia elicit. Si in veteri Testamento acceptando errat Ecclesia, fit id vel primo erroris modo, vel secundo, vel tertio. Nō primo (vbi bona malè accipiuntur) quia nec ipsi benè scripsisse Prophetas admittunt, neque nos si admitterent, malè intelligere demonstrare possent. Non secundo (vbi mala malè) quia pariter in vtroque probando Manichæi succumbunt. Non Tertio (vbi mala benè) quia nec malè scripsisse demonstrant, nec si demonstrarent, quicquam nos constringerent. Quid enim prohibet mala ad communem vtilitatem benè accipere?

CAPVT VI.

Tertium argumentum, cum instructione, idoneos veteris Testamenti interpretes adhibendi, idque amandi prius, quàm discendi.

TEstor Honorate conscientiam meam, & puris animis inhabitantem Deum, nihil me existimare prudentius, castius, religiosius, quàm sunt illæ scripturæ omnes, quas Testamēti veteris nomine Catholica Ecclesia retinet. *Miraris*, noui. Non enim dissimulare possum, lōgè aliter nobis fuisse persuasum. Sed nihil est profectò temeritatis plenius, quæ nobis tunc pueris inerat, quàm quorumcunq; librorum expositores deserere, qui eos se tenere ac discipulis tradere posse profitentur, & eorum sentētiam

Occupatio.

Stultū scripturæ sensum ab eius inimicis velle doceri.

requirere ab his, qui conditoribus illorum atq; authoribus acerbissimum, nescio qua cogente causa, bellum indixerunt. Quis enim sibi vnquam libros *Aristotelis* reconditos & obscuros ab eius inimico exponẽdos putauit, vt de his loquar disciplinis in quibus lector fortassè sine sacrilegio labi potest? Quis denique geometricas literas *Archimedis* legere, magistro *Epicuro*, aut discere voluit: Contra quas ille multum pertinaciter, nihil earum, quantum arbitror, intelligens, differebat? An istæ scripturæ legis planissimæ sunt, in quas isti quasi vulgò expositas impetum faciunt frustrà & inaniter? Qui mihi similes videntur illi muliercułæ, quam iidem ipsi solent deridere, *quæ irata quòd ei sol iste laudaretur, & à Manichæa quadam fœmina colendus commendaretur, vt erat religiosè simplex; concita exiliuit, & eum locum quem sol per fenestram illustrauerat, crebro pede percutiens, ecce solem Deumque tuum calco, clamare cœpit*: stultè omninò atque muliebriter, quis negat? Sed nónne tibi tales videntur isti qui ea, quæ non intelligunt, aut cur, aut omninò qualia sunt, quamuis iacentibus similia, subtilia tamen intelligentibus atque diuina, magno impetu orationis maledictisque lacerantes, quia eis imperiti plaudunt, aliquid se proficere existimant? Quicquid est, mihi crede, in scripturis illis, altum & diuinum est: Inest omnino veritas & reficiẽdis instau-

Simile *Occupatio.* *Mulier solē calcans.*

instaurandisque animis accommodatissima disciplina: Et planè ita modificata, vt nemo inde haurire nõ possit, quod sibi satis est, si modò ad hauriendum deuotè ac piè, vt vera religio poscit, accedat. Quod vt tibi probem, multis rationibus & longiore oratione opus est. *Agendum enim tecum prius est, vt authores ipsos non oderis, deinde vt ames*: & hoc agendum quouis alio modo potius, quàm exponendis eorum sententiis & literis. Propterea quia si *Virgilium* odissemus, imò si non eum priusquam intellectus esset maiorum nostrorum commendatione diligeremus, nunquam nobis satisfieret de illis eius quæstionibus innumerabilibus, quibus Grammatici agitari & perturbari solent, nec audiremus libenter, qui cum eius laude illas expediret, sed ei faueremus qui per eas illum errasse ac delirasse conaretur ostendere. Nunc verò cùm eas multi ac variè pro suo quisque captu aperire conentur, *his potissimum plauditur, per quorum expositionem melior inuenitur poeta*, qui non solum, nihil peccasse, sed nihil non laudabiliter cecinisse ab eis etiam qui illum non intelligunt, creditur. Itaque in quæstiuncula magistro deficienti, & quid respondeat nõ habenti, succensemus potius, quàm illũ mutum vitio Maronis putamus. Iam si ad defensionẽ suam peccatũ tanti authoris asserere voluerit, vix apud eũ discipuli vel datis

Non odisse sed amare authores discendos debemus.

mercedibus remanebunt. Quantum erat vt similem beneuolétiam præberemus eis, per quos locutum esse spiritum sanctum, tam diuturna vetustate firmatum est? *Sed scilicet intelligentissimi adolescentes, & miri rationum exploratores, non euolutis saltem illis literis, non quæsitis magistris, non aliquantum nostra tarditate accusata, non denique vel mediocri corde concesso, eis qui eiusmodi literas per totum orbem tam longo tempore legi, custodiri, tractarique voluerunt, nihil apud illos credendum putauimus eorum, qui istis inimici infestique sunt voce commoti, apud quos falsa pollicitatione rationis, inaudita milia fabularum credere, & colere cogeremur.*

Adolescentium temeritas.

ANALYSIS CAP. VI.

Tertii argumenti loco iuramentum Honorato præstat, perque Dei & conscientiæ suæ testificationem veteris Testamenti authoritatem confirmat. Quod quia mirum Honorato videri poterat, tam ingeniosum atque acrem Manichæismi defensorem, in tam contraria nunc studia abiisse; (non secus ac hodiè Lutherani & Caluinistæ, quos suarum aliquando partium fuisse, & haud segniter Catholicos insectatos esse recolunt, nunc Catholicam sincerè causam agere, nullo vel Ioue lapide sibi persuaderi patiuntur) præoccupat Augustinus, superiorumque temporum ætatem increpat, quæ partim temeritate, partim imperitia & infirmitate eos sectata magistros sit, qui ipsi à veritate alienissimos animos gesserint. Idque perinde esse ait, ac si quis Aristotelem ab eius inimico, vel Archimedem ab Epicuro doceri postulet.

Obie-

Obiectio. At tanta difficultas legis non videtur, vt exquisitos & laboriosos interpretes requirat, & nostros Manichæos fugiat? *Respons.* Immò scripturæ illæ, quamuis simplicitate humiles, subtilitate tamen altæ ac diuinæ sunt, atque instar solis in summo cœlo feruntur. Cuius inferiores radios quod isti homines malè feriati furiosè calcant, isti mulierculæ similiter agunt, quæ soli irata, quem colere iubebatur, in lumen eius insiliit, crebroq; illud pede percussit.

Altera parte cap. contrariam instructionem suggerit Honorato, vt quemadmodum industrii Maronis interpretes prius illum amant, quàm discunt, & vbi Eclogas vel Aeneida ipsius enodare debent, omni cura solicitudineque in id incumbunt, vt Magistri potius quàm suum honorem & gloriam tueantur: Ita ipse quoque veteris Testamenti scriptoribus amando in se locum faciat, amatos legat, lectos colat & omni robore contra oblatrantes propugnet, &c. Quod idem præceptū sibi hodie datum meminerint studiosi adolescentes, qui hinc inde in Academiis parum optatos fidei duces sequuntur, & quæ semel ab illis odio in nos ac liuore tabidis imbiberunt, ita pertinaciter animoseque defendunt, ac si ex aliquo tripode hausta forent. Miseri homines, nihil cogitantes, qui sint, quorum voce præstructi Catholicam prius doctrinam odisse, quàm intelligere cœperunt: Nihil cogitantes ætatem suam, cera molliorem & Cothurno versatiliorem, quæ quicquid statuit, vnius propemodum diei aut mensis termino claudit. Eleganter alicubi *Ambrosius*. *Duobus* inquit, *aut tribus testibus stat omne verbum, sed illis testibus qui ante hesternum aut nudius tertius non fuerunt inimici, ne irati nocere cupiant, ne læsi vlcisci se velint. In offensus igitur affectus testium quæritur, ita tamen vt accusator proprius in medium procedat.*

Admonitio ad studiosos.

Epist. 66.

CAPVT VII.

Redit ad institutum & veram propositionem duobus argumentis confirmat.

SEd nunc quod institui peragam, si possum, & sic apud te agam, vt fidem Catholicā nō interim aperiā, sed ad scrutanda eius magna mysteria, eis quorū animæ sibi curæ sunt, spem diuini fructus & inueniendæ veritatis ostendā. Nemo dubitat eum qui veram religionē requirit, aut *iam credere immortalem esse animam, cui prosit illa religio, aut etiam id ipsum in eadem religione velle inuenire.* Animæ igitur causa omnis religio. Nā corporis natura quoquo modo se habeat nullā curā ac solicitudinē incutit ei, præsertim post mortē, cuius anima tenuerit quo beata sit. Animæ igitur causa vel solius vel maximè vera, si qua est, religio constituta est. Hæc autem anima, videro quam ob causam & obscurissimum esse confiteor, errat tamen ac stulta est, vt videmus, donec adipiscatur percipiatque sapientiam, & fortasse ipsa est vera religio. Nū te ad fabulas mitto? num aliquid cogo te temerè credere? Animam nostram dico errore ac stultitia irretitam & demersam, viam, si qua est, quærere veritatis. Si hoc in te non est, da veniam, & participare mecum, quæso, sapientiam tuam: sin id ꝙ dico agnoscis in te, simul obsecro quæramus verum.

Immortalitas animæ fundamentum Religionis.

Tanquā rudes quærere veritatem debemus.

verum. *Puta nos adhuc neminem audisse cuiuspiam religionis insinuatorem. Ecce res noua est à nobis negotiumq; susceptum.* Quærendi sunt credo, huius rei, si nulla est, professores. Fac nos reperisse alios aliud opinantes, & diuersitate opinionũ ad se quemq; trahere cupientes. Sed inter hos excellere famæ interim celebritate quosdam, atque omnium penè occupatione populorum. Verum isti verum teneant, magna quæstio est. Sed nonne prius sunt explorandi, vt quandiu erramus, si quidem homines sumus, cũ ipso genere humano errare videamur? *At enim apud paucos quosdam est veritas.* Scis ergo iam quæ sit, si scis apud quos sit. Nonnè dixerá paulo antè, vt quasi rudes q̃reremus? sed si ex ipsa vi veritatis paucos eã tenere cõiectas, qui verò sint, nescis: quid si ita pauci sunt, qui verũ sciunt, vt authoritate sua multitudinẽ teneãt, vnde se in illa secreta expedire, & quasi eliquare paucitas possit? Nonnè videmus quã pauci summam eloquentiam consequantur, cùm per totũ orbem rhetorum scholæ adolescentiũ gregibus perstrepant? Nunquid nã imperitorũ perterriti multitudine, quicunq; boni oratores euadere volunt, *Cæcilii* sibi potiùs, aut *Erucii orationibus*, quã Tullianis nauãdã operam existimant? *Hæc appetunt omnes, quæ maiorum authoritate firmata sunt. Eadem imperitorum turbæ discere moliuntur, quæ à paucis doctis discenda recepta sunt.* Assequun-

Celeberrimi et vbiq; recepti sectandi.

An apud paucos veritas.

Pro multitudine contra paucitatem.

Nota bene.

Aſſequuntur autem perpauci, agunt pauciores, clareſcunt pauciſſimi. Quid ſi tale quiddam eſt vera religio? Quid ſi multitudo imperitorum frequentat Eccleſias, ſed nullum argumentum eſt, ideo neminẽ illis myſteriis factum eſſe perfectum. Et tamen ſi tam pauci ſtuderent Eloquentiæ, quàm pauci ſunt eloquentes, nunquam nos parentes noſtri magiſtris talibus commendandos putarent. Cùm igitur ad hæc ſtudia nos multitudo inuitauerit, quæ imperitorum parte copioſa eſt, vt id quod pauci adipiſci poſſunt adamaremus: Cur nobis eſſe ſimilem in religione nolumus cauſam, quam cùm magno animæ diſcrimine fortaſſe contemnimus. Si enim veriſſimus & ſynceriſſimus Dei cultus, quãuis ſit apud paucos, apud eos tamen eſt quibus multitudo, quanquam cupiditatibus inuoluta, & à puritate intelligentiæ remota, conſentit: Quod fieri poſſe quis dubitet? quæro, ſi quis temeritatem vecordiamque noſtram arguat, quod non apud eius magiſtros eam diligenter inueſtigamus, cuius inueniendæ nobis magna cura ineſt, quid reſpondere poſſimus? *Deterruit me multitudo.* Cur ab ſtudio artium liberalium, vix huic præſenti vitæ aliquid commodi afferentium, cur ab inquirenda pecunia, cur ab honore adipiſcendo, cur denique à comparanda & retinenda bona valetudine, poſtremò cur ab ipſa beatæ

vitæ

vitæ appetitione, cum hi omnes occupentur, pauci excellant, nulla deterruit multitudo? *At absurda ibi dici videbantur. Quibus asserentibus? nempè inimicis, qualibet causa, qualibet ratione*, non enim hoc nunc quæritur, tamen inimicis. Cum legerem, per me ipse cognoui. Itane est? nulla imbutus poëtica disciplina, Terentianũ Maurum sine magistro attingere non auderes. *Asper, Cornutus, Donatus*, & alii innumerabiles requiruntur, vt quilibet poëta possit intelligi, cuius carmina & theatri plausus videntur captare: tu in eos libros, qui quoquo modo se habeant, sancti tamen diuinarumque rerum pleni propè totius generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam: nec si tibi aliqua occurrunt, quæ videantur absurda, tarditatem tuam & putrefactũ tabe huius mundi animum, qualis omnium stultorum est, accusas potius quàm eos, qui fortasse à talibus intelligi nequeunt. Quæreres aliquem pium simul & doctum, vel qui talis esse multis consentientibus diceretur, cuius & præceptis melior & doctrinà peritior fieres. Non facilè reperiebatur, cum labore inuestigaretur. Deerat in ea terra quam incolebas. Quæ causa vtilius cogeret peregrinari? In continenti prorsus latebat, aut non erat: nauigaretur, si in propinquo transmare non inueniebatur, progredereris

NB. *Neq; inimicis, neq; nobis de Catholica fide credere debemus, donec didicimus ipsi.*

reris vſq; ad illas terras, in q bus ea q̃ illis libris cõtinentur, geſta eſſe dicuntur. *Quid tale fecimus Honorate? & tamẽ religionẽ fortaſſe ſanctiſſimã*, adhuc enim quaſi dubitandũ ſit, loquor, *cuius opinio totum iam terrarũ orbem occupauit, miſerrimi pueri pro noſtro arbitrio iudicioq; damnauimus.* Quid ſi illa quæ nonnullos imperitos in eisdem ſcripturis videntur offendere, eò ſunt ita poſita, vt cùm res abhorrentes à ſenſu qualiumcunque hominum, nedum prudentiũ atque ſanctorũ legerentur ſecretam ſignificationem multò ſtudioſius quæreremus? nonne cernis, vt *Catamitum* bucolicum, cui paſtor durus effluxit, conentur, homines interpretari: Et *Alexim* puerũ in quem Plato etiã carmen amatoriũ feciſſe dicitur, neſcio q d magnũ ſignificare, ſed imperitorũ iudicium fugere affirmant, cùm ſine vllo ſacrilegio poëta vberrimus videri poſſit libidinoſas cantiũculas ediditſſe? ſed reuera reuocabat nos atq; ꝓhibebat à q̃rendo, aut alicuius legis ſanctio, aut aduerſantiũ potẽtia, aut ſacratorũ pſona vilis, aut fama turpis, aut inſtitutionis nouitas, aut occulta profeſſio. Nihil horum eſt, *omnia diuina & humana iura permittunt quærere Catholicã fidem.* Tenere autẽ & colere per humanum certè ius licet, ſi de diuino quãdiu erramus, incertũ eſt. Nemo imbecillitatẽ noſtrã terret inimicus: Quanquam veritas atque animæ ſalus ſi diligenter quæſita, aut vbi tutiſſimè

Audite ô adoleſcentes.

Nulla lex ab inquiſitione veritatis prohibet.

tissimè licet inuéta nō fuerit, cū quouis discrimine quæri debeat: Omniū dignitatū & potestatū gradus, huic diuino cultui deuotissimè inseruiūt, honestissimum est religionis nomē, & p̄clarissimū. Quid impedit tādē p̄scrutari atq; discutere pia & sedula inuestigatione, vtrū hic sit illud, q̄ syncerissimè nosse & custodire paucos necesse est, etiā si omnium in id gentiū voluntas fauorq; conspiret? Quæ cùm ita sint, *fac nos*, vt dixi, *nunc primum quærere, cuinam religioni animas nostras purgandas instaurandasq; tradamus. Proculdubio à Catholica Ecclesia sumendum exordium.* Plures enim iam Christiani sunt, quam si Iudæi simulachrorum cultoribus adiungātur. Eorundē autē Christianorū cùm sint hæreses plures, atque omnes se Catholicos velint videri, aliosque præter se hæreticos nominent, vna est Ecclesia, vt omnes concedunt, si totum orbem consideres, refertior multitudine: vt autem qui nouerunt affirmant, etiam veritate syncerior cæteris omnibus, sed de veritate alia quæstio est. Quod autem quærentibus satis est, *vna est Catholica, cui hæreses aliæ diuersa nomina imponunt, cum ipsæ singulæ propriis vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur.* Ex quo intelligi datur, iudicātibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit Catholicū nomē, ad quos omnes ambiunt tribuēdum.

Christianorum varia hæreses.

NB.

Sed

Sed ne id loquacissimè aut superfluò quispiam differendum putet, vna est certè in qua ipsæ quodammodo etiam humanæ leges Christianæ sunt. Nullum ergo hinc præiudicium fieri volo, sed exordium quærendi opportunissimũ iudico. Non enim metuendum est, ne verus Dei cultus nullo proprio robore innixus, ab eis quos fulcire debeat, fulciendus esse videatur: Sed certè perfectæ felicitatis est, si potuerit ibi verum inueniri, vbi & inquisitio eius & retentio securissima est: si non potuerit, tunc demum aliò, quocunque periculo adeundum atque rimandum.

ANALYSIS CAP. VII.

Asserta satis pro instituti breuitate veteris Testamenti authoritate, redit nunc ad institutum: Et prima parte capitis, quo lector quasi filo Ariadneo ex Labyrinthis dubitationum educatur, gradus quosdam ad Ecclesiæ magisterium sculpit: quod illi postea firma fide amplectendum altera parte confirmat.

Gradus sunt hi. 1. Omnem religionem immortalis animæ causa coli. 2. Animam autem ante inuentam sapientiam & religionem errare ac stultam esse. 3. Itaque studiose quærendum verum. 4. Et ita quidem ac si nullus adhuc cuiuspiam religionis insinuator præuenerit. 5. Quærendum autem ex professoribus, cum pessimus sibi quisque Magister. 6. Qui cum multi, varii & dissonantes, inter hos delectus habendus, & præferendus ille, qui famæ celebritate, atque omnium populorum occupatione excellit. Is enim etsi dubium, verumne

sentiat,

sentiat, tamen explorandus prius est, vt quandiu erres, cum ipso genere humano errare videaris.

Hinc iam *transit ad alteram partem*, atque ex superioribus institutum suum hoc modo concludit. In veritatis inquisitione Magister omnium celeberrimus, & plurimorum populorum consensu approbatus sequendus est, Atqui talis præ omnibus hæreticis est Catholica Ecclesia. Ergo illius culturæ potissimum te dedere debes.

Exceptio contra maiorem. Atqui *in paucis frequenter est veritas, errare multorum est*: quemadmodum obiicit quoque *Cresconius Gramm. lib. 3. cap. 66. Et lib. 4. cap. 53.*

Respons. Ergo scis iam veritatem, cum nos constituerimus rudes quærere. Deinde à paucis sane veritas oritur, sed postea crescens longè latèque radios suos diffundit, quia omnes vbique populos in admirationem amoremque sui excitat. Inter quos etsi iterum pauci veritatem excellenter intelligunt, reliqua tamen confusa multitudo illos æmulatione sequitur, & sequendo vel assequitur vel sequendos tamen colendosque seruat. Atque hoc 1. confirmationis argumentum est: Quod exemplo studiorum Triuialium eloquentiæ illustrat; à qua si non multitudine adolescentium hinc inde perstrepentium absterremur: neque ab religione multitudo nos absterrere debet.

Alterum argumentum iterum Prolepsi figuratur. Atqui in Catholica Ecclesia tam multa absurda videntur dici? *Respons.* Quo iudice absurda? Præceptoribus tuis: Atqui illi infensissimi inimici sunt, quibus contra nos fidem adhibere non debes.

Te ipso legente & cognoscente? At cogita parum idoneum te tantæ causæ arbitrum esse. Terentianum Maurum sine Magistro non attingis: Reliquas artes liberales sine doctore non addiscis,

quanto minus igitur sanctissimam religionem, quæ rebus intellectui vix peruiis occupatur.

Hoc alterum argumentum à comparatis variè iterum amplificat, & obiectiunculis aliquot illustrat, quas lectoris industriæ relinquimus.

CAPVT VIII.

Tertium argumentum ab Exemplo Augustini.

HIs igitur constitutis, quæ, vt opinor, ita iusta sunt, vt obtinere apud te istã causam quouis aduersario debeam, edam tibi vt possum, cuiusmodi via vsus fuerim, cùm eo animo quærerem veram religionem, quo nunc exposui esse quærendam. Vt enim à vobis trans mare abscessi, iã cũctabundus atque hæsitans, quid mihi tenẽdum, quid dimittendum esset, quæ mihi cunctatio indies maior oriebatur, ex quo illum hominem, cuius nobis aduentus, vt nosti ad explicanda omnia quæ nos mouebant, quasi de cœlo promittebatur, audiui, eumque excepta quadam eloquentia talem quales cæteros esse cognoui, rationẽ ipse mecum habui, magnamq; deliberationem iam in Italia constitutus, non vtrum manerem in illa secta, in quam me incidisse pœnitebat, sed quonam modo verum inueniendum esset, in cuius amorem suspiria mea nulli melius, quàm tibi nota sunt. Sæpe mihi videbatur non posse inueniri, magnique fluctus cogitationum mearũ in Academicorum suffragiũ ferebantur.

Sæpe rursus intués quātū poterā, mentem humanam tam viuacē, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latere veritatem, nisi quod in ea quærendi modus lateret, eundemque ipsum modū, ab aliqua diuina authoritate esse sumendum. Restabat quærere, quænam illa esset authoritas, cùm in tantis dissensionibus se quisq; illam traditurū polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis sylua, cui demum inseri multum pigebat. Atq; inter hæc sine vlla requie, cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Dissuebam me tamen magis magisq; ab istis, quos iam deserere proposueram. Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quàm vt diuinam prouidentiam lachrymosis & miserabilibus vocibus, vt opem mihi ferret, deprecarer. Atq; id sedulò faciebam, & iam ferè me commouerant nonnullæ disputationes Mediolanensis Episcopi, vt non sine spe aliqua de ipso veteri testamento multa quærere cupem, q̄ vt scis, malè nobis commendata execrabamur. Decreuerāq; tādiu esse catechumen⁹ in Ecclesia, cui traditus à parētibus erā, donec aut inuenirē q̄ vellē, aut mihi psuaderē nō esse q̄rendū. Opportunissimū ergò me ac valdè docilē tūc inuenire posset, si fuisset q̄ posset docere. Hoc ergò modo & simili animæ tuæ cura diu te quoq; affectum vides, *etsi iam satis tibi iactatus videris, finemque huiusmodi laboribus vis imponere,*

Lib. 5. Con fess. cap. 14.

Hortatio Elegans.

 seque-

sequere viam Catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos vsq; manauit, & ab hinc ad posteros manatura est.

ANALYSIS CAP. VIII.

Quo minorẽ de superioris capitis consilio ambigendi occasionem haberet Honoratus, suo id exemplo confirmat Augustinus, memoratq; quã variè affectus fuerit, donec illã viã ingressus Ambrosio potissimum auspice Catholicis rudimentis initiandũ se dederit. Atque hoc argumentũ nobis 3. visum est: quia vt inquit Cicero, *duo illa nos maximè mouent similitudo & exemplum*, & secundum Macrobium *plebeia ingenia magis exemplis quam oratione capiuntur.* Cæterum historiam conuersionis Augustini Confessiones ipsius latè descripserunt.

3. De oratore.

Macrobius lib. 1. Saturnaliũ.

CAPVT IX.

Credulus an sonet in vitium.

RIdiculum, inquis, istud est, cùm omnes hanc se profiteantur tenere ac docere. Profitentur hoc omnes hæretici, negare non possum, sed ita vt eis, quos illectant, rationem se de obscurissimis rebus polliceantur reddituros: Eoque *Catholicam maximè criminantur, quòd illis qui ad eam veniunt præcipitur vt credant: se autem non iugum credendi imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur.* Quid, inquis, dici potuit, quod ad eorum laudem, magis

Omnes profitentur se verum docere.

magis pertineret? non ita eſt. Hoc enim faciunt nullo robore præditi, ſed vt aliquã concilient multitudinem nomine rationis. Qua promiſſa naturaliter anima gaudet humana, nec vires ſuas valetudinemque cõſiderans, ſanorũ eſcas appetẽdo, quę malè cõmittuntur niſi valẽtibus, irruit in venena fallentiũ. *Nã vera religio, niſi credãtur ea, quæ quiſq; poſtea ſi ſe bene geſſerit, dignuſq; fuerit, aſſequatur atq; percipiat, omnino ſine quodã graui authoritatis imperio iniri rectè nullo pacto poteſt.* Sed quęris fortaſſe vel de hoc ipſo aliquam accipere rationẽ, qua tibi perſuadeatur, nõ prius ratione quã fide te eſſe docendũ. Quod facilè poteſt, ſi modo æquũ te præbas. Sed vt cõmodè fiat, volo quaſi reſpondeas interroganti. Et primo *dicas mihi, quare tibi videatur non eſſe credẽdum.* Quod ipſa inquis, credulitas, à qua creduli nominãtur, vitiũ quoddã mihi videtur eſſe: alioquin hoc nomẽ nõ pro cõuicio obiectare ſoleremus. Nã ſi *ſuſpicioſus* in vitio eſt, eò quod nõ cõperta ſuſpicatur: Quanto magis *credulus*, qui hoc à ſuſpitioſo differt, quòd ille incognitis aliquam, iſte nullã tribuit dubitationẽ. Interim accipio hanc opinionẽ ac diſtinctionẽ. Sed ſcis etiam *curioſum* non nos ſolere appellare ſine conuicio: *Studioſum* verò etiã cum laude. Quamobrẽ attende, ſi placet, etiam inter hæc duo quid tibi diſtare videatur. Id certè reſpondes, quod quamuis vterque

Religio ſine fide iniri non poteſt.

An credulitas ſit vitium.

Curioſus & ſtudioſus quid differant.

agatur magna cupiditate noſcendi, *curioſus tamen ea requirit, quæ nihil ad ſe attinēt: ſtudioſus autem contrà, quæ ad ſeſe attinent requirit.* Sed quia non negamus ad hominem pertinere coniugem ac liberos, & eorum ſalutem, ſi quiſpiam peregrè poſitus, quēadmodum valeant, ac ſeſe agant ſua coniunx & liberi omnes aduenientes ſedulò percontetur, magna vtique ducitur cupiditate noſcendi: & tamen hunc ſtudioſum nō vocamus, qui & magnoperè ſcire vult, & ea quæ ad ſe maximè pertinent. Quare iam intelligis eo vacillare iſtā definitionē ſtudioſi, quòd omnis quidem ſtudioſus ea noſſe vult quæ ad ſe pertinent. Nō tamē omnis qui id agit ſtudioſus vocandus eſt, ſed *is qui ea quæ ad animum nutriendum liberaliter atq; ornandū pertinent, impenſiſſimè requirit, eum ſtudentē* rectè appellamus, præſertim addentes, qui ſtudeat audire. Nā etiam ſuorū ſtudioſum poſſumus appellare, ſi ſuos tantū diligit: non tamē adiunctione nulla communi nomine ſtudioſorū dignū putamus. Audiēdi autē cupidū, quēadmodū ſe ſui haberent, nō appellarē ſtudioſum audiendi, niſi gaudens fama bona, id ipſum ſæpe vellet audire, ſtudentē verò etiā ſi ſemel. Refer nunc animū ad curioſum, & dic mihi, vtrum ſi quis fabellam libenter audiret, nihil ſibi omnino profuturam, id eſt, rerū ad ſe nō pertinentiū; neque id odioſè atque crebrò ſed rariſſimè ac modeſtiſ-

Studens.

ſimè

ſime vel in conuiuio, vel in aliquo circulo vlloue conſeſſu, videreturnè tibi curioſus? Non opinor. ſed certè habens illius rei curam, quam libenter audiret, profectò videretur. Quapropter etiam *curioſi* definitio, ea regula qua ſtudioſi, emendãda eſt. Vide igitur vtrum & illa ſuperiora emendanda ſint. Cur enim non & ſuſpicioſi nomine indignus ſit, qui aliquando aliquid ſuſpicatur, & creduli, qui aliquando aliquid credit? Itaq; vt inter ſtudentem alicuius rei, & omninò ſtudioſum, rurſumque inter curam habentem atque curioſum, ita inter credentem & credulum plurimum intereſt.

ANALYSIS CAP. IX.

In priori capitis parte leues aliquot quæſtiunculas ſoluit, quibus nullo lumine opus. In poſteriore obiectioni reſpondet, quæ non parum inſtituto aduerſari videbatur. Nam quia fidem in Tyronibus probat Auguſtinus, non rationem, credulitatem docere videbatur, quæ in vitio ponitur ab authoribus, & non parui probri loco hominibus obiicitur: vt Prouerb. 14. v. 15. *Eccleſiaſtæ 7. v. 22. Et apud Prophanos authores:

Μὴ πίστευε τάχιστα, πρὶν ἀτρεκέως πέρας ὄψῃ.

Id eſt:

Noli credere celerrimè, antequam verè finem videas. Phocylides.

Et Heſiod. Πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

Id est:

Credulitates sanè simul & incredulitates perdiderunt viros.

Et Menander. Μὴ πάντα πειρῶ πᾶσι πιςεύειν ἀεί.

Id est:

Non omnia conare omnibus credere semper.

Deniq; Ouidius.

Lib. 3 de Arte.

Nec citò credideris: quantũ citò credere lædat,
Exemplum vobis non leue Procris erit.

Respondet Augustinus, non credulitatem se, sed fidem suadere, multumque adeò inter credentem & credulum interesse: sicut multum differunt curiosus & studiosus, studens & studiosus, &c.

Secunda secundæ q. 167. Curiositas. Studium. 2. 2. q. 166. art. 1. c.

Quæ quomodo distinguat vide in textu. *S. Thomas* curiositatem definit, *Vitium circa cognitionem intellectus & sensuum ad peccandum, & circa inspectionem ludorum & mulierum ad concupiscendum, & spectaculorum.* Studium verò secundum eundem, est *applicatio mentis ad aliquid, & principaliter ad cognitionem. Secundariò autem ad ea in quibus homo per cognitionem dirigitur.*

CAPVT X.

Alia quatuor argumenta pro vtilitate credendi.

SEd nunc vide, inquies, vtrũ in religione *credere* debeam⁹. Neq; enim si cõcedim⁹ aliud esse credere, aliud credulũ esse, sequitur

ſequitur vt nulla culpa ſit in religionibus credere. *Quid enim ſi & credere & credulum eſſe vitioſum eſt, quemadmodum & ebrium, & ebrioſum eſſe?* Quod qui certum exiſtimat, nullum mihi habere poſſe amicum videtur. Si enim turpe eſt aliquid credere, aut turpiter facit qui amico credit, aut nihil amico credés, quomodo amicum vel ipſum vel ſe appellet, non video. Hic fortaſsè dicas, concedo aliquid aliquando eſſe credendum: nunc *expedi quomodo in religione turpe non ſit credere, antequam ſcire.* Faciam ſi potero. Quocirca ex te quæro, quid exiſtimes in grauiore culpa eſſe, religionem tradere indigno, an id quod ab eis, qui illam tradunt, dicitur, credere? Si quem dicam indignum, non intelligis: eum dico qui ficto pectore accedit. Concedis, vt arbitror magis culpandum eſſe, tali homini pandere ſi qua ſunt ſancta ſecreta, quàm religioſis viris, de ipſa religione aliquid affirmantibus, credere. Neque enim te aliud reſpondere decuerit. Quare nunc fac putes eum adeſſe, qui tibi religionem ſit traditurus: Quonam modò illi fidem facturus es, vero animo te accedere, neque quicquam in te, quod ad hanc rem attinet, doli atque ſimulationis eſſe? Dices, bona tua conſcientia nihil te fingere, quantis poteris idipſum aſſerens verbis, ſed tamen verbis. Non enim animi tui latebras, ita vt intimè ſciaris, homo homini aperire poſſis.

Sine fide amicitia nulla eſſe poteſt.

Antiſtes religionem tradẽs, credit tibi non fictum animum eſſe. Ergo vicisſim & tu credas illi.

A tille si dixerit, *ecce credo tibi: Sed nonne est aequius vt etiam tu credas mihi, cùm tu beneficium, si aliquid veri teneo, sis accepturus, daturus ego?* quid respondebimus, nisi esse credendum? Sed inquis, nonne erat melius rationem mihi reddere, vt ea quocunque me duceret, sine vlla sequerer temeritate? Erat fortassè: Sed cùm res tanta sit, vt Deus tibi ratione cognoscendus sit, omnesne putas idoneos esse percipiendis rationibus, quibus ad diuinam intelligentiam mens ducitur humana, an plures, an paucos? Paucos ais, existimo. Horum ne in numero esse te credis? non est meum, inquis, hoc respondere. Illius ergo putas, etiã hoc tibi credere: quod quidem facit. Tu tantũ memento, iam eum bis credidisse tibi incerta dicenti: te illi religiosè admonenti ne semel quidẽ velle credere. Verũ fac ita esse, & vero animo te ad accipiendam religionẽ accedere: & ita paucorum te esse hominum, vt rationes quibus ad certam cognitionem vis diuina perducitur, capere possis, quid cæteris hominibus, qui tam sereno ingenio præditi non sunt, negandam religionem putas? An eos pedetentim quibusdam gradibus ad illa summa penetralia esse ducendos? Vides planè quid sit religiosius. Neque enim tibi quiuis homo in rei tantæ cupiditate vllo modo deserendus aut respuendus videri potest, Sed nonne censes, nisi primò credat se ad id quod instituit, peruenturum, men-

Hac via omnibus accommodata & vtilis. Illa vix paucis.

mentemque supplicem præbeat, & quibusdam magnis necessariisque præceptis obtemperans, quadā vitæ actione perpurgetur, non eum esse aliter illa quæ purè vera sunt adepturum? Censes profectò. Quid ergo istis quorum de genere te esse iā credo, q facillimè diuina secreta, ratione certa capere possunt, si hac via veniāt, qua illi qui primitus credunt, nunquid tandem oberit? non arbitror. Sed tamen ais, *quid eos morari opus est?* quia etsi facto sibi nihil nocebunt, nocebunt tamē exemplo cæteris. Vix enim est qui de se tantum sentiat, quantū potest; Sed qui minus, excitandus est; qui amplius reprimēdus: vt neq; ille desperatione frangatur, neq; iste præcipitetur audacia. Quod facilè fit, si etiam ii qui valent volare, ne cui sit periculosum inuitamentum, paulisper cogantur incedere, quà etiam cæteris tutū est. Hęc est prouidētia veræ religionis. Hoc iussum diuinitus, hoc à beatis maioribus traditum, hoc ad nos vsq; seruatum: *hoc perturbare velle atque peruertere, nihil est aliud quàm ad veram religionem sacrilegam viam quærere.* Quod qui faciunt, nec si eis concedatur quod volunt, possunt quo intendunt peruenire. Cuiusmodi n. libet excellant ingenio, nisi Deus assit, humi repunt. Tunc aūt adest, si societatis humanę in Deū tendentibus cura sit. Quo gradu nihil firmius in cœlum reperiri potest. Ego quidem huic rationi nō possum resistere, nam nihil sine

Simplicia animi nisi fide pramuniantur, ad veritatem non perueniunt.

Conclusio.

ſine cognitione eſſe credendum, qui poſſum dicere? tum & amicitia, niſi aliquid credatur, quod certa ratione demonſtrari non poteſt, omninò nulla ſit, & ſæpè diſpenſatoribus ſeruis ſine vlla culpa dominorum credatur. In religione verò quid iniquius fieri poteſt, quàm vt Dei antiſtites nobis non fictum animum pollicentibus credant, nos eis præcipientibus nolimus credere? poſtremò quæ poteſt eſſe via ſalubrior, quàm idoneum primò fieri percipiendæ veritatis, adhibendo iis fidem, quæ ad præcolendum, & ad præcurandum animum ſunt diuinitus conſtituta? Aut ſi iam prorſus idoneus ſis, circumire potius aliquantum, qua tutiſſimũ eſt ingredi, quàm & tibi eſſe authorem periculi, & cæteris temeritatis exemplum.

ANALYSIS CAP. X.

Quartum argumentum Prolepſi figuratum eſt huiuſmodi. Nulla amicitia humana ſine fide conſtare poteſt. Multò minus igitur amicitia hominis cum Deo. Quis enim eſt qui hunc amicum ferat, quem in omnia ſcrupuloſè verba inquirere, adeoque plenum diffidentiæ & ſuſpicionis eſſe videat? Multò magis qui Dei verba trutinat, ſancta illa communione indignus habebitur.

V. argument. à comparatis. Religionis interpres credit tibi, te ſincero ad diſcendum animo accedere. Aequum igitur eſt vt tu quoque illi ſine trepidatione aſſentiaris.

VI. Argumentum. Hæc via diſcendæ veritatis omnibus pariter vtilis & accommodata eſt, & ſimplici-

plicibus & ingeniosis, vt fide præmuniantur, postea pedetentim rationes addiscant. Altera autem, quæ ordine inuerso ab ratione proficiscitur, solorum paucorumque ingeniosorum est. Ergo illi potius quàm huic insistendum, cùm æquius sit plurium vel omnium rationem habere, quàm paucorum.

VII. Argument. Immò hæc via non tantum necessaria simplicibus, sed & publico vsu recepta, & quasi lege confirmata est, vt qui contra agit, sacrilegam in cœlum viam quærat, & à Deo ob superbiam deseratur. Ergo publicis & complanatis viis incedamus, ne cum Icaro & Phaëthonte temeritatis pœnas luamus.

CAPVT XI.

Occurrit obiectioni, quod fides non sit opinio.

QVare iam superest, vt cõsideremus, quo pacto hi sequendi non sint, qui se pollicentur ratione ducturos. Nam quomodo sine culpa possimus sequi eos qui credere iubent, iam dictum est: ad hos autem sponsores rationis, non modò sine vituperatione, sed etiam cum aliqua laude se venire nonnulli putant, sed non ita est. *Duæ enim personæ in religione sunt laudabiles.* Vna eorum qui iam inuenerunt, quos etiam beatissimos iudicare necesse est: alia eorum qui studiosissimè & rectissimè inquirunt. Primi ergo sunt etiam in ipsa possessione, alteri in via, qua tamen certissimè peruenitur. Tria sunt alia hominum genera profectò

Transitio.

1. Retract. cap. 14.

1.

Quinque hominũ genera in Religione versantium.

2.

3. fecto improbanda ac deteſtanda. Vnum eſt
opinantium, id eſt, eorum qui ſe arbitran-
4. tur ſcire quod neſciunt. Alterum eorum,
qui ſentiunt quidem ſe neſcire, ſed non ita
5. quærunt, vt inuenire poſſint. Tertium eo-
rum, qui neq; ſe ſcire exiſtimant, nec quæ-
rere volunt. Tria ſunt item velut finitima ſibimet in animis hominum diſtinctione digniſſima, *intelligere, credere, opinari.* Quæ ſi per ſeipſa conſiderentur, primum ſemper ſine vitio eſt; ſecundum aliquando cum vitio, tertium nunquam ſine vitio, & hoc ad eandem beatitudinem referre debemus. In hac enim vita quantumcunque id ſciatur, nondum eſt beatiſſimum, quoniam incomparabiliter longè eſt amplius, quod inde neſcitur. Nam intelligere magna & honeſta, vel etiam diuina, beatiſſimum eſt. Intelligere autem ſuperflua, nihil nocet, ſed fortaſsè diſcere nocuit, cùm tempus neceſſariorum occuparent. Ipſa etiam noxia non intelligere, ſed facere aut pati, miſerum eſt. Non enim ſi quis intelligat, quomodo poſſit inimicus ſine ſuo periculo occidi, intelligentia ipſa, ac non cupiditate reus eſt: quæ ſi abſit, quid innocentius dici poteſt? *credere* autem tunc eſt culpandum, cùm vel de Deo indignũ aliquid creditur, vel de homine facilè creditur. In cæteris verò rebus ſi quis quid credit, ſi ſe id neſcire intelligat, nulla culpa eſt. Credo enim ſceleratiſſimos coniuratos virtu-

Trium habituum diſtinctio.

Intellectus.

Fides.

virtute Ciceronis quondam interfectos: atqui id non solum nescio, sed etiam nullo pacto me scire posse, certè scio. *Opinari* autem duas ob res turpissimum est: quod ediscere non potest, qui sibi iam se scire persuasit, si modò illud disci potest: Et per se ipsa temeritas non benè affecti animi signum est. Nam etiam si hoc ipsum quod de Cicerone dixi, scire se quisquam arbitratur, quanquam nihil eum impediat à discendo, quia res ipsa nulla scientia teneri potest: tamen quod non intelligit multum interesse, vtrum aliquid mentis certa ratione teneatur, quod intelligere dicimus: an famæ vel literis credendum posteris vtiliter commendetur: Profectò errat, neque quisquam error turpitudine caret. *Quod intelligimus igitur, debemus rationi: quod credimus, authoritati: quod opinamur, errori.* Sed intelligens omnis etiam credit: credit omnis & qui opinatur: non omnis qui credit intelligit: nullus qui opinatur intelligit. Hæc ergo tria si ad illa *quinque hominum genera*, quæ paulò antè commemorauimus, referantur: id est, duo probanda quæ priora posuimus, & tria reliqua vitiosa: inuenimus primū beatorū genus ipsi veritati credere. Secundum autem studiosorum amatorumq; veritatis, authoritati. In quibus duobus generibus laudabiliter creditur. In primo aūt vitiosorū, id est Opinio.

id eſt eorum qui opinantur ſe ſcire quod neſciant, eſt profectò vitioſa credulitas. Cætera duo improbanda genera nihil credunt, & illi qui verum quærunt cum deſperatione inueniendi, & illi qui omnino non quærunt, & hoc duntaxat in rebus ad aliquam pertinentibus diſciplinam. Nam in alio vitæ actu, prorſus neſcio quo pacto poſſit homo nihil credere. Quanquam illis etiam qui ſe in agendo probabilia ſequi dicunt, ſcire potius nihil poſſe, quàm nihil credere, volunt videri. Quis enim quod probat non credit: aut quomodo eſt illud, quod ſequuntur, ſi non probatur, probabile? Quare duo genera poſſunt eſſe aduerſantium veritati: Vnum eorum, qui ſcientiam tantum oppugnant, non fidem: Alterum eorum, qui vtrunque condemnant. Qui tamen vtrum in rebus humanis inueniri poſſint, rurſus ignoro. Hæc dicta ſunt, vt intelligeremus nos retenta fide, illarum etiam rerum quas nondum comprehendimus, à temeritate opinantium vindicari. Nam qui dicunt, nihil eſſe credendum niſi quod ſcimus, id vnum cauent nomen opinationis, quod fatendum eſt turpe ac miſerrimum. Sed ſi quis diligenter conſideret plurimum intereſſe, vtrum ſe ſcire quis putet, an quod neſcire ſe intelligit, credat aliqua authoritate commotus: Profectò erroris & inhumanitatis atque ſuperbiæ crimen vitabit.

ANA-

ANALYSIS CAP. XI.

Inuidiam facturi Catholicis Manichæi, fidem illam quam vrgebant in Tyronibus, opinionis nomine traducebant, suasque laudabiliores partes clamabant, quæ rationem discenti traderent.

Responsurus igitur Augustinus, primò transitionem facit, Deinde *quinque hominum genera* in religione versantium distinguit: Vnum possidentium veritatem: Alterum quærentium: Easque duas personas laudabiles statuit. Tertium opinantium. Quartum ignorantium & segniter quærentium. Quintum ignorantium & quærere nolentium.

Tertiò tres animi habitus distinguit, *intelligere, credere, opinari. Intelligere* laudabile ait esse, & proximum beatitudini, etiam cum superflua & noxia sine exequendi voluntate noscuntur. *Credere* culpabile est, cùm vel de Deo indignè, vel de homine aliquid facilè creditur. *Opinari* autem semper reprehensibile, quia falsum pro vero amplecti nunquam bonum. Alibi tamen Augustinus opinionem in *rectam & prauam* diuidit, rectam, quæ verum quidem apprehendit, sed verum esse vel infirmiter credit, vel demonstrare non potest. Prauam quæ pro vero falsum amplectitur. Sed de hoc non hic disserendi locus. *Hippocrates Epistola* 15. eleganter depingit opinionem muliebri habitu, forma minimè malam, concitatiorem tamen, & impudicam magis ipsa veritate. Verba illius sunt: οὐ κακὴ μὲν, θρασυτέρη δὲ καὶ σεσοβημένη κατοικέει παρὰ τοῖσιν: hoc est, visu minimè mala, commotior tamen & concitatior habitat apud illos, nempe *Abderitas*, qui iudicabant *Democritum* insanire cùm sapiens esset. Vocat autem bonam opinionem, quia veritatem æmulatur. Vnde à Platone vocatur δοξομιμητική. Impudentem verò, quia multa arroganter de se promittit. Vnde Hip-

lib. 3. de libero arbit. cap. 6.

Opinionis pictura.

pocrates, Οἴεσθαι μὲν μὴ πρήσσειν δὲ, ἀμαθείας καὶ ἀτεχνίας σημεῖον ἐστί. Opinari & nihil præstare, imperiti & inertis hominis est signum.

Ex his igitur discriminibus summatim Augustinus concludere vult, *credere non esse opinari*, quia sicuti intellectus est ex ratione, & opinio est ex falsa persuasione, ita fides est in nobis ex pondere alicuius authoritatis. Sed melius omnia ista ex *S. Thoma* intelliguntur, qui hoc modo inter opinionem fidem, scientiam, dubium & scrupulum distinguit: Quòd *opinio* sit assensus intellectus ad aliquid, non quia sufficienter moueatur ab obiecto proprio, sed per quandam rationabilem electionem voluntarie declinans in vnam partem magis quàm in alteram, cum dubitatione tamen, & formidine alterius partis. Ita tamen, quod ad illam partem, quam formidat, non haberetur ratio expressè concludens: formidatur tamen propter debilitatem rationis alterius partis. *Fides* autem est, cum certitudine absque tali formidine. *Scientia* verò est assensus intellectus moti ab obiecto per seipsum cognito: sicut in principiis primis, vel per aliud, sicut in conclusionibus, quarum est scientia.

2. 2. q. 1. art. 4.
Opinio qd ex S. Thoma.
Fides.
Scientia.
Dubium.
Scrupulus.

Dubium est secundum *Isidorum* libro Etymol. motus indifferens in vtramque partem contradictionis.

Scrupulus est cum intellectus ex leuibus coniecturis seu mediis & multum debilibus mouetur ad vnam partem, & hæc etiam dicitur suspicio.

CAPVT XII.

Alia duo argumenta pro vtilitate credendi.

QVæro enim, si quod nescitur, credendũ non est, quomodo seruiant parentibus liberi,

liberi, eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant. Non enim ratione vllo pacto sciri potest, sed interposita matris authoritate de patre creditur: de ipsa verò matre plerunque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest, aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen & sine vlla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quis enim non videat pietatem, nisi ita sit, sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes esse crediderit, etiam si non essent? Quis contrà non exterminandum iudicauerit, qui veros fortassè parentes minimè dilexerit, dum ne falsos diligat, metuit? Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanæ societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum. Sed nunc accipe, quod iam facilius me tibi persuasurum esse confido. Cùm de religione, id est, cùm de colendo atque intelligendo Deo agitur, ij minus sequendi sunt, qui nos credere vetant, rationem promptissimè pollicentes. Nam nemini dubium est, *omnes homines, aut stultos, aut sapientes esse.* Nunc autem sapientes voco, non cordatos & inge-

Filii seruiunt parentibus, quos tamen haud sciunt, sed credunt parentes suos esse.

Omnes homines aut stulti aut sapientes.

niosos homines, sed eos quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis Deique firmissimè præcepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresq; congruentes: cæteros autem cuiusque modi artibus inertiisque affecti sint: Quolibet victu probandi siue improbandi, stultorum in numero deputauerim. Quæ cùm ita sint, quis mediocriter intelligens, non planè viderit, *stultis vtilius atque salubrius esse præceptis obtemperare sapientium, quàm suo iudicio vitam degere?* Nam omne factum, si rectè factum non est, peccatum est. Nec rectè factum esse vllo modo potest, quod non à recta ratione proficiscitur. Porrò recta ratio est ipsa virtus. Cui autem hominum virtus, nisi sapientis animo præstò est? Solus igitur sapiens non peccat. Stultus ergo omnis peccat, nisi in iis factis, in quibus sapienti obtemperauerit; à recta enim ratione talia facta proficiscuntur, nec, vt ita dicam *Dominus sui facti stultus existimandus est, cùm est tanquam instrumentum ministeriumq; sapientis.* Quare si omnibus hominibus non peccare, quàm peccare melius est: melius profectò stulti omnes viuerent, si serui possent esse sapientium. Atque hoc si in rebus minoribus, vt in mercando vel colendo agro, in vxore ducenda, in suscipiendis educandisque liberis, in ipsa denique re familiari administranda expedire nemo ambigit; multò

Stultis optimum est parere sapientibus.

multò magis in religione. Nam & res humanę promptiores ad dignoſcendum ſunt, quàm diuinæ: & in quibuscunque ſanctioribus & præſtantioribus, quò maius eis obſequium cultumque debemus, eò ſceleratius periculoſiusque peccatur. Nihil igitur nobis reſtare amodò vides, quàm diu ſtulti ſumus, ſi nobis vita optima & religioſa cordi eſt: niſi vt quæramus ſapientes, quibus obtemperãdo dominationem ſtultitiæ, neque ita multùm ſentire, dum ineſt nobis, & euadere aliquando poſſimus.

ANALYSIS CAP. XII.

Pergit in aſtruendo ſuo themate, idque duobus aliis argumentis ſuffulcit. Quorum prius (in ordine octauum) eſt huiuſmodi. *Liberi ſeruiunt parentibus ſuis* obſequenter & fideliter, quos tamen parentes ſuos eſſe nullo certo argumento ſciunt, ſed hominum teſtificatione tantùm credunt. Quemadmodum *Telemachus* Mineruæ reſpondet I. Odyſſæ: *Mater quidem ait me illius eſſe filium, at ego neſcio, non enim fieri poteſt, vt quis ſuum patrem ſeriò ſcire poſſit.* Quaſi dicat, credendum eſt matri & opinandum quod honeſtum eſt ac vero ſimile. Eodem igitur obſequio matri omnium noſtrum Eccleſiæ pareamus, eiuſque mandata indubitata fide capeſſamus. *Argumentum 8.*

Poſterius argumentum, in ordine nonum, eſt à diſiunctis. *Omnes homines* aut ſtulti ſunt aut ſapientes. Si ſapientes, veritatem perceperunt & extra quærendi laborem ſunt. Si ſtulti, regendos ſe dabunt ſapientibus, qui ſoli ſecundum rectam rationem agunt, & ſtultum à lapſu continere poſſunt. Illuſtrat hoc argumentum à minori. In rebus *Argumentum 9.*

temporalibus libenter ſapientiorum conſilia admittimus. Multo igitur magis in rebus ad ſalutem pertinentibus.

CAPVT XIII.

Obiectio contra argumentum nonum ſoluitur, ac decimum poſtea argumentum ſubnectitur.

Stulti ſapiẽtes quomodo inueniant.

HIc rurſus oritur difficillima quæſtio. *Quonam enim modo ſtulti ſapientem inuenire poterimus*, cùm hoc nomen, támetſi nemo ferè audeat palam, pleriq; tamen ex obliquo ſibi vendicant, cùm de rebus ipſis, quarum cognitione conſtat ſapientia, ita inter ſe diſſentiant, vt aut nullum eorum, aut certè vnum neceſſe ſit eſſe ſapientem. Sed quinam iſte ſit cùm ab ſtulto requiratur, quo pacto queat dignoſci planè atque percipi, omnino non video: *neque enim ſignis quibuslibet cognoſcere aliquid poteſt, niſi illud ipſum, cuius ea ſigna ſunt, nouerit.* Atqui ſapientiam ſtultus ignorat. Non enim vt aurum & argentum cæteraque id genus, & cognoſcere cùm videas, & non habere conceſſum eſt: Ita ſapientiam mentis eius oculo, qui ea careat, videri fas eſt. Senſu enim corporis quæcunque attingimus, forinſecus nobis offeruntur. Et ideò licet quoque res alienas oculis cernere, cùm earum vel eius generis nos nihil ha-

hil habeamus, quod autem intellectu capitur, intus apud animum est: nec id habere quicquam est aliud, quàm videre. Caret autem stultus sapientia: Non igitur nouit sapientiam, non enim oculis eam posset videre. Non autem potest videre & non habere: neque habere ac stultus esse. Nescit hanc igitur, & dum nescit, in alio loco cognoscere non potest. Non ergo potest quandiu stultus est, quispiam certissima cognitione inuenire sapientem, cui obtemperando tanto stultitiæ malo liberetur. Huic igitur tam immani difficultati, quoniam de religione quærimus, *Deus solus mederi potest*: quem nisi & esse, & humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere quidem ipsam veram religionem debemus. Quid enim tandem tãto molimine inuestigare cupimus? Quid optamus attingere? Quò peruenire desideramus? Eóne quod esse, aut ad nos pertinere non credimus? nihil est tali mente peruersius. Tune cùm beneficium à me petere non auderes, aut certè impudenter auderes, inuentionem religionis postulatum venis, cùm Deum neque esse, neque si sit, curare non putes? Quid si tanta res est, quæ nisi sedulò atque omnibus viribus quæsita nequeat reperiri? Quid si ipsa difficillima inuentio ad capiendum quod inuentum erit, mentem quærentis exercet? Quid enim oculis nostris hac

Deus solus stultos ducit ad sapientes.

Argumentum 10.

luce iucundius & familiarius? Quam tamen perpeti atque tolerare post diuturnas tenebras nequeunt. Quid exhausto ægrotatione corpori accommodatius, quàm cibus & potio? Videmus tamen *conualescentes refrænari atque cohiberi*, ne saturitati valentium committere sese audeant, cibisque ipsis agere, vt ad illum morbum, qui eos repudiabat, reuertantur. De conualescentibus loquor. Quid ipsos ægrotantes nonne vrgemus vt aliquid sumant? In quo profectò nobis cum tanta molestia non obtemperarent, si se illum morbum euasuros esse non crederent. Quando ergo tu te operosissimæ ac laboriosissimæ inquisitioni dabis? Quando tantam, quanta ipsa res digna est, curam negotiumque tibi audebis imponere, cùm id quod quæris, esse non credas? *Rectè igitur Catholicæ disciplinæ maiestate institutum est, vt accedentibus ad religionem, fides persuadeatur ante omnia.*

ANALYSIS CAP. XIII.

Contra nonum argumentum talis fit obiectio. *Stulti homines moderatores adhibere debent sapientes.* Atqui sapientes vel pauci, vel occulti, vel in tanta dissidentium multitudine incerti sunt. Quis igitur stultis sapientem manifestabit? *Statuere enim quis sit sapiens, vel maximè videtur esse sapientis,* inquit Cicerò in Lucullo.

Respondet Augustinus: diuinæ id gratiæ nutum efficere, quem nisi esse fideles crederent, ne ad ipsam

ad ipſam quidem religionem diſcendam venirent. Hinc *decimum argumentum* ſubiungit, à ſimilitudine ſenſuum corporis, qui longa deſuetudine occupati poſtea ſubito obiectis ſuis adhibiti hebeſcunt, &c. Item à ſimilitudine conualeſcentium quibus certa moderatione eſcæ permittuntur. Ergo eodem iure è longis errorum tenebris perpetuum veritatis ſolem inſpecturi, & abiectis morborum exuuiis, ad animæ ſanitatem redituri, non temerario impetu ferri, ſed certa ſapientum moderatione regi debent, ne ingurgitantes ſeſe nondum idoneis rationum cibis, in priſtinam ægritudinem relabantur. *Argum. 10.*

CAPVT. XIV.

Alia tria argumenta pro fide.

ITaque ille hæreticus, ſi quidem de his nobis ſermo eſt, qui ſe Chriſtianos dici volunt, quam mihi rationem afferat quæſo te? Quid eſt, vnde me à credendo, veluti à temeritate reuocet? Si nihil me credere iubet, hanc ipſam veram religionem vllam in rebus humanis eſſe non credo: Quã cùm eſſe non credo, non quæro. At ille vt opinor, quærenti monſtraturus eſt. ita enim ſcriptum eſt, *Quærens inueniet. Ad eum igitur, qui me vetat credere, non venirem, niſi aliquid crederem.* Eſtne vlla maior dementia, quàm vt ei ſola, quæ nulla ſcientia ſubnixa eſt, fide diſpliceam, quæ ad eum ipſum me ſola perduxit? Quid quòd *omnes hæretici Chriſto nos credere hortantur?* poſſunt ne magis ſibi aduerſari? In quo dupli- *Argum. 11.* *Argum. 12.*

citer vrgendi sunt. Primum quærendũ ab his, vbi sit ratio quã pollicebantur, vbi obiurgatio temeritatis, vbi præsumptio sciẽtiæ? Si enim turpe est sine ratione cuiquã credere, q̃d expectas, quid satagis vt alicui sine ratione credã quo facilius tua ratione duci possim? ac firmum aliquid super ædificabit ratio tua fundamento temeritatis? Secundùm illos loquor, quibus credendo displicemus. Nam ego credere ante rationem, cùm percipiendæ rationi non sis Idoneus, & ipsa fide animum excolere excipiendis seminibus veritatis, non solum saluberrimum iudico, sed tale omninò, sine quo ægris animis salus redire non possit. Quod illis cùm deridendum & plenum temeritatis videatur, profecto vt Christo credamus, agunt impudenter. Deinde fateor me iam Christo credidisse, & in animũ induxisse, id esse verum quod ille dixerit, etiam si nulla ratione fulciatur. Hoc hæretice principio me docturus es. Sine paululùm mecum ipse considerem: Quoniam Christum ipsum, quomodo apparere hominibus voluit qui istis etiam vulgaribus oculis visus esse prædicatur, ego non vidi: quibus de illo crediderim, vt ad te iam tali fide præstructus accedam, *nullis me video credidisse, nisi populorum atq; gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ.* Hos autem populos Ecclesiæ Catholicæ mysteria vsque quaque occupasse. Cur

Occupatio. Non hæreticis de Christo creditur, sed populorum atq; gentium confirmatæ opinioni.

Cur non igitur apud eos potissimum diligentissimè requiram, quid Christus præceperit, quorum authoritate commotus, Christum aliquid vtile præcepisse iam credidi? Tune mihi melius expositurus es, quid ille dixerit? Quem fuisse, aut esse nõ putaré, si abs te mihi hoc commendaretur esse credendũ. Hoc ergo credidi, vt dixi famæ, celebritate, consensione, vetustate, roboratæ. *Vos autẽ & tam pauci, & tam turbulenti, & tam noui, nemini dubium est, quàm nihil dignum authoritate præferatis.* Quæ igitur ista tanta dementia est. Illis crede, Christo esse credendum, & à nobis disce quid dixerit. Cur obsecro te? Nam si illi deficerent, nec me quicquã docere possent: multo facilius mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quàm de illo cuiquam, nisi ab iis, per quos ei credidissem, discendum. O ingentem confidentiam, vel potius, ineptiam: ego te doceo, quid Christus præceperit, cui credis. Quid si non ei crederem, num aliquid de illo me docere posses? Sed oportet, inquit, vt credas. Num vobis eum commendantibus? non inquit. Nam nos illos, qui ei credunt, ratione ducimus. Cur igitur illi credã? quia fama fundata est. Vtrũ per vos, an p alios? Per alios inquit. Illis ergo credã, vt tu me doceas? *deberẽ fortasse nisi me hoc illi præcipuè monerent, vt omnino ad te nõ accederẽ*: dicũt enim pniciosas vos habere doctrinas, respõdebis, *mentiũtur.* Quo-

Elegantiss. locus pro Ecclesia, contra hæreticos.

Attende lector.

Quomodo igitur eis de Christo credam, quem non viderunt: de te non credam, quem nolunt videre. Scriptis, ait, crede. At scriptura omnis, si noua & inaudita proferatur, vel commendetur à paucis, nulla confirmante ratione, *non ei, sed illis, qui eam proferunt, creditur.* Quamobrem scripturas istas si vos profertis tam pauci & incogniti, non libet credere: simul etiam cōtra promissum facitis, fidem potius imperando, quàm reddendo rationem. Rursus me ad multitudinem famamque reuocabis. Cohibe tandem pertinaciam, & nescio quam indomitam propagandi nominis libidinem: & *mone potius, vt huius multitudinis primates quæram*, & quæram diligentissimè ac laboriosissimè, vt ab his potius de his literis aliquid discam: Qui si nō essent, discendum omnino esse nescirem. *Tu vero in latebras tuas redi, nec quicquam insidiare sub nomine veritatis, quam conaris eis adimere, quibus authoritatem ipse concedis.* Si autem Christo etiam credendum negant, nisi indubitata ratio reddita fuerit, Christiani non sunt. Nam id aduersus nos Pagani quidam dicunt, stultè quidem, sed non sibi aduersi nec repugnantes. Hos verò quis ferat ad Christum se pertinere profiteri, qui nisi apertissimam rationem stultis de Deo protulerint, nihil credendum esse contendunt? At ipsum videmus quantum illa, cui & ipsi credunt, docet historia, nihil

Non scripturæ, sed ei qui profert illam creditur.

Primates Catholicæ Ecclesiæ audiendi, non hæretici.

Jr Ketzer verkriecht euch.

Argum. 13. Christus ipse maximè exegit fidē.

nihil prius, neque fortius, quàm credi sibi voluisse. Cùm illi nondum essent idonei, cum quibus ei res esset ad diuina percipienda secreta. Quid enim aliud agunt tanta & tam multa miracula, ipso etiam dicente illa *fieri non ob aliud, nisi vt sibi crederetur?* Fide ille stultos ducebat, vos ratione ducitis. Clamabat ille vt crederetur, vos reclamatis. Laudabat credentes ille, vos obiurgatis. Nisi verò aut in vinum aquã conuerteret, vt alia omittam, si nihil tale facientem, sed docentem homines sequi possent: aut nihili pendenda vox illa est, *credite Deo, & mihi credite*: aut temeritatis ille culpandus est, qui cum in domum suam venire noluit, solo eius imperio pueri sui morbum credens esse cessurum. Ergo ille afferens medicinam, quæ corruptissimos mores sanatura esset, *miraculis conciliauit authoritatem, authoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roborauit religionem: quam non solum hæreticorum ineptissima nouitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosius error violenter aduersans, aliqua ex parte conuelleret.* *Elegans gradatio.*

ANALYSIS CAP. XIV.

Argumentum 11. Ipsi hæretici sine fide non acceduntur. Quid ergo fide nostra tantopere ipsis displicemus? *antecedens* probat: quia nisi persuasum esset hæreticorum asseclis, penes ipsos veritatem esse, ad eos nunquam accederent.

Argumen-

Argumentum 12. Ipsi hæretici nos hortantur vt Christo credamus. Ergo vel ipsorum testimonio causam nostram obtinemus. *Antecedens* illustrat eleganti *Prolepsi* vel *Epanorthosi:* Etsi hæretici fidem Christi prædicant, adeo tamen ipsorum testimonium nihili faciendum, vt si soli illi Euangelium mundo offerant, ne Christo quidem credendum sit. Qui locus elegantissimus ad hæreticorum superbiam contundendam, instar gemmulæ toto hoc libro fulget, ac lectori commendatus esse debet, non paruam lucem vel allaturus vel accepturus ab illo altero, qui extat contra Epistolam Manichæi cap. 5. *Non credo* inquit, *Manichæum esse Apostolum Christi, quæso ne succenseatis & male dicere incipiatis. Nostis enim me statuisse, nihil a vobis prolatum temere credere. Quæro ergo quis sit ille Manichæus, Respondebitis, Apostolus Christi. Non credo. Iam quid dicas aut facias non habebis: promittebas enim scientiam veritatis, & nunc quod nescio cogis vt credam. Euangelium forte mihi lecturus es, & inde Manichæi personam tentabis asserere. Si ergo inuenires aliquem, qui Euangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi. non credo?* EGO VERO EVANGELIO NON CREDEREM, NISI ME ECCLESIÆ CATHOLICÆ COMMOVERET AVTHORITAS.

Quibus ergo obtemperaui dicentibus: Credite Euangelio, cur eis non obtemperarem dicentibus mihi, Noli credere Manichæo? Elige quid velis: Si dixeris, crede Catholicis, ipsi me mouent vt nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non possum illis credens, nisi tibi non credere. Si dixeris. Noli Catholicis credere, non recte facies per Euangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipsi Euangelio Catholicis prædicantibus credidi. Si autem dixeris Recte credidisti Catholicis laudantibus Euangelium, sed non recte illis credidisti vituperantibus Manichæum: vsque adeo me stultum putas, vt nulla reddita ratione, quod vis credam, quod non vis non credã? Multo quippe iustius

iustius & cautius facio, si Catholicis, quoniam semel credidi, ad te non transeo, nisi me non credere iusseris, sed manifestissimè ac apertissimè scire aliquid feceris. Quo circa si mihi rationem redditurus es, dimitte Euangelium. Si ad Euangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus Euangelio credidi: & his iubentibus tibi omnino non credam. Quod si fortè in Euangelio aliquid apertissimum de Manichæi Apostolatu inuenire potueris, infirmabis mihi Catholicorum authoritatem, qui iubent vt tibi non credam. Qua infirmata, iam nec Euangelio credere potero, quia per eos illi credideram, ita nihil apud me valebit, quicquid inde protuleris. Quapropter si nihil manifestum de Manichæi Apostolatu in Euangelio reperitur, Catholicis potius credam, quam tibi, &c.

Eant nunc Caluinistæ & Lutherani, suaq; somnia mundo pro Eliç concionibus obtrudant: quorum ne Euangelium quidem fidem meretur. Eant inquam atque in latebras se condant, cumque gliribus pacem colant, quorum regnum tam strenuè promouere satagunt.

Argumentum 13. Ipse Christus fidem exegit ab hominibus, partim concionibus, partim etiam stupendis miraculis, quæ non alio quam ad fidem conciliandam referuntur. Insani igitur sunt hæretici, qui hominibus plus ipso Christo spondere audent.

CAPVT XV.

Argumentum vltimum ab authoritate Ecclesiæ.

QVamobrem tametsi docere non valeo, monere tamen non desino: vt quoniam multi sapientes videri volunt, neque vtrum sint stulti, dignoscere facile est:

omni

omni intentione votisq; omnibus, gemitibus deniq; vel etiã si fieri potest, fletibus Deũ deprecere, vt te ab erroris malo liberet, si tibi beata vita cordi est. Quod facilius fiat si præceptis eius, quæ tanta Ecclesiæ Catholicæ authoritate firmata esse voluit, libens obtemperes. Cùm enim sapiens sit Deo ita mente coniunctus, vt nihil interponatur quod separet, Deus enim est veritas: nec vllo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat: negare non possumus, inter stultitiam hominis, & syncerissimam Dei veritatem medium quiddam interpositam esse hominis sapientiam. Sapientia enim quantum datum est, imitatur Deum: homini autem stulto ad imitandum salubriter, nihil est homine sapiente propinquius: quem quoniam, vt dictum est, intelligere ratione non facile est, *oportebat quædam miracula ipsis oculis admoueri*, quibus vtuntur stulti multo quàm mente commodius, vt commotorum authoritate hominum prius vita moresque purgarentur, & ita rationi accipiendæ habiles fierent. Cùm igitur & homo esset imitandus, & nõ in homine spes ponenda: Quid potuit indulgentius & liberalius diuinitus fieri, quàm vt ipsa Dei syncera, æterna, incommutabilisque sapientia, cui nos hærere oportet, suscipere hominem dignaretur? Qui non modò illa faceret, quibus ad sequendum Deum inuitaremur, sed etiam illa

Inter Deum & stultos media quidam humana sapientia.

1. Retract. 14. lib. 3. de libero arb. cap. 24.

illa pateretur, quibus à ſequendo Deo deterrebamur. Nam cùm adipiſci certiſſimũ ac ſum̃um bonũ nemo poſſit, niſi id plenè perfecteq; dilexerit: quod nullo pacto fiet, quandiu mala corporis atque fortuita formidantur: *Ille naſcendo mirabiliter & operando conciliauit charitatem: moriendo autem & reſurgendo excluſit timorem.* Iam verò talẽ ſeni cæteris rebus omnibus præbuit, quas perſequi longũ eſt, vt & diuina clementia quò porrigi, & humana infirmitas quò poſſit euehi, ſentiremus.

ANALYSIS CAP. XV.

Si rectè coniicio, vltimum hic argumentum proponitur ab authoritate Eccleſiæ Catholicæ, cui ſubiicere ſeſe omnes Deo coniungendi debent. Nam ita ſalubriter à Deo conſtitutum eſt inquit, vt inter extrema duo, infinitam Dei maieſtatem, & miſeram hominum ignorantiam ſtultitiamque, quaſi media ſtatueretur Eccleſiæ ſapientia, eiusq; ductu ad Deum homines tanquam gradu in cœlum aſcenderent. Hanc ſapientiam fundauit Dominus ipſe in terris, partim doctrina partim exemplo, faciens illa quibus ad ſequendum Deum inuitaremur, & patiens illa quibus à ſequendo Deo deterrebamur, &c.

CAPVT XVI.

Authoritatem Eccleſiæ primo miraculis ſtabilitam eſſe.

HÆc eſt, crede, ſaluberrima authoritas: hæc prius mentis noſtræ à terrena inhabita-

habitatione suspensio: hæc in Deum verũ ab huius mundi amore conuersio. *Sola est authoritas, quæ commonet stultos, vt ad sapientiam festinent.* Quandiu intelligere syncera non possumus, authoritate quidẽ decipi miserum est: sed certè miserius non moueri. *Si enim Dei prouidentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum.* Sin verò & species rerum omniũ, quã profectò ex aliquo verissimæ pulchritudinis fonte manare credendum est: & interiori nescio qua conscientia Deum quærendum, Deoque seruiendum, meliores quosq; animos quasi publicè priuatimque hortatur: *Non est desperandum ab eodem ipso Deo authoritatem aliquam constitutam, qua velut gradu certo innitẽtes, attollamur in Deũ.* Hæc autem seposita ratione, quam syncеram intelligere, vt sæpe diximus, difficilimum stultis est, dupliciter nos monet: Partim miraculis, partim sequentium multitudine. Nihil horum esse necessarium sapienti, quis negat? Sed id nunc agitur, vt sapiẽtes esse possimus, id est inhærere veritati: Quod profectò sordidus animus non potest. Sunt autem sordes animi, vt breui explicem, amor quarumlibet rerum, præter animum & Deum, à quibus sordibus quantò est quis purgatior, tantò verum facilius intuetur. Verum igitur videre velle, vt animum purges, cùm ideo purgetur vt videas, peruersum certè atque præposterũ est.

NB.
Nõ ita male prospectũ est nobis, quin Deus authoritatem aliquam cõstituerit, per quam ad veritatem deducamur.

Purgatio animi veritatis cognitionem præcedit.

est. Homini ergo non valenti verum intueri, vt ad id fiat idoneus, purgarique se sinat, authoritas præstò est, quam, vt paulo antè dixi, partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit. *Miraculum voco, quicquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet.* In quo genere nihil est populis aptius, & omnino stultis hominibus, quam id quod sensibus admouetur. Sed rursus hæc in duo diuiduntur: quædam enim sunt quæ solam faciunt admirationem: quædam verò magnam etiam gratiam beneuolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem graui & desperato morbo affectus, mox vt iussum fuerit conualescat, admirationem sanitatis suæ, sanantis etiam charitate superabit. Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. [a] Sanati languidi, [b] mundati leprosi, incessus claudis, [c] cæcis visus, surdis auditus est redditus. [d] Homines illius temporis, aquam in vinum conuersam, [e] saturata quinque milia quinque panibus, [f] transita pedibus maria, [g] mortuos resur-

Miracula.

a *Matth. 8. & 6. 14. ibid cap. 9. & 2. & 18. Marc 3. 1. Iohan. 4. 47.*

b *Matth. 8.* Luc. 7. 22. c *Matt. 12. 2. Marc. 8. 23. Luc. 18. 35.* d *Ioan. 2. 9.* e *Matt. 14. 20. 21.* f *Matth. 14. 25.* *2. 3.*

resurgentes viderunt: ita quædam corpori manifestiori beneficio, quædam verò menti occultiore signo, & omnia hominibus maiestatis testimonio consulebant: Sic in se tunc animas errantes mortalium, diuina commouebat authoritas. h *Cur inquis ista modò non fiunt? quia non mouerent, nisi mira essent. At si solita essent, mira non essent.* Nam diei & noctis vices, & constantissimum ordinem rerum cœlestiũ, annorum quadrifariam, conuersionem, decedentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem lucis, colorum, sonorum, odorum, saporumque varietates, da qui primum videat atque sentiat, cum quo tamen loqui possimus, hebescit, obruiturq; miraculis: nos verò hæc omnia, non cognoscendi facilitate, quid enim causis horum obscurius? Sed certè sentiendi assiduitatẽ contemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissimè, vt his multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores vtilis conuerteretur authoritas.

g *Luc.* 7. 12. *Luc.* 8. 50. *Ioan.* 11. 32.

h 1. *Retract.* 14.

ANAL. CAP. XVI.

Planius argumentum ab authoritate Ecclesiæ stultis commendat, vtque illa commoti ad sapientiam festinent, hortatur. Deinde huius authoritatis causas duas proponit, miracula, & multitudinẽ credentium, quorum illa hoc capite persequitur, hanc capite sequenti. Miraculum primò exponit quid sit. 2. quem vsum in populis excitandis habeat.

beat. 3. quibus generibus distinguatur. 4. quanta vbertate à Christo miracula processerint. 5. Cur hodie non item talia fiant: quæ omnia eleganter discussa vide in textu.

CAPVT XVII.

Authoritatem Ecclesiæ summopere quoque Gentium multitudine confirmari.

MOres autem quilibet tantùm valent ad obtinendas hominum mentes, vt etiam quæ in his praua sunt, quod ferè superantibus libidinibus euenit, improbari citius & detestari, quàm deserere aut mutare possimus. Parumnè consultũ rebus humanis arbitraris, quòd nihil terrenũ, nihil igneũ, nihil denique quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant. Sed imperitum etiam vulgus marium, fœminarumque in tam multis diuersisque generibus & credit & prædicat? Quod *continentia vsq; ad tenuissimum victum panis & aquæ, & non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies perpetuata ieiunia: Quod castitas vsq; ad cõiugii prolisq; contemptum: quod patientia vsque ad cruces flammasq; neglectas: Quod liberalitas vsq; ad patrimonia distributa pauperibus: Quod deniq; totius huius mundi aspernatio vsq; ad desiderium mortis intenditur?* *Pietas populorum Catholicorum.*

 Pauci

Pauci hoc faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt: Sed populi probant, populi audiunt, populi fauent. Diligunt postremò populi: Populi suam imbecillitatem quod ista non possunt, nec sine prouectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant. Hoc factum est diuina prouidentia per prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes: per sanctorum prædicabilem vitam, atque in his vniuersis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus, *dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi præcolit fides, quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio diuino, quàm tanto labore præditæ authoritati velle

NB. *Hortatio ad amplectendā pacem Catholicā.*

velle resistere? *Et si vna quaque disciplina quanquam vilis & facilis, vt percipi possit, doctorem aut magistrum requirit: Quid temerariæ superbiæ plenius, quàm diuinorum Sacramentorum libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare?*

ANAL. CAP. XVII.

Altera authoritatis Ecclesiasticæ causa, quam semper discentibus ob oculos versari vult, est tam multarum variarumque toto orbe Gentium in Christum consensus, tam illustri testimonio pietatis obsignatus, vt neque terrenum aliquid vel corporale pro Deo isti colant, sed & cupiditatibus suis tam angustas habenas iniiciant, viuentes in ieiuniis, continentia, Martyriis, Paupertate, &c.

Hinc in fine extruit elegantissimam hortationem condendi se se Catholicæ Ecclesiæ gremio, quæ tanta authoritate fundata, tam longo seculorum vsu, tot Episcoporum successione, conciliis aliisque munimentis roborata sit, vt qui ei diutius obluctatur, vel extremè impius, vel deploratè arrogans sit.

Legant nouatores & credant, ne serò credant & lamententur.

CAPVT XVIII.

Conclusio libri hortatoria ad deserendos Manichæos & amplectendam Catholicam disciplinam.

QVamobrem si quid te vel ratio, vel oratio nostra commouit: Et si veram, vt

Hortatio. credo, curā tui geris, velim me audias: & *bonis praeceptoribus Catholicæ Christianitatis te pia fide, alacrisque, simplici charitate committas.* Deumque ipsum cuius vnius & bonitate facti sumus, & iustitia pœnas luimus, & clementia liberamur, orare non cesses. Ita tibi neque præcepta & disputationes doctissimorum hominum, & verè Christianorum, neque libri, neque serenæ ipsæ cogitationes defuerint, quibus facilè quod quæris inuenias. Nam *istos verbosos & miseros*, (quid enim aliud mitius dixerim) *penitus desere*, qui dum nimis quærunt vnde *Aetiologia.* sit malum, nihil reperiunt, nisi malum: In qua quæstione sæpe auditores erigunt ad *Manichæorum futilitas.* quærendum. Sed *ea docent excitatos, vt vel dormire semper satius sit, quàm illo modo euigilare.* De lethargicis enim phreneticos faciunt. Inter quos morbos cùm sit vterque plerumque mortiferus, hoc tamen interest, quod Lethargici sine aliena vexatione moriuntur: Phreneticus autem multis, & eis potissimum, qui volunt subuenire, metuendus est. Nam *neque Deus mali author est*, nec vnquam eum quicquam fecisse pœnituit, nec vllius commotionis animi tempestate turbatur, nec terræ particula regnum eius est: *nulla flagitia vel scelera probat aut imperat*, nunquā mentitur. Hæc enim atq; huiusmodi nos mouebant, cùm ea magis inuectionibus qua-

Lethargus est torpor, & inexpugnabilis pene somni necessitas, cum alienatione mentis. Celsus li. 3. cap. 20. Plinius lib. 20. cap. 12.

Phrenesis est morbus lædens mētem, & ad insaniam perducens, vnde & nomen accepit. Galen. lib. 3. de locis affectis.

quaterent, & hanc esse veteris Testamenti disciplinam insimularent: quod omnino falsissimum est. Itaque illos rectè reprehendere ista concedo. Quid ergo didici? quid putas, nisi *cum ista reprehenduntur, disciplinam Catholicam non reprehendi? Ita quod apud eos verum didicerã, teneo: quod falsum putauerã respuo.* Sed & alia multa me docuit Ecclesia Catholica, quo illi homines exangues corporibus, sed crassi mentibus aspirare non possunt, Deum scilicet non esse corporeum, nullam eius partem corporeis oculis posse sentiri, nihil de substantia eius atque natura vllo modo esse violabile aut cõmutabile, aut compositum, aut fictum. Quæ si mihi concedis, non enim aliter de Deo sentiendum est, omnia illorum machinamenta subuersa sunt. Illud verò quomodo sit, vt nec Deus malum genuerit aut fecerit, nec vlla sit fueritue vnquam natura atque substantia, quam non Deus aut genuerit aut fecerit, & tamen à malo nos liberet: tam necessariis rationibus approbatur, vt dubitari omnino non possit: Præsertim tibi atque talibus, si tamen bono ingenio pietas & pax quædam mentis accedat, sine qua de tantis rebus nihil prorsus intelligi potest. *Et non hic fama de fumo est*, & nescio qua fabella Persica, cui satis est aurem accommodare, & animum non subtilem, sed planè puerilem. Longè omnino, longè se aliter, quàm vt Manichæi desi-

Ecclesia integritas.

1. Retract. cap. 14.

Excusatio. sipiunt, veritas habet. Sed quoniam iste sermo noster multò processit longius quàm putabam, hic finem libro faciamus: In quo memineris volo, nondum me Manichæos cœpisse refellere, & illas nugas nondum inuasisse: neq; de ipsa Catholica magnum aliquid aperuisse, sed voluisse tantummodo eruere tibi si possem, falsam opinionem de veris Christianis malitiosè aut imperitè nobis insinuatā, & erigere ad magna quædam & diuina discenda. Quare hoc volumen ita sese habeat: placatiore autem animo tuo facto, ero fortassè in cæteris promptior.

ANALYSIS CAP. XVIII.

Epilogus totius libri, tribus partibus distinctus, hortatione, ætiologia & excusatione.

Hortatio est triplex, amplectendi Catholicam fidem, precandi sedulò Deum, & Manichæos relinquendi: *Aetiologia* exponit primò futilitatem Manichæorum inaniter de malo garrientium, & ex Lethargicis phreneticos facientium: Deinde integritatem Catholicæ Ecclesiæ, quæ falsa à sectariis docta auditores suos dedocet, ac multa prætereà alia optima addocet.

Excusatio prolixitatem libri excusat, eiusque genuinum scopum & consilium indicat.

FINIS LIBRI DE VTILItate credendi.

PRÆ-

PRÆSCRIPTIONVM

ADVERSVS HÆRETICOS PERPETVARVM

TRACTATVS V.

Qui est

VINCENTII LIRINENSIS GALLI, ADVERSVS PROPHANAS hæreseon nouationes liber.

Argumentum & partitio libri.

VINCENTIVS natione Gallus, apud monasterium in *Lirinensi* Insula Presbyter: Vir in scripturis sanctis doctus, & notitia Ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus, cõposuit ad euertenda hæreticorum collegia nitido & aperto sermone validissimam disputationẽ, quam absconso nomine suo titulauit: *Peregrini aduersum hæreticos*: cuius operis quia secũdi libri maximam in schedulis partem, à quibusdam furatam perdidit, recaptiulato eius paucis sermonibus *Vincentii Vita.*

sensu

ſenſu primo compegit, & in librum vnum edidit. Moritur *Theodoſio* & *Valentiniano* regnantibus.

Hæc de authore & argumento huius libri GENNADIVS IN CATALOGO. Quem ſi idonea partitione diſtinguere velis, comodè tres partes feceris: *Præfationem, librum primum*, & *reliquias libri ſecundi*, quæ iſto perdito tanquam tabulæ fractæ nauis ſuperfuerunt.

Partitio libri.

Liber primus (Nam de duobus extremis nulla difficultas) quatuor diuerſos Tractatus continet.

I. à capite 1. ad 15. vſq;, de duobus probandæ fidei mediis agit ſacri Canonis authoritate & Catholicæ Eccleſię traditione, quam mordicus contra omnes hæreticorum nouitates tenendam probat.

II. à capite 15. ad 25. de cauſis, cur Deus hæreſes exiſtere ſinat. vbi per parentheſin hæreticorum aliquot ſententias, & oppoſitá illis Catholica dogmata explanat.

III. à capite 25. ad 35. de officio Catholici hominis, in ſeruando fideliter ſemel accepto depoſito fidei, & omnibus nouitatibus ſollicitè fugiendis.

IV. à capite 35. ad 41. de hæreticorum verſutia in ſcripturis allegandis: Et quomodo eorum inſidiæ S. Patrum conſenſu euitari & infringi poſſint.

Altera pars tribus poſtremis capitibus meram vtriuſque libri recapitulationem complectitur. VIN-

VINCENTII LIRINENSIS natione Galli, pro Catholicæ fidei antiquitate & vniuersitate, aduersus prophanas omnium hæreseon nouationes.

PRÆFATIO.

DIcente scriptura & monente, *interroga Patres tuos, & dicent tibi: seniores tuos, & annunciabunt tibi.* Et iterum: *verbis sapientium adcommoda aurẽ tuam.* Et idem: *Fili mi, hos sermones ne obliuiscaris, mea autẽ verba custodiat cor tuum*: Videtur mihi minimo omnium seruorum Dei, *Peregrino* quod res non minima vtilitatis Domino adiuuante futura sit, si ea, quæ fideliter à sanctis Patribus accepi, literis comprehendam, infirmitati certè propriæ pernecessaria: quippe cùm adsit in promptu, vnde imbecillitas memoriæ meæ assidua lectione reparetur. Ad quod me negotium non solum *fructus operis*, sed etiam consideratio temporis, & oportunitas loci adhortatur. *Tempus*, propterea, quòd cùm humana omnia ab eo rapiantur, & nos ex eo aliquid in inuicem rapere debemus, quòd in vitam proficiat æternam: præsertim, cùm & appropinquãtis diuini iudicii terribilis quædam exspectatio augeri efflagiter studia religionis: & nouorum hæreticorum fraudulen-

Deut 32. 7. *Aetiologia.* *Prou. 22. 17* *Prou. 3. 1.* *Peregrinus: nomen fictum, quod sibi impo-suit, quia erat Monachus, mundo mortuus* *Ephes 2. 19.* *1. Pet. 2. 11.*

dulentiæ multum curæ & attentionis indigeat. *Locus* autē, quòd vrbium frequentias, turbasque vitantes, remotioris villulæ, & in eo *secretum monasterii incolamus habitaculum*, vbi absque magna distractione fieri possit illud, quod canitur in Psalmo: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Sed & propositi nostri ratio in id conuenit, quippè qui cùm aliquandiu variis ac tristibus secularis militiæ turbinibus volueremur, tandem nos *in portum religionis*, cunctis semper fidissimum Christo adspirante condidimus: vt ibi depositis vanitatis ac superbiæ flatibus, Christianæ humilitatis sacrificio placantes Deum, non solum præsentis vitæ naufragia, sed etiam futuri seculi incendia vitare possemus. Sed iam in nomine Domini, quod instat, aggrediar: vt scilicet à maioribus tradita, & apud nos deposita, scribam, relatoris fidē potius, quàm auctoris præsumptione: hac tamen scribendi lege seruata, vt nequaquam omnia, sed tantum necessaria quæque perstringam: neque id ornato & exacto, sed facili, communique sermone: vt pleraque significata potius, quàm explicata videantur. Scribant ij lautè & accuratè, qui ad hoc munus, vel ingenii fiducia, vel officii ratione ducuntur: me verò subleuandæ recordationis, vel potius obliuionis meæ gratia, *commonitorium* mihimet parasse suffecerit: quod tamen paulatim

Vincentius monachus fuit.

Psal 45. 11.

Portus Religionis Monasteria.

Vincentius primum miles.

Modus scribendi.

Hinc Vetus Titulus: Commonitorium peregrini aduersum hæreticos.

latim recolendo quæ didici, emendare & implere quotidiè, Domino præstante, conabor. Atqui hoc ipsum idcirco præmonui, vt si fortè elapsum nobis in manus * Sanctorum deuenerit, nihil in eo temerè reprehendant; quòd adhuc videant promissa emendatione limandum.

* *fortè Censorum.*

ANALYSIS PRÆFAT.

BIMEMBRIS est hæc Præfatio, primum caussas institutæ scriptionis exponens: Deinde per ἔκϑεσιν modum scribendi explanans.

Caussæ sunt duplices; *Vna* à fructu operis, vt pro scripturæ præcepto à Patribus tradita literis commendet, & ad posteritatem transmittat, quin & ipse quoque memoriæ subsidium habeat: *Altera* à conditione temporis & loci. *Temporis*, quod irreuocabile fluat, iudicium acceleret, hæresibus scateat. *Loci*: quia solitudo monasterii huic vacationi idoneum otium præbeat.

Ἔκϑεσις ista membra habet. Primò quod magis relator futurus sit quàm author. 2. Quòd breuiter & succinctè scripturus. 3. Quòd rudi stylo. Denique cum conditione reuidendi ac corrigendi.

CAPVT I.

Generalis ac Regularis via, Catholicam veritatem ab hæretica falsitate sine retractatu doctrinam discernendi.

SÆpè igitur magno studio & summa attentione perquirés à quamplurimis sanctitate & doctrina præstantibus viris, quonam modo possim certa quadam & quasi gene-

generali ac regulari via, Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falsitate discernere, huiusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli: Quòd siue ego, siue quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sana sanus atque integer permanere, duplici modo, munire fidem suam, Domino adiuuante deberet. Primò scilicet, *diuinæ legis auctoritate*: tum deinde *Ecclesiæ Catholicæ traditione*.

ANALYSIS CAP. I.

Duas iterum partes hoc caput complectitur. 1. Vnde hoc κριτήριον dignoscendæ veritatis acceperit. 2. Quibus illud partibus constet, diuinæ videlicet legis authoritate ac Catholicæ Ecclesiæ traditione. Vbi statim vides, quàm longe absit à Nouatorum nostrorum stultitia, qui vnicum verbum Dei omnibus controuersiis diiudicandis sufficere volunt: qua de re mox cap. 3. vberius: & infra cap. 38.39. & sequentib.

CAPVT II.

Cur scripturis Ecclesiastica Interpretatio addenda.

HIc forsitan requirat aliquis: *Cùm sit perfectus scripturarum Canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, vt ei Ecclesiasticæ intelligentiæ iungatur authoritas?* Quia videlicet scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non vno, eodemq; sensu

ſenſu vniuerſi accipiunt: ſed eiuſdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur: vt penè quot homines ſunt, tot illic ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namq; illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Celeſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atque idcirco multum neceſſe eſt, *propter tantos tam varii erroris anfractus, vt Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur.*

Sic aliter hodie Lutherus, Caluinus, Seruetus.

Linea Catholici ſenſus tenenda.

ANALYSIS CAP. II.

De prima propoſiti Criterii parte quia nulla dubitatio (omnes enim vel maximè hæretici ſcripturas ad ſuas partes trahere nituntur: infra cap. 35. 36. 37.) alteram quæ inſtituto propinquior explicare incipit, oſtenditque per prolepſin, quod etſi Canon ſcripturarum perfectus (arrigant aures nouatores) tamen Eccleſiaſticæ intelligentiæ addenda ſit authoritas. *Quare?* quia ſcriptura tanquam Dei oraculum profundiſſima, ſenſibus abundantiſſima, & maieſtate grauiſſima ab hæreticis quoque variè in diuerſos ſenſus trahitur, & vt plurimū à genuino ſuo intellectu detorquetur. Quod exemplis variorum hæreſiarcharum illuſtrat, & infra cap. 35. 36. 37. latius perſequetur.

CAPVT III.

Eccleſiaſticæ interpretationis Lex, vt ſit Catholica.

Catholicū quid.

IN ipſa item Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, vt id teneamus, *quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus* creditum eſt. Hoc eſt etenim verè proprieque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit) ſed hoc ita demum fit: ſi ſequamur *Vniuerſitatem, Antiquitatem, Conſenſionem*. Sequemur autem *Vniuerſitatem* hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quàm tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: *Antiquitatem* verò ita, ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos ſanctos Maiores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: *Conſenſionem* quoque itidem; ſi in ipſa vetuſtate, omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiasque ſectemur.

Catholicū tria importat: Vniuerſitatem. Antiquitatem. Conſenſum.

ANALYSIS CAP. III.

Catholicū.

Cohærentia perſpicua eſt. Errantibus filum Eccleſiaſticæ interpretationis in manus dedit: quæ ne plane indifferens ſit, hanc illi legem ponit, vt ſit CATHOLICA. Catholicum autem quid ſit, ſimul explicat, treſq; illi conditiones aſſignat, vt ſequatur *Vniuerſitatem, antiquitatem* & *conſenſionem*. *Vniuerſitatem*, vt ſi quando pauci contra multos faciunt, plures præferat paucioribus: *Antiquitatem*, vt ſi quando nouitas contra vetuſtatem inſurgit, nouitatis

uitatis profanitati præferat antiquitatis religionem. *Consensionem*, vt in ipsa vetustate vnius siue paucissimorum temeritati primum omnium generalia, si qua sunt, vniuersalis Concilii decreta præponat tunc deinde si id minus est, sequatur; quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum: Quemadmodum ipse *Vincentius* sententiam suam explicat *infra cap. 38.*

Quæ quàm bellè cum principiis nouatorum nostrorum congruant, æquus lector iudicet. Scribunt illi, vnicum controuersiarum iudicem scripturam esse debere: *ex interpretatione per Ecclesiam facta, per Episcopos, per Doctores, per Concilia firmitatem religionis constare non posse: Periculosissimum esse in deliberationem ac definitionem spiritualium rerum sapientiam carnis adhibere, & idcirco Ecclesiæ tribuere nolumus*, inquiunt, *de scripturis & iis, quæ ad salutem necessaria sunt, supremam censuram.* Martyr Præfat. in 1. Corinth. & ibidem cap. 2. *Antithesis sententiæ hæreticorū turpiter Ecclesiæ & S. Patrū authoritatem conculcantium.*

Sic Lutherus Tom. 2. contra Regem Angliæ fol. 341. *Henricus*, inquit, *dicta Patrum inducit, pro sacrificio Missario. Hic dico confirmari hoc nomine meam sententiam: Nam hoc est quod dixi, Thomisticos asinos nihil habere quod producant, nisi multitudinem hominum & antiquum vsum. Ego verò aduersus dicta Patrum, hominum, angelorum, dæmonum, pono Maiestatis æternæ Verbum, Euangelium. Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic triumpho, hic insulto dictis hominum, quantumlibet sanctorum, vt nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, contra me starent.* *En ferream hæretici frontem.*

Sic Zuinglius Tom. 1. in explanat. art. 64. f. 107. *Dicunt Papistæ*, inquit, *quis controuersias & lites quæ sunt hodie in Ecclesia discutiet? Quis de illis iudicabit? quis pronunciabit? Respondeo Verbum Dei, nec alium iudicem feremus. Illi aiunt: Nos negamus Missam esse Sacrificium, quis de hac controuersia*

iudex erit? Vnicum (inquam), & solum Verbum Dei. Sed mox incipis clamare Patres, Patres: nempe Patres sic tradiderunt, sed ego non Patres tibi refero, non Matres, sed Verbum Dei requiro.

Malis fortè matres quã patres.

Sic VVolffgangus Musculus in locis communibus cap. de scriptu. sacris pag. 164. 165. *Testimonia Patrum scito non ad defendendam Veritatem, sed ad retundendum Papistas armatura hac, qua ipsi armati occurrunt. Vbi vero ex scriptis Patrum aliquid contra nos adferunt, palam dico, nolle me ad illorum authoritatem astringi, planeque stolidissimus est, vel studiose malignus in Ecclesiam Dei, quisquis illorum calculis conscientias fidelium obstringendas esse putauerit.*

At debes, si Christianus, si sanus es.

Deniq; Caluinus Præfa. instit. *Meminisse nos semper* vult, *omnia scripta Patrum nostra esse, quæ nobis seruiant, non dominentur.* Martyr autem de votis p. 476. eos qui ita religiosè patres colunt, *Patrologos* non *Theologos* nuncupandos censet. Magna profectò stultitia & intoleranda peruersitate, cùm probè sciant homines, quale subsidium à Patribus petamus, dirigendi videlicet fidem nostram, & in expositione scripturarum contra hæreticos iuuandi, non autẽ imperandi nobis & inuito Christo in aliquam nos sententiam impellendi, cùm nemo sit qui nesciat in reddendo alicuius loci sensu plus authoritatis esse sanctissimis & doctissimis Ecclesiæ primitiuæ doctoribus, quàm turbulentis & seditiosis nostrorum temporum tribunis, qui dictatoria quasi potestate nunquam auditos sensus Ecclesiæ pariunt, & horrendis verborum fulminibus inuitis obtrudunt. Sed benè Tertull. supra cap. 37. *Qui vos estis? quãdo & vnde venistis? Quid in meo agitis, non mei?* Quo deniq; Luthere iure syluam meã cædis? qua licentia Caluine fontes meos transuertis? Qua potestate Zuingli limites meos commoues? *mea est possessio; quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? mea est possessio, olim possideo,*

possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis autoribus quorum fuit res, &c.

Sic *Augustinus* supra de vnitate Ecclesiæ cap. 22. *Lege mihi*, inquit Donatista, *quemadmodum Christus suscipi iusserit eos, qui ab hæreticis transire ad Ecclesiam voluerint. Hoc apertè atque euidenter nec ego lego nec tu. Cùm igitur hoc in scripturis non inueniamus, puto si aliquis sapiens extitisset, cui Dominus Iesus Christus testimonium perhibet, & de hac quæstione consuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere, quod ille dixisset, ne non tam ipsi, quàm Domino Iesu Christo, cuius testimonio commendabatur, repugnare iudicaremur. Perhibet autem testimonium Christus Ecclesiæ suæ. Quomodo ergo suscipit ista Ecclesia per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem, remotis omnibus ambagibus & tergiuersationibus, sic suscipiendus es. Quod si non vis, non mihi aut cuiquam hominum*, sed ipsi saluatori contra salutem tuam perniciosissime reluctaris, *qui te sic suscipiendum esse non vis credere, quemadmodum suscipit illa Ecclesia, quam testimonio suo commendat ille, cui fateris nefarium esse non credere.* August. de vnitate Ecclesiæ.

CAPVT IV.

Obiectiones variæ contra allatam Ecclesiasticæ interpretationis legem.

QVid igitur faciet Christianus Catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula ab vniuersalis fidei communione præciderit? 1.
Quid vtique nisi vt pestifero corruptoque mēbro, sanitatē vniuersi corporis anteponat? Quid si nouella aliqua contagio non iã 2.
portiunculam tantùm, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conetur? Tunc

 item

Confer Tertull. de praescript. cap. 21. item prouidebit, vt *antiquitati inhaereat*: quae prorsus iam non potest ab vlla nouitatis fraude seduci; Quid si in ipsa vetustate, duorum aut trium hominum, vel certè
3. ciuitatis vnius aut etiam prouinciae alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, vt paucorum temeritati vel inscitiae, si qua sunt vniuersaliter antiquitus vniuersalis Ecclesię decreta praeponat. Quid
4. si tale aliquid emergat, vbi nihil huiusmodi reperiatur? Tunc operam dabit, vt collatas inter se Maiorum consulat interrogetque sententias: eorum duntaxat, qui diuersis licet temporibus & locis, in vnius tamen Ecclesiae Catholicae communione & fide permanentes, magistri probabiles exstiterunt: & quicquid non vnus aut duo tantùm, sed omnes pariter vno eodemque consensu, apertè, frequenter, perseueranter, tenuisse, scripsisse, docuisse cognouerit, id sibi quoque intelligat absque vlla dubitatione credendum. *Consensus Patrũ quomodo explorandus.* Sed vt planiora fiant, quae dicimus, exemplis singulatim illustranda sunt, & paulò vberius exaggeranda; ne immodica breuitatis studio rerum pondera orationis celeritate rapiantur.

ANALYSIS CAP. IV.

Deinceps ordine tres Catholici conditiones explicaturus, vniuersitatem, antiquitatem, & consensionem, quatuor casus contra obiicit, ac quomodo in illis linea Catholica teneri possit indicat

Primus

Primus casus est contra vniuersitatem militantis Ecclesiæ. *Atqui sæpè fit*, inquit, *vt a toto corpore Ecclesiæ pars aliqua abscindatur*: veluti olim Africa, hodie Germania, Anglia, Scotia, &c. Quomodo ergo in hoc casu Catholicæ interpretationis linea seruari potest? *Respons.* minori corruptoq; membro maius sanumq; corpus præponendo. *Casus 1.*

Alter casus itidem contra vniuersitatem. *Quid si tota aliquo errore Ecclesia impetatur*, quemadmodum Arrii tempore accidit: de quo *S. Hieronymus* contra Lucifer. *Ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est. Respons.* In hoc casu scrutare antiquitatem, quæ prorsus iam non potest ab vlla nouitatis fraude seduci. Quanquam neque vnquam in æternum talis deceptionis successus erit, vt vniuersam in errorem trahat militantem Ecclesiam: quemadmodum ipso Arrianorum tempore patuit, infra cap. 6. & 7. *Casus 2.*

Tertius casus contra antiquitatem. *Quid si ipsa antiquitas ipsam errauerit? Respons.* Paucorum errori præpone plurium reliquorum decreta. Fieri enim non potest, omnes simul in eundem errorem conuenisse. *Casus 3.*

Quartus casus contra consensionem. *Quid si pugnantes patrum sententiæ inueniantur*: Neque vniuersalis Ecclesia certum aliquod decretum tulerit? Respons. per inductionem veterum sententias conferto, plures præferto paucioribus, clariores obscurioribus, & constantiam assertionis in primis intuetor. *Casus 4.*

CAPVT V.

Exemplum primi casus, contra vniuersitatem, a defectione Africæ.

TEmpore *Donati* à quo *Donatistæ*, cū sese multa pars Aphricæ in erroris sui furias

Africi Catholici corrupto vni membro sanitatem vniuersi corporis anteponunt.

præcipitaret, cumque immemor nominis, religionis, professionis, vnius hominis sacrilegam temeritatem Ecclesiæ Christi præponeret; tunc quicunque per Aphricam constituti prophano schismate detestato, vniuersis mundi Ecclesiis adsociati sunt, soli ex illis omnibus intra sacraria Catholicæ fidei salui esse potuerunt: egregiam profectò relinquentes posteris formam, quemadmodum scilicet & deinceps, bono more vnius aut certè paucorum vesaniæ, vniuersorum sanitas anteferretur.

ANALYSIS CAP. V.

Exemplum 1. casus.

Casus emergentes contra propositam Ecclesiasticæ interpretationis lineam sibi opposuit & expediuit. Nunc eosdem exemplis illustrat, ne quid scrupuli in animis lectorum resideat. *Primi casus* exemplum est hæresis ac schisma *Donati*, quem & hæreticum & schismaticum esse probat *Augustinus lib. 2 contra Cresconium Grammat. cap. 4.* Eo igitur rupturam in Ecclesia faciente, & in separatas partas abeunte, quid faciebant reliqui Catholici? Corrupto vni membro sanitatem vniuersi corporis anteponentes, in Ecclesiæ communione persistebant, egregiam relinquentes nostris temporibus formam, quomodo hodiè tot Prouinciis Europæis à corpore Christi miserè amputatis reliquæ Catholicæ Communioni fides nostra firmiter & indiuulsè adhærescat.

CA-

CAPVT VI.

Exemplum 2. casus, itidem contra vniuersitatem, à perfidia Arrianorum, totum ferè mundum peruagante.

ITem, quando *Arrianorum* venenum, nō iam portiunculam quandā, sed penè orbem totum contaminauerat, adeò vt prope cunctis Latini sermonis Episcopis, partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potissimum in tanta rerum confusione sequendum foret; tunc quisquis verus Christi amator & cultor exstitit, antequam fidem nouellæ perfidiæ præferendo, nulla contagii ipsius peste maculatus est. Cuius quidem temporis periculo satis superque monstratum est, quantum inuehatur calamitatis, nouelli dogmatis inductione. Tunc siquidem non solum paruæ res, sed etiam maximæ labefactatæ sunt. Nec enim tantum affinitates, cognationes, amicitiæ, domus, verùm etiam vrbes, populi, Prouinciæ, nationes, vniuersum postremò Romanorum imperium funditus concussum & emotum est. Namque cum prophana ipsa Arrianorū nouitas, velut quædam *Bellona* aut *Furia*, capto prius omniū *imperatore*, cuncta denique palatii culmina legib. nouis subiugasset, nequaquam deinceps destitit vniuersa miscere atque vexare: priuata ac publica sacra, propha-

Arriani.

Antiquitatis inhærendum.

Quantum mali Arrii hæresis inuexerit.

phanaq; omnia, nullum boni & veri gerere discrimē, sed quoscunq; collibuisset, tāquā de loco superiore percutere. Tunc *temeratæ coniuges*, depopulatæ viduæ, prophanatæ virgines, *monasteria demolita*, disturbati Clerici, verberati Leuitæ, acti in exilium sacerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres, metalla: quorum pars interdictis vrbibus protrusi atque extorres, inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti, affecti, contriti, & tabefacti sunt. Atqui hæc omnia nunquid vllam aliam ob causam, nisi vtique dum pro cœlesti dogmate humanæ superstitiones introducuntur: dum *bene fundata antiquitas scelesta nouitate subruitur*, dum superiorum instituta violantur, dum rescinduntur scita Patrum: dum conuelluntur definita maiorum: dum sese intra sacratæ atque incorruptę vetustatis castissimos limites prophanæ ac nouellæ curiositatis libido non continet?

Imago nostrorum temporum.

Causa istorum omniū vnica Nouitas.

ANALYSIS CAP. VI.

Exemplum 2. casus.

Aureum planè caput, cuius tres partes statuo.

1. De officio piorū, si quando exemplo *Arriana* pestis totum aliquis error orbem peruagetur, quā constanter antiquitati inhærere, atque omnem nouellam perfidiam missam facere debeant.

2. Quantum mali *Arriana* hæresis mundo inuexerit. Vbi viuam fructuum Euangelii Lutheri ac Zuinglii imaginem habes.

3. Quod causa tantorum malorum omnium sit vnica

vnica nouitas, propterea cane peius atque angue nobis detestanda.

ANNOT. COST. IN CAP. VI.

Item quando Arrianorum venenum] Arriana factio ab Arrio quodam Alexandrinæ Ecclesiæ Presbytero initium sumpsit. Is Philosophicæ scientiæ typho inflatus, nouum ac nefarium dogma orbi Christiano moliebatur obtrudere: Christum Dei filium Patri non esse *homusion*, hoc est, nō eiusdem cum patre essentiæ, sed creaturam esse, atque ideo patre longè inferiorem: Huius verò impietatis tam incredibilis fuit *successus*, vt omnes ferè Romani imperii Ecclesias hæc lues peruaserit, magna nimirum facilitate ac plausu id cunctis sequentibus, quod Imperatoribus, quod Episcopis ferè omnibus probari videbant. Scribit enim D. *Hilarius* lib. contra Constant. Augustum, *centū & quinque Episcopos fuisse, qui Arrii perfidiam sequebantur.* Inter cæteros verò Orthodoxos Patres, qui se se huic errori infracta animi constantia opponebāt, pcipuè D. *Athanasii* Episcopi Alexandrini claruit fides & virtus prorsus adamantina, quem hæreticorū vis terra marique insectata, nusquam quietum desidere patiebatur. Hac de re, qui plura scire volet, hunc ad *Eusebium Cæsariensem* Ecclesiasticæ Historiæ scriptorem remittimus: nos enim breuitati operam dantes, omnia referre non possumus.

Arrius quis.

Arrianismus latè dilatatus.

Arrianorū Antagonista insignis Athanasius.

Velut quadam Bellona aut Furia] Has cæca vetustas Deas fecit, quarum alteram bellorum præsulem, alteram furoris matrē esse voluit. Hanc Græci Erinnyn vocant, ἀπὸ τοῦ ἐῤῥειν τὸν νοῦν, quod humanam mentem corrumpat. De vtraque Seneca in Tragædiis: *sequitur tristis*

Bellona

Furia, Erynnis.

Sanguinolenta Bellona manu.
Quæq; superbos vrit Erinnys.

Tres

Tres porrò furias Poëtæ esse finxerunt, quas Cicero lib. de nat. Deorum *speculatrices ac vindices facinorum ac scelerum* esse scribit.

Imperator Arianus.

Capto prius omnium Imperatore] Aut de *Constantio*, Constantini Cæsaris filio, qui post mortem patris cum vtroque fratre, *Constantino* & *Constante* imperium tenuit, aut de *Valente* loquitur: quorum alter Orientalem, alter Occidentalem Ecclesiam ob Arrianæ perfidiæ defensionem nefanda crudelitate vexabat. De *Constantii* Cæsaris impietate, fraude ac Tyrannide multa sunt in eo libro, quem sanctus Confessor *Hilarius Pictauiensis* antistes, vnicum id temporis ac præclarum Gallicanæ Ecclesiæ lumen, magna cum libertate aduersus hunc ipsum conscripsit, hominē (vt par erat) suis coloribus perpulchrè depingens. Grauissimam enim calamitatem Ecclesiæ Christi inflixit, & fortasse neutiquam minorem, quàm aut Nero, aut *Decius*: qui nihil aliud ageret, *quàm vt orbem terrarū* (vt Hilarii verbis dicam) *pro quo Christus passus est, Diabolo condonaret.* Porrò *Valens* in morem Adæ, vxoris blanditiis flexus, quæ iam pridem Arrii venenum imbiberat, Arrianæ sese factioni adiunxit: ad quod etiam maximas faces dabat *Eudoxius*, qui ea tempestate Constantinopolitanam Ecclesiam non tam regebat, quàm peruertebat. *Valentem enim, dū ab eo baptizaretur, iureiurando obstrinxerat, vt Arriani dogmatis se defensorem atq; eorum, qui huic obsisterent, hostem exhiberet.* Quod ille sanè haud segniter effecit. Nam præter alia ludibria, contumelias, terrores, minas ac supplicia quæ Christianæ fidei cultoribus inferebat, tam atrocibus furiis in *monachos* inuectus est, vt horum tria millia, qui in vasta illa Aegypti solitudine, maximè verò apud Mitriam diuinis rebus dediti erant, profecturus ad Persicum bellum per tribunos ac præfectos nequitiæ suæ satellites ad militiam euocari, nolentes fustibus ad internecionem mactari iussit: aliquot etiam millia Barbaris trucidanda obiectans

Constantii furor pro Arrio.

Valens ab vxore Arrianus factus, plurimum infestauit Catholicos.

Monachorū cades.

obiectans, in eo prælio, quo aduersus Gothos conflixit.

Cuncta deinde palatii culmina] De aulicis proceribus dicit, qui omnes Arrianam pestem confouebant. Denique & *Iustina* Valentiniani maioris vxor, post viri mortem, Arrii virus, quod longo tempore ob viri metum, quem Catholicæ fidei admodum tenacem sciebat, alta mente repostum gestârat, Valentiniano filio etiam adolescenti infundere conabatur. Hæc *Mediolani* aliquandiu agens, in credibilem molestiam Christi Sacerdotibus adferebat, atque inprimis validissimum Ecclesiæ murum (D. *Ambrosium* dico) minis, terroribus, atque omni armorum genere arietare ac perfringere moliebatur: quamuis ille interim ob Iesabelis illius insaniam ne latum quidem vnguem à sua constantia dimoueretur. *Aulici Arriani. Iustina.*

Oppleta sanctis ergastula] Ergastula loca erant in agris, vbi deteriora mancipia vincta operabantur: dicta vox à verbo ἐργάζομαι, quod est operor. Eo quoque protrudebantur homines obærati, qui *addicti* & *nexi* apud veteres Iuris consultos dicebantur, quos *lege duodecim tabularum*, ob æs alienum creditoribus in temporariam seruitutem addictos fuisse constat. Huiusmodi quoque seruitutem apud Hebræos fuisse, declarat quarti Regum voluminis caput quartum: vbi dicitur: *Ecce creditor venit, vt tollat filios meos ad seruiendum sibi.* De ergastulo memini me legisse in vita D. Clementis, quem III. post D. Petrum Romanæ Ecclesiæ præfuisse ferunt. *Cum peruenisset* (inquit ille quisquis fuit, qui eam historiam conscripsit) B. *Clemens ad locum exilii, erant illic in ergastulis ad secanda marmora, Christianorum plusquam duo milia.* Tertull. item in lib. de habitu muliebri. *Apud Barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum, & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent.* Præterea Columell. lib. de re rust. I. *Mancipia vincta, quæ sunt ergastulis, per nomina* *Ergastula.*

nomina quotidie villicus citare debebit, atq; explorare, vt sint compedib. diligenter innexa, &c.

Metalla. *Metalla*] De fodinis agit, in quibus effodiebatur vel aurum, vel argentum, æs, vel plumbum, ferrum. Omnia enim quæ sub terram fodiendo reperiuntur, *Alciatus* vir nostra ætate doctissimus, metalli nomine comprehensa scribit: sic dictum, quia ἄλλον μετ᾽ ἄλλον, id est, aliud post aliud inueniatur. Qui huic operi destinati erant, grauissimã seruitutem sentiebant: quum in subterraneis specubus tanquam a communi luce reiecti seu viui sepulti iacerent. Tum etiam præterquam quod intolerandis laboribus premebantur, nunquam libertatem, semper vero mortem expectabant. Proximi enim erant his de quibus extremum supplicium sumebatur. quod ex *Pauli Iureconsulti* verbis liquet. *Summa supplicia*, inquit, *sunt crux, crematio, decollatio: mediocrium autem delictorum pœna sunt, metallum, ludus, deportatio: minima, relegatio, exilium, opus publicum, vincula.* Destomachatur *Anneus Seneca* quodam in loco in hominum inexplebilem auaritiam, qui seruos in metalla defoderent, nec contenti essent iis rebus, quas palàm atque in propatulo habemus, sed *venas terrarum lapidumq; rimarentur, atq; in tenebris male obtrusa quærerent.* Auream enim arenam, hoc est, auri ramenta effodiebant, quæ aurificum studio repurgata atque conflata, cudendæ monetæ apta fiebant. In id vero operis damnabãtur præfracti ac refractarii serui, tum vero potissimũ *atrociores fures*, quos Græci *Lopodytas* vocant: quod noctu viatores palliis vestibusque spoliarent: In eam ergo *latomiam* ab impiis imperatoribus ii, qui Christum libera voce confessi erant, relegabantur, quemadmodum cum ex aliis, tum vero euidentius ex D. *Cypriani* scriptis doceri potest. Igitur in Epistola cuius initium,

Epistol. 77. ad Nemesianum. *Gloria quidem vestra: Denique exemplum* inquit, *vestrum secuta multiplex plebis portio confessa est vobiscum*

cum

num pariter & pariter confortata est, connexa vobis vinculo fortissima charitatis, & a prapositis suis, nec carcere, nec metallis separata. Et paulò post: *Qui triumphus in pectore vnumquemq; vestrum stare ad promissum Dei premium, de iudicis die esse securum? ambulare in metallo, corpore quidem captiuo, sed corde regnante?* Præterea in quatuor coronatorum vita sic legitur: *dum Diocletianus omnes metallicos, hoc est, eos qui in metallo laborarent congregaret, inuenit, Claudium, Castorium, Symphorianum & Nicostratum, mirificos in arte quadrataria.*

CAPVT VII.

Per Occupationem superiora pluribus authoritate S. Ambrosii confirmat.

SEd forsitan odio nouitatis, & amore vetustatis hæc fingimus. Quisquis hoc æstimat, *Beato* saltē credat *Ambrosio*, qui *in secundo ad Imperatorē Gratianū libro*, acerbitatē tēporis ipse deplorans, ait. *Sed iā satis,* inquit, *omnipotens Deus nostro exitio, nostroq; sanguine, Confessorū neces, exilia sacerdotum, & nephas tantæ impietatis eluimus. Satis claruit, eos qui violauerūt fidē, tutos esse non posse.* Itē in tertio eiusdē operis libro: *Seruemus igitur,* inquit, *præcepta maiorū, ne hæreditaria signacula ausi rudis temeritate violemus. Librum signatū illū propheticum, non seniores, non potestates, non Angeli, nō Archangeli aperire ausi sunt: soli Christo explanādi eius prærogatiua seruata est. Librū sacerdotalē quis nostrum resignare audeat, signatum à Confessoribus, & multorum iam martyrio consecratum? Quem qui resignare coacti sunt,* *postea*

Ambrosii locus.

In fine cap. vlt.

Cap. 7.

Apoc. 5. 1. & seq.

postea tamen damnata fraude signarunt, qui violare non ausi sunt, Confessores & Martyres exstiterunt. Quomodo fidem eorum possumus denegare, quorum victoriã prædicamus? Prædicamus, inquã ô venerande Ambrosi, prædicamus planè, laudantesque miramur. Nam quis ille tam demens est, qui eos, etsi adsequi non eualeat, non exoptet sequi? quos à defensione fidei Maiorum nulla vis depulit? non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non palatium, non satellites, non imperator, non imperium, non homines, non dæmones: Quos, inquam, pro religiosæ vetustatis tenacitate tanto munere Dominus dignos iudicauit, vt per eos prostratas repararet Ecclesias, extinctos spiritales populos viuificaret, deiectas sacerdotum coronas reponeret, nefarias illas nouellæ impietatis non literas, sed lituras, infuso cælitus Episcopis fidelium lachrymarum fonte deleret: vniuersum postremò iam penè mũdum sæua repentinæ hæreseos tempestate perculsum, ad antiquam fidem à nouellæ perfidia: ad antiquam sanitatem, à nouitatis vesania: ad antiquam lucem, à nouitatis cæcitate reuocaret.

ANALYSIS CAP. VII.

Nouitatem nullam consectandam duobus S. *Ambrosii* egregiis dictis probat: ex quibus ipse postea illustrem pro vetustate & S. Martyrum doctrina consectanda conclusionem elicit.

ANNOT.

ANNOTAT. COST. IN CAP. VII.

Librum sacerdotalem] Scripturam diuinam intelligit, quæ sacerdotibus conseruanda, & pro temporis necessitate expromenda peculiariter cõmissa est: quemadmodum Propheta docet: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam & legem ex ore eius requirent, quia angelus Domini est.* Et alibi: *Interroga sacerdotes legem.* Hunc verò signatum librum, quem suprà eleganter hæreditaria signacula vocat, nemo temerè resignare, hoc est violare ac corrumpere debet, quem multorum Martyrum sanguine obsignatum & consecratum esse constat. Sanctorum enim Patrum sanguis, quem, vt hunc fidei suæ commissum librum integrum atque illæsum seruarent, effuderunt, veluti sigillum aut signaculum quoddam est huic libro appensum, quo contestati sunt, vera, sincera, rectaque esse quæ in hoc sunt libro conscripta. Non absimilem huic sententiam habet *Tertullianus* libro 4. aduersus Marcion: *Videamus* inquit, *quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Euangelium & Petrus & Paulus sanguine suo signatum reliquerunt.* *Liber sacerdotalis.* *Signatus à Confessoribus.*

Resignare coacti] illos intelligit qui in firmitate lapsi vel errore. Infirmitate: vt Marcellinus, & illi, qui apud Cyprianũ & alios lapsi dicuntur: *Errore*, vt Episcopi in concilio Arimini, per insidias & dolos *Valentis*, quo de eleganter *Hieron.* cont. Lucifer. *Ingemuit totus orbis, & Arrianum se esse miratus est*, & mox: *Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia Arriani ferebantur, contestantes corpus Domini, & quicquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos, qua flentes asserebant, parati & subscriptionem pristinam & omnes Arrianorum blasphemias condemnare.* Inter hos est Cyprian. de quo Vincent. c. 11. B. *Lapsi.*

Qui violare ausi non sunt Confessores & Martyres extiterunt] longe aliud veteribus quã nunc vulgò

significabat *Confessor*: quum iam diuis ferè omnibus id nominis tribuăt, quod olim non nisi iis datum fuit, qui ob Christo testimonium publicitus datum publica aliqua calamitate vel pœna, non tamen morte erant affecti. Qualis in primis fuit D. *Hilarius Pictauiensis Antistes*, qui ob Catholicæ fidei patrocinium durissima quæque ab Arriana factione perpessus, tandem p *Saturninum* Arelatensem Episcopum, hominem crudelem & sanguinarium apud Phrygas tunc sæuitia & barbarie nobiles relegatus est: vbi præclaros illos & nunquam intermorituros de Trinitate libros magno tum ingenio, tum eloquentia conscripsit. De hoc D. *Hieron.* in Epistola ad Magnum Oratorem: *Hilarius meorum Confessor temporum, & Episcopus, duodecim Quintiliani libros & stylo est imitatus & numero.* Et in Epistola quadam ad Marcellam: *Tantum*, inquit, *virum* (agit autem de Hilario) *& temporibus suis disertissimum reprehendere non audeo: Et qui confessionis suæ merito, & vita industria, & eloquentia claritate vbicunq; Romanum est nomen, prædica ur.* Huius quoque nominis elogium, magnus ille *Paphnutius*, de cuius sanctitate multa sunt apud Eusebium in Ecclesiastica historia, promeruit, quem *Maximinus* Cæsar effosso dextro oculo, & sinistro poplite inciso ad metalla damnauit. Multa sunt apud D. *Cyprianum*, quæ ad eius rei, de qua nunc agimus, pleniorem cognitionem faciunt. lib. de simplicitate prælatorum: *Confessio* ait, *exordium gloriæ est, non meritum coronæ: non perficit laudem, sed initiat dignitatem.* Et statim: *post confessionem maius periculum est, quia plus adu rsarius prouocatus est.* Deniq; in sermone de lapsis quinto: *Religiosa vox Christum locuta est, in quem se semel . redid sse confessa est, &c.*

Hilarius.

Paphnutius.

Vide supra cap 12. p. 425.

CAP.

CAPVT VIII.

Exemplum 3. casus, ab iis qui tempore Arrianorum non partem, sed totam Antiquitatem sectati sunt.

SEd in hac diuina quadam confessionũ virtute, illud etiam est nobis vel maximè considerandum, quod tunc apud ipsam Ecclesiæ vetustatem non partis alicuius, sed vniuersitatis ab iis est suscepta defensio, neque enim fas erat, vt tanti ac tales viri vnius, aut duorum hominum errabundas, sibique ipsis contrarias suspiciones tam magno volumine adsererent: aut verò pro alicuius prouinciolæ temeraria quadam conspiratione certarent: sed omnium sanctæ Ecclesiæ Sacerdotum, Apostolicæ & Catholicæ veritatis decreta & definita sectantes, maluerunt semetipsos, quàm vetustæ vniuersitatis fidem prodere. Vnde & ad tantam gloriam peruenire meruerunt, vt non solum *confessores*, verum etiam *confessorum principes* iure meritoque habeantur. Magnum hoc igitur eorundẽ beatorum exemplum, pleneq; Catholicis indefessa meditatione recolendum: qui in modum *septemplicis candelabri*, septena sancti Spiritus luce radiantes, clarissimam posteris formulam præmonstrarunt, quonam modo deinceps per singula quæque errorum vaniloquia, sacratæ

Principes Confessorum.

Exod. 25.

vetustatis auctoritate, prophanæ nouitatis conteratur audacia.

ANALYSIS CAP. VIII.

Exemplum 3. casus.

Tertius casus fuit, cùm ex ipsa antiquitate, regula assensus nostri, quosdam errasse deprehendimus, quid tum faciendum, ne antiquitate deserta nouitatis fautores fiamus?

Respondet. Paucorum inscitiæ plurium vel omnium decreta præponenda sunt, id quod Confessores, siue potius *principes confessorũ* Arrii tempore fecisse legimus.

CAPVT IX.

Aliud argumentum consectandæ Antiquitatis: ab rescripto Stephani Papæ contra Anabaptismum.

NEq; hoc sanè nouum: siquidẽ mos iste semper in Ecclesia viguit, vt *quo quisq; floreret religiosior, eò promptius nouellis adinuentionibus cõtrairet.* Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, vnum aliquod, & hoc ab *Apostolica potissimum sede* sumemus: vt omnes luce clarius videant, beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptæ semel religionis integritatem. Quondam igitur venerabilis memoriæ *Agrippinus Carthaginensis Episcopus*, primus omnium mortalium contra diuinum canonem, contra vniuersalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem ac insti-

Sedes Apostolica.

Agrippinus author Anabaptismus.

ac instituta maiorum rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantum mali inuexit, vt non solum hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præbuerit erroris. Cùm ergo vndique ad nouitatem rei cunċti reclamarent, atque omnes quaqua versum Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatæ memoriæ *Papa Stephanus, Apostolicæ sedis Antistes*, cum *Stephanus Papa.* cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit: dignum, vt opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Denique in Epistola, quæ *Apud Cyprian. lib. 2. Epist. 7.* tunc ad Aphricam missa est, idem his verbis sanxit, *nihil nouandum, nisi quod traditū est.* *Nihil nouandum.* Intelligebat etenim vir sanctus, & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi vt omnia, qua fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur: *nosq; religionem, non quâ vellemus ducere, sed potius, quâ illa duceret, sequi oportere*: *Elegans sententia.* idque esse proprium Christianæ modestiæ & paruitatis, *non sua posteris tradere, sed à Maioribus accepta seruare.* Quis ergo tunc vniuersi negotii exitus? quis vtique nisi vsitatus & solitus: *Retenta est scilicet Antiquitas, explosa Nouitas.*

ANALYSIS CAP. IX.

Ἐπιμονή, qua latius ſtudium antiquitatis cõmendaturus, 1. per Apodioxin plura exempla reiicit. 2. Exemplum vnum *Agrippini* Anabaptiſmum introducentis, & *Papa Stephani* præter reliquos Sacerdotes ex officio acrius reſiſtentis apponit. 3. reſcriptum eius approbat.

ANNOTAT. COST. IN CAP. IX.

Venerabilis memoria Agippinus] Ne quicquam hactenus vt de hoc viro apud veteres aliquid inuenirem, tentaui: Præter quàm quòd D. *Cyprianus* lib. de hæreticis baptizandis obiter huius mentionem facit. Verba ipſius attexam: *Apud vos, inquit, non noua aut repentina res eſt, vt baptizandos cenſeamus eos, qui ab hæreticis ad Eccleſiam perueniunt, cum multi iam anni ſint, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro, conuenientes in vnum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerunt, &c.*

Agrippinus.

Horũ ſententia ab Eccleſia Romana reiecta eſt, quam & D. *Auguſtinus* in opere contra Donatiſtas refellit: Potiſſimum lib. 3. 6. & 7. D. *Auguſtinus* lib. 3. cont. Donatiſtas eum B. *Cypriani prædeceſſorem* nominat; eoque Carthagini præſidente, initiatum Chriſti Sacramentis *Tertullianum* arbitratur *Pamelius*: Cui ipſe Tertull. non ſucceſſerit inuidia quorundam clericorum Romanæ Eccleſiæ, vt *Hieronymus* de viris illuſt. B.

Nihil nouandum eſſe, niſi quod traditum eſt] Traditum porrò erat à Romana Eccleſia, hæreticos cum ad Eccleſiam redire vellent, ſola manus impoſitione, non retinctione debere purgari. Cæterum ea Epiſtola, quam à Stephano Papa ad Africam hic miſſam dicit, inter D. Cypriani opera eſt, lib. Epiſtolarum ſecundo, numero ſeptima, cuius initium. *Quanquam bene ſibi conſcius animus, &c.* Epiſtola eſt lectu digna: nimirum & erudita, & antiquam illam Romanæ Eccleſiæ grauitatem ſpirans, &c.

Pamel editione Epiſt. 31.

CAP.

CAPVT X.

Exceptio pro Nouitate.

SEd fortè tunc ipsi *nouitiæ adinuentioni patrocinia defuerunt*. Imò verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus adſertorum numerus, tanta veri ſimilitudo, tanta diuinæ legis oracula, ſed planè nouo ac malo more intellecta, vt mihi omnis iſta conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi ſolam tanti moliminis cauſam ipſa illa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudata nouitatis profeſſio deſtituiſſet. Poſtremò ipſius *Africani Concilii* ſiue decreti quæ vires? donante Deo, nullæ, ſed vniuerſa, tanquam ſomnia, tanquam fabulæ, tanquam ſuperflua abolita, antiquata, calcata ſunt.

Anabaptiſmus quam tatus defenſus.

ANALYSIS CAP. X.

Solenne eſt hæreticis, virtuti maiorum iniquitatem temporum opponere, cauſarique, ſuæ ſententiæ non veritatem, ſed Patrocinium defuiſſe. Quem prætextum in hypotheſi hic confutat Vincentius, oſtenditque omnem defenſionis apparatum Anabaptiſmi cauſæ adhibitum fuiſſe, ſola nouitatis profeſſione inſtar tranſuerſæ trabis victoriam impediente. Quod ipſum de ſimilibus caſibus dicere fas eſt. Non enim hæreticis ſua ingeniola deſunt, non phaleræ eloquentiæ, non pompa obtortarum ſcripturarum, non conuenticula & omnis denique larua veritatis. Sed vnicus nouitatis vnguis ſtatim prodit omnia.

CAPVT XI.

Alia exceptio pro Nouitate, quod quidam patrum dogmatum Erroneorum Inuentores, vel astipulatores fuerint.

ET ô rerum mira conuersio! Auctores eiusdem opinionis, Catholici: consectatores verò hæretici iudicantur. Absoluuntur magistri, condemnantur discipuli, conscriptores librorum filii regni erunt, assertores verò gehenna suscipiet. Nam qs illud sanctorum omnium, & Episcoporum, & Martyrum lumen, beatissimum *Cyprianum*, cùm cæteris collegis suis in æternum dubitet regnaturũ esse cum Christo? Aut quis cõtra tam sacrilegus, qui Donatistas & cæteras pestes, quæ illius authoritate concilii rebaptizare se iactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo? Quod quidem mihi diuinitus videtur promulgatum esse iudicium, propter eorũ maximè fraudulentiã, qui cùm sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, captant plerumque veteris cuiuspiam viri scripta paulò inuolutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant: vt illud; nescio quid, quodcunque proferunt, neque primi, neque soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignã iudico: vel eò,

eò, quòd hæreſeos venenum propinare aliis non pertimeſcunt: vel eò etiam, quòd ſancti cuiuſque viri memoriam tanquam ſopitos iam cineres prophana manu ventilant; & quæ ſilentio ſepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamant: ſequentes omninò veſtigia auctoris ſui *Cham*, qui nuditatem venerandi *Noe*, non modo operire neglexit, verum quoque irridendam cæteris enuntiauit. Vnde tantam læſæ pietatis meruit offenſam, vt etiam poſteri ipſius, peccati ſui maledictis obligarentur: beatis illis fratribus, longeque diſſimilibus, qui nuditatem ipſam reuerendi patris, neque ſuis temerare oculis, neque alienis patere voluerũt, ſed auersè, vt ſcribitur, texerunt eum: quod eſt erratum ſancti viri nec adprobaſſe, nec prodidiſſe: atque idcircò beata in poſteros benedictione donati ſunt. Sed ad propoſitum redeamus.

Qui ſint hodiè filii Cham.

Gen. 9. 23

ANALYSIS CAP. XI.

Alteram in hypotheſi exceptionem pro nouitate ab exemplo Cypriani ſumit & confutat. *Atquè* (inquiunt hæretici) *Patres ipſi magnis erroribus laborarunt.* Quid igitur nobis illi præſcribuntur fidei duces? Sic hodiè noſtri nouatores ex amuſſim quorumuis Patrum lapſus numerant, & næuos in abaco deſcribunt, vt cenſores agnoſcas non diſcipulos.

Vide Hyper. praf. t. methodi.

Vel vt paulò conuenientius verbis Vincentii argumentum proponam: *Ipſi patres* (inquiunt hæretici) *hanc vel illam ſententiam*, quam vos hoſtiliter impugnatis, *tenuerunt*, ſcriptiſque reliquerunt:

Vt Cyprianus Anabaptismi dogma, & c. Valeat igitur eorundem authoritas pro nobis.

Sæpè magistri erroris alicuius absoluuntur, & discipuli condemnantur.

Respondet ad hanc posteriorem formam Vincentius, non illud consequens esse. Sæpè enim diuersam magistrorum & discipulorum sortem esse, vt illi Catholici, & filii regni, hi verò hæretici & Gehennæ serui habeantur. Ratio est, quia Magistri ex infirmitate lapsi, suum errorem haud pertinaciter cum damno Ecclesiasticæ pacis defenderunt, quod discipuli scelerate faciunt. Atque hoc exemplo Cypriani & Donatistarum illustrat, quorum illum simpliciter absoluit, hos ad ima tartara damnat. Qua de re videat lector, quid *Bellarminus* scripserit lib. 4. de Romano Pontifice cap. 7. & libr. 1. de Conciliis cap. 10. *Augustinus* hanc quæstionem variis locis tractat: Vt Epistola 48. ad Vincentium. Lib 2. contra Cresconium cap. 31. 32. 33. *Quid*, inquit, *quod etiam B. Cypriani mentionem facere audetis, velut ille author sit vestræ diuisionis, tanquam defensor Catholicæ vnitatis & pacis? Primo esto in Ecclesia, quam constat tenuisse ac prædicasse Cyprianum, & tunc aude velut authorem sententiæ tuæ nominare Cyprianum. Primo imitare pietatem humilitatemque Cypriani, & tunc profer Concilium Cypriani. Nos enim nullam Cypriano facimus iniuriam, cùm eius quaslibet literas a Canonica diuinarum scripturarum authoritate distinguimus, &c. Nunc verò quoniam Canonicum non est quod recitas, ea libertate, ad quam nos vocauit Dominus, eius viri cuius laudem consequi non valeo, cuius multis literis mea scripta non comparo, cuius ingenium diligo, cuius ore delector, cuius charitatem miror, cuius martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit, non accipio. Non accipio inquam, quod de Baptizandis hæreticis & schismaticis Beatus Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua Beatus Cyprianus sanguinem fudit.*

Augustinus pro S. Cypriano.

NB.

Denique lib. 2. contra Gaudentium cap. 8. *Frustra tibi videtur, Agrippini & Cypriani Concilia in hac.*

hac quæstione esse sectanda. Cùm vos ea neglexeritis, quando extra vestram communionem baptizatos à damnatis, contra quos de basilicis excludendos litigabatis, sine vlla repetitione baptismatis suscepistis. De sententia verò Cypriani, vel collegarum eius, quibus tunc placuit, venientes ab hæreticis baptizare oportere, longum est vt pro merito disputem. Sed istam tu mihi, si potes, breuem solue quæstionem. Quando rebaptizabat Cyprianus ab hæreticis venientes, Ecclesiæ Carthaginensis Episcopus, tunc Ecclesiæ Romanæ Stephanus Episcopus in eodem baptismo, quem foris acceperant suscipiebat hæreticos: & ambo hæc diuersa facientes, in vnitate Catholica permanebant. Dic mihi, vtrum illo tempore Ecclesia, quando secundum vos omnium criminum reos sine baptismo recipiebat per Stephanum & eius innumerabiles toto orbe collegas, qui eiusdem sententiæ participes erant: malorum contagione perierat, an non perierat? Neque enim istos malos poteris dicere occultos: quamuis tu asseras nocere ac mortificare & occultos. Quisquis igitur homicida, vel etiam Parricida, adulter, incestator, idololatra, codicum denique sanctorum non timidus traditor, sed vt traderentur crudelis tortor, & violentus extortor, & iussu vel manu extremus incensor, apud hæreticos baptizatus, ad Stephanum & eius socios venit: Secundum vos sine baptismo exceptus est. Cernis igitur omnia hominum crimina, si verum est quod de baptismo sentitis, tunc in Ecclesia sine baptismo congregata? Responde vtrum his criminibus, in eadem vnitate maculatus fuerit Cyprianus; responde vtrum Ecclesia perierit, an non perierit? Elige quod putaueris. Si iam tunc perierat, Donatum quæ peperit? Si autem tot in eam sine baptismo aggregatis, perire non potuit, responde quæso, vt ab ea se, tanquam malorum communionem deuitans pars Donati separaret, quæ dementia persuasit? Absit autem, vt quoniam beatissimus Cyprianus de baptismo aliter sensit, quàm veritas & antea consuetudine & postea perspecta diligētius ratione

mon-

monstrauit: Propterea quisquam nostrum, qui hoc quod ille non sapimus, ei se audeat anteponere. Catera enim multa & magna eius merita & animus praecipua charitate plenissimus, per quem cum collegis diuersa sentientibus pacatissimus mansit, & in vnitate Ecclesia passio gloriola, satis ostenderunt, eum fuisse sarmentum in Christi radice fructuosum: quod pater etiam ab ista reprehensione purgaret, vt fructum posset adferre maiorem. Sic enim ait ipse Iesus: Sarmentum quod in me dat fructum, purgat illud pater meus, vt maiorem fructum adferat. Ostendens etiam in ipsis fructuosis, agricolam qui est in cœlis aliquid inuenire quod purget. Quis enim nostrum Petro Apostolo comparari potest, quamuis nunquam gentes iudaizare coegerimus: Quod ille faciebat, quando non rectè ingrediebatur ad veritatem Euangelii? Vnde à suo posteriore Apostolo Paulo, salubri admonitione correctus, vtilius posteris humilitatis prabuit exemplum, quàm si nihil in illo exstiteret corrigendum.

Ad priorem formam dicit impietatem Cami esse, patribus errores obiectare, à qua omnes pii abstinere debeant exemplo Sem & Iaphet, qui auersa facie pudenda ebrii patris tegumento inuoluerunt.

CAPVT XII.

Redit ad propositum, confirmatque studium antiquitatis, 13. dictis Paulinis: in primis illo Gal. 1. Licet nos aut angelus è cœlo, &c.

MAgno igitur metu nobis mutatæ fidei, ac temeratæ religionis piaculum pertimescendum est, à quo nos non solùm constitutionis Ecclesiasticæ disciplina, sed etiam censura Apostolicæ deterret autoritatis. Scitũ etenim cunctis est, quàm grauiter,

ter, quàm seuerè, quàm vehementer inuehatur in quosdam B. Apostolus Paulus, qui *mira leuitate nimium citò translati fuerant ab eo, qui eos vocauerat in gratiam Christi; in aliud Euangelium, quod non est aliud:* qui *coaceruârant sibi magistros ad sua desideria; à veritate quidem auditum auertentes, conuersi verò ad fabulas*: habentes damnationem, quòd *primam fidem irritam fecissent.* Quos deceperant ij, de quibus ad Romanos fratres scribit idem Apostolus: *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam ipsi didicistis, faciunt, & declinate ab illis: huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Qui intrant per domos & *captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis*: semper discentes, & ad scientiam veritatis nunquam peruenientes. *Vaniloqui & seductores*, qui vniuersas domos subuertunt, *docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.* Homines corrupti mente, *reprobi circa fidem: superbi, & nihil scientes: sed languentes circa quæstiones & pugnas verborum,* qui veritate priuati sunt, *existimantes quæstum esse pietatem*: simul autem & ociosi discunt circumire domos, non solùm autem ociosi, sed & verbosi, & curiosi, loquentes quæ non oportet. Qui bonam conscientiam repellentes, *circa fidem naufragauerunt.*

Gal. 1. c. 7.
2. Tim. 4. 3. 4.
1. Tim 5. 12.
Rom. 16. 17.
2. Tim 3. 6. 7.
Tit. 1. 10, 11.
2. Tim. 3. 8.
1. Tim 6. 4. 5.
1. Tim. 5. 13.
1. Tim. 1. 19.

2. Tim. 2. 16. 17. runt. Quorum prophana vaniloquia *multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum* 2. Tim. 3. 9. *vt cancer serpit*. Benè auté, quod de iis item Venalitii errores. scribitur: *sed vltrà non proficiunt: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit*. Cùm ergò tales quidam cir- Explicare incipit dictum Pauli Gal. 1. cumeuntes prouincias & ciuitates, atque errores venalitios circumferendo etiam ad Galatas deuenissent: cumque his auditis *Galatæ* nausea quadam veritatis adfecti, Apostolicæ Catholicæque doctrinæ manna reuomētes, hæreticæ nouitatis sordibus oblectarentur, ita sese Apostolicæ potestatis exercuit auctoritas, vt summa Gal. 1. 6. 7. cum seueritate decerneret: sed *licet aut nos*, inquit, *aut angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus; anathema sit*. Quid est, quòd ait, Sed licet nos, cur non potius, sed licet ego? Hoc est, etiamsi Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi Ioannes, etiamsi postremò omnis Apostolorum chorus Euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus, Anathema sit. Tremenda districtio: propter adferendam primæ fidei tenacitatem, nec sibi, nec cæteris coapostolis pepercisse: Parum est, *etiamsi angelus*, inquit, *de cœlo euangelizat vobis, præterquam quod euangelizauimus: anathema sit*. Non suffecerat ad custodiam traditæ semel fidei, humanæ conditionis commemorâsse naturam, nisi angelicam quoque excellentiam comprehen-

prehendisset. *Licet nos*, inquit, *aut angelus de cœlo*. Non quia sancti cœlestesque angeli peccare iam possint, sed hoc est quod dicit: Si etiam, inquit, fiat quod non potest fieri; quisquis ille traditam semel fidem mutare tentauerit: anathema sit.

ANALYSIS CAP. XII.

Explosis friuolis Nouatorum excusationibus, redit ad confirmandum antiquæ religionis tenax studium, Pauli præcipuè testimoniis XIII. quæ in margine annotata, nihil præterea difficultatis habent. Præcipuum est illud *Gal 1.* Quod quia etiam nouatoribus in vsu, sicut Diabolo Psalmus, discant hic veram applicationem, videant qui sint noui *Euangelizatores*, à semel tradita fide recedentes: ipsi videlicet mendaci ore reformationem iactantes, & terminos antiquos transilientes: Quod vel vnico hoc argumento patet, quod vulgò ingenuè fatentur, se repugnare toti antiquitati, ac cum patribus sentire nec posse nec velle. *Luther* tom. 4. f. 490. pag. 1. super Euangelium Dominicæ post Epiphan. *VVittack.* contra Sanderum de Antichristo demonstratione 7. Caluinus lib. 2. instit. cap. 2. §. 4 & 8. Ibidem c. 3. §. 7. & lib. 3. c. 11. §. 115. Et lib. 3. c. 4. §. 38. & passim alibi.

Plura vide supra cap. 3.

ANNOTAT. COST. IN CAP. XII.

In aliud Euangelium quod non est aliud] Hoc modo legisse videtur D. *Hieronymus*, quod è commentariis, quos in hanc epistolam conscripsit, doceri potest: *Translati*, inquit, *estis in aliud Euangelium, quod non est aliud.* Quanquam *Erasmus* in Annotat. suspicatur Hieronymum legisse, in aliud Euangelium quod non est: nec addidisse aliud. Sic enim ait: *Quia omne quod falsum est, non subsistit: & quod contrarium, non est.* Vt est illud:

ne tra-

ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, & alibi: *Ea quæ non erant, vocauit Deus.* Certè *Tertullianus* quoque Vincentianæ lectioni adstipulatur, Sic enim scribit lib. 4. contra Marcionem: *Miror vos tam citò transferri ab eo, qui vos vocauit in gratiam, in aliud Euangelium.* Et statim: Nam & adiiciens, *quòd aliud Euangelion omninò non esset creatoris, confirmat id, quod esse defendit.* Græca tamen exemplaria secus legunt, etiam illud quod *Robertus Stephanus* nobis nunc postremum dedit. Sic enim habet:

Θαυμάζω ὅτι οὕτω ταχέως μετατίθεσθε ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον, ὃ οὐκ ἔστιν ἄλλο, εἰ μή τινες εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς.

Irritam facere primā fidem.

Quòd primam fidem irritam fecissent] Abutitur verbis Apostoli (quod semper licuit viris doctis) quia non hic eum locum interpretatur, quod per comparationem explicari potest: Si illæ viduæ damnationem habent, quæ fidem castitatis, quam Ecclesiæ dederunt, mutato vitæ statu, dirumpunt: nonne illi damnabuntur, qui nomen Christianitatis exuunt, & in infidelitatem vel Iudaismum relabuntur, & primam, hoc est, absolutam, & in Baptismo professam fidem negant? B.

Venalitii errores.

Atque errores venalitios circumferendo] Allusio est ad circumforaneos istos mercatores, qui quaqua versum merces suas vendendas circumferunt: Quorum isti falsorum dogmatum nundinatores persimiles sunt, qui vrbes, pagos, vicos ac domos viduarum (vt Apostolus dicit, penetrantes, adulterinam doctrinam suam ceu vendendam exponunt.

Catholicaque doctrina magna reuomentes] Ad hunc modum legendum esse censemus, quum omnes excusi libri, quos hactenus vidi, legant, remouentes. Tacitè enim alludit ad Israeliticum populum,

pulum, qui cùm ex Aegyptiaca seruitute in vastam solitudinem illam imperio Dei esset eductus, cœlestis cibi, qui iis quotidiè dabatur, nausea adfectus, ad ollas carnium, quas in Aegypto reliquerant, suspirabant.

CAPVT XIII.

Perstat in vrgendo Pauli dicto; quod omnium seculorum casus respiciat.

SEd hæc forsitan perfunctoriè prælocutus est, & humano potius effudit impetu, quàm diuina ratione decreuit. Absit, sequitur enim, & hoc ipsum ingenti molimine iteratæ insinuationis inculcat: *Sicut prædiximus*, inquit, *& nunc iterum dico: si quis vobis euangelizauerit præterquam quod accepistis, anathema sit*: Non dixit. Si quis vobis adnunciauerit, præterquam quod accepistis, benedictus sit, laudetur; recipiatur: sed *anathema* sit, inquit, id est, separatus, segregatus, exclusus, ne vnius ouis dirum contagium, innoxium gregem Christi venenata permixtione contaminet. Sed forsitan Galatis ista tantum præcepta sunt. Ergo & ista solis Galatis imperata sunt, quæ in eiusdem epistolæ sequentibus commemorantur: qualia sunt hæc: *Si viuimus spiritu, spiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.* Et reliqua. Quod si absurdû est, & omnibus ex æquo imperata sunt,

Anathema aliquem fieri quid sit.
Galat. 5.

 stat

ſtat vt ſicut hæc morum mandata, ita etiam illa, quæ de fide cauta ſunt, omnes pari modo comprehendant.

ANALYSIS CAP. XIII.

Quo altius penetret Paulini dicti aculeus, inſtat & vrget id dupliciter: Primum quòd haud incogitanter ſed præmeditato conſilio prolatum ſit, alteraque vice repetitum. Deinde quòd non ſolos Galatas, ſed omnes vniuersè Christianos, non minus ac reliqua morum præcepta concernat.

CAPVT XIV.

Eiuſdem cum ſuperiore Argumenti.

ET ſicuti nemini licet inuicem prouocare, aut inuidere inuicem, ita nemini liceat præter id quod Eccleſia Catholica vſquequaque euangelizat accipere. Aut forſitan tunc iubebatur, ſi quis adnuntiaſſet, præterquam quod annunciatum fuerat, anathemari: nunc verò iam non iubetur. Ergo & illud quod item ibi ait: *Dico autem ſpiritu ambulate, & deſiderium carnis non perficietis*, tunc tantum iubebatur, modo verò iam non iubetur. Quod ſi impium pariter & pernicioſum eſt ita credere; neceſſariò ſequitur, vt ſicut hæc cunctis ætatibus obſeruanda ſunt, ita illa quoque, quæ de non mutanda fide ſancita ſunt, cunctis ætatibus imperata ſint: *Adnunciare ergo aliquid Chriſtianis Catholicis, præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licet, nunquam licebit,*

cebit: & anathemare eos qui adnuncient aliquid, præterquã quod semel acceptum est, *nunquam non oportuit, nusquam nõ oportet, nunquam non oportebit*. Quæ cũ ita sint, estne aliquis vel tantæ audaciæ, qui præter id quod apud Ecclesiam adnunciatum est, adnunciet: vel tantæ leuitatis, qui præter id, quod ab Ecclesia accepit, accipiat? Clamet, & repetendo clamet, & omnibus, & semper & vbique per literas suas clamet ille, ille vas electionis, ille magister gentium, ille Apostolorum tuba, ille terrarum præco, ille cœlorum conscius, vt si quis nouum dogma adnunciauerit; anathematizetur. Et contra reclament *ranæ quædam*, & *cyniphes*, & *muscæ morituræ*, quales sunt Pelagiani, & hoc Catholicis: *Nobis*, inquiunt, *autoribus, nobis principibus, nobis expositoribus damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis*, reiicite antiquam fidem, paterna instituta, Maiorum deposita, & recipite, quænam illa tandem? Horreo dicere. sunt enim tam superba, vt mihi non modo adfirmari, sed ne refelli quidem sine aliquo piaculo posse videantur.

Hereticorũ epitheta.

Elegans Mimesis.

ANALYSIS CAP. XIV.

Perstat in extentenda Pauli admonitione ad omnia etiam nostra tempora. Deinde concludit, nihil neq; docendum noui, neque acceptandum, pulchra Mimesi irridens Nouatores.

CAPVT XV.

Altera pars libri, docens cur persæpè diuinitus sinantur magni viri rerum nouarum in Ecclesia fieri auctores.

SEd dicet aliquis. *Cur ergo persæpè diuinitus sinuntur excellentes quædam personæ in Ecclesia constitutæ res nouas Catholicis adnunciare?* Recta interrogatio, & digna quæ diligentius atque vberiùs pertractetur: cui tamen non ingenio proprio, sed diuinæ legis auctoritate, ecclesiastici magistri documento satisfaciendum est. Audiamus ergo sanctum *Moysen*, & ipse nos doceat, cur docti viri, & qui propter scientiæ gratiam ab Apostolo etiam *Prophetæ* nuncupantur, proferre interdum permittantur noua dogmata, quæ vetus Testamentum allegorico sermone *Deos alienos* appellare consueuit; eò quòd scilicet ita ab hæreticis ipsorum opiniones, sicut à gentilibus dij sui obseruentur. Scribit ergo in *Deuteronomio* beatus Moses: *Si surrexerit*, inquit, *in medio tui propheta, aut qui somnium se vidisse dicat*, id est, Magister in Ecclesia constitutus, quem discipuli vel auditores sui ex aliqua reuelatione docere arbitrentur. Quid deinde? *Et prædixerit*, inquit, *signum atque portentum & euenerit quod locutus est.* Magnus profectò, nescio quis significatur Magister; & tantæ scien-

Noua dogmata dij alieni.

Deut. 13. 1. & seq.

ſcientiæ, qui ſectatoribus propriis non ſolùm quæ humana ſunt noſſe, verumetiam quæ ſupra hominem ſunt prænoſcere poſſe videatur, quales ferè diſcipuli ſui iactitant fuiſſe *Valentinum*, *Donatum*, *Photinum*, *Apollinarem*, cæteroſque eiuſmodi. Quid poſteà? *Et dixerit*, inquit, *tibi, eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras; & ſeruiamus eis.* Qui ſunt dii alieni, niſi errores extranei; quos ignorabas, id eſt noui & inauditi? Et ſeruiamus eis, id eſt, credamus eis, ſequamur eos. Quid ad extremum? *Non audies*, inquit, *verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris.* Et, quare, oro te, à Deo non prohibetur doceri; quod à Deo prohibetur audiri? *Quia* inquit, *tentat vos Dominus Deus veſter, vt palàm fiat vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima veſtra.* Luce clarius aperta cauſa eſt, cur interdum diuina prouidentia quoſdam Eccleſiarum magiſtros, noua quædam dogmata prædicare patiatur: *Vt tentet vos*, inquit, *Dominus Deus veſter.* Et profectò magna tentatio eſt, cùm ille quem tu Prophetam, quem Prophetarum diſcipulum, quem doctorem & adſertorem veritatis putes, quem ſumma veneratione & amore complexus ſis, is ſubitò latenter noxios ſubinducat errores: quos nec citò deprehendere valeas dum antiqui magiſterii duceris præiudicio: nec facilè da-

Hæreſes quare Deus oriri patiatur.

damnare fas ducis, dum magistri veteris impediris affectu.

ANALYSIS CAP. XV.

Altera libri pars.

Cohærentia perspicua est. Hactenus contra nouitatem omnibus armis pugnauit. Quia igitur alicui in mentem venire poterat, si noua non credenda sunt, quid ergo Deus tam excellentes viros noua docere permittit? *Respondet* ad hanc quæstionem satis copiosè hac altera libri parte, docetque ex Moyse Deut 13. ad probandam populi constantiam nouos istos Prophetas exoriri; *Vt fides nostra habendo tentationem, habeat & probationem*, quemadmodum supra Tertullianus locutus est cap. 1. de præscript.

Cæterum Moysis locum ita tractat, vt alternis commatibus alternas interiiciat explicationes, & in fine doceat, quanta tentatio sit, nouas à probatis olim viris sententias audire.

CAPVT XVI.

Illud Moysi: Tentat vos Dominus si diligatis eum, declarat exemplis Nestorii, Photini, & Apollinaris, qui non paruæ tentationi Catholicis extiterunt.

HIc forsitan efflagitet aliquis, vt ea quæ sancti Moysi verbis adserta sunt, ecclesiasticis aliquibus demõstrentur exemplis. Æqua expostulatio, nec diu differenda. Nam vt à proximis & manifestis incipiam, qualem fuisse nuper tentationem putamus, cùm infœlix ille *Nestorius* subitò ex oue conuersus in lupum, gregem Christi lacerare cœpisset; cùm eum hi ipsi

Nestorius.

qui

qui rodebantur, ex magna adhuc parte ouem crederent, ideoque morsibus eius magis paterent. Nam quis eum facilè errare arbitretur, quem tanto imperii iudicio electum, tanto sacerdotum studio prosecutum videret, qui cum magno sanctorum amore, summo populi fauore celebraretur, quotidiè palam diuina tractabat eloquia, & noxios quoque Iudæorum & gentilium confutabat errores. Quo tandem iste modo non cuiuis fidem faceret, se recta docere, recta prædicare, recta sentire? Qui vt vni hæresi suæ aditum patefaceret, cunctarum hæreseon blasphemias insectabatur. Sed hoc erat illud quod Moyses ait: *Tentat vos Dominus Deus vester, si diligatis eum, an non.* Et vt Nestoriũ prætereamus, in quo plus semper admirationis, quã vtilitatis, plus famæ, quàm experiẽtiæ fuit: quem opinione vulgi aliquãdiu magnum humana magis faceret gratia, quàm diuina: eos potius commemoremus, qui multis profectibus, multaq; industria præditi, non paruæ tentationi Catholicis hominibus exstiterunt: velut apud Pannonios maiorum memoria *Photinus* Ecclesiam *Sirmitanam* tentâsse memoratur. Vbi cùm magno omnium fauore in sacerdotium fuisse ascitus, & aliquandiu tanquam Catholicus administraret: subitò, sicut malus ille Propheta, aut somniator, quem Moyses significat, creditam sibi plebem Dei per-

Nestorius qualis.

Photinus Pannonius

suadere cœpit, vt sequeretur Deos alienos, id est, errores extraneos; quos antea nesciebat. Sed hoc vsitatum: illud verò perniciosum, quod ad tantum nefas non mediocribus adminiculis vtebatur. Nam erat & ingenii viribus valens, & doctrinæ opibus excellens, & eloquio præpotens: quippè qui vtroq; sermone copiosè & grauiter disputaret & scriberet: quod monumentis librorum suorũ manifestatur, quos idem partim Græco, partim Latino sermone composuit. Sed benè, quòd commissæ ipsi oues Christi, multũ pro Catholica fide vigilantes, & cautæ, citò ad præmonentis Moysis eloquia respexerunt, & Prophetæ atq; pastoris sui licet admirentur eloquentiam, tentationem tamen non ignorarunt. Nam *quem antea quasi arietem gregis sequebantur, eundem deinceps veluti lupum fugere cœperunt.* Neque solùm Photini, sed etiam *Apollinaris* exemplo istius ecclesiasticæ tentationis periculum discimus, & simul ad obseruandæ diligentius fidei custodiam commouemur. Etenim ipse auditoribus suis magnos actus, & magnas generauit angustias: quippè cùm eos huc Ecclesiæ traheret auctoritas, huc magistri retraheret consuetudo: sic inter vtraq; nutabundi & fluctuantes, quid potius sibi seligendum foret, non expendunt. Sed forsitan eiusmodi ille vir erat, qui dignus esset facilè contemni. Imò verò tantus acta-

Photini doctes. (margin, beside "diocribus adminiculis")

Apollinaris (margin, beside "etiam Apollinaris")

aç talis, cui nimium citò in plurimis crederetur. Nam quid illo præstantius acumine, exercitatione, doctrina? quàm multas ille hæreses multis voluminibus oppresserit, quot inimicos fidei confutauerit errores, indicio est opus illud *triginta non minus librorum nobilissimum ac maximum*, quo insanas Porphyrii calumnias magna probationum mole confudit. Longum est vniuersa ipsius opera commemorare, quibus profectò summis ædificatorib. Ecclesiæ par esse potuisset: nisi prophana illa hæreticæ curiositatis libidine nouum nescio quid inuenisset, quo & *cunctos labores suos velut cuiusdam lepræ admixtione fœdaret*, & doctrina eius non tam ædificatio, quã tentatio potius ecclesiastica diceretur. *Apollinaris præstantia.*

Hic à me forsitan deposcatur, vt horum quos supra commemoraui, exponam hæreses: Nestorii scilicet, Apollinaris, & Photini. Hoc quidem ad rem, de qua nunc agimus, non attinet, propositum etenim nobis est, non singulorum errores persequi, sed paucorum exempla proferre, quibus euidenter ac perspicuè demonstretur illud quod Moyses ait: Quia scilicet, si quando ecclesiasticus aliquis magister, & ipse interpretandis prophetarum mysteriis propheta, noui quiddam in Ecclesiam Dei tentet inducere, ad tentationem id nostram fieri prouidentia diuina patiatur.

ANALYSIS CAP. XVI.

Facilitas authoris nos in dicendo breuiores facit, neque opus soli lumen inferre. Quæ in genere supra de admissa à Deo tentatione fidei dixit, trium hic nobilium hæresiarcharum exemplo illustrat, quorum in Catholica virtutibus furorem in hæresi opponit.

ANNOT. COST. IN CAP. XVI.

Nestorius. *Cum infelix ille Nestorius*] Nestorius Episcopus Constantinopolitanus fuit: vir quantumuis naturâ eloquens, in scripturis tamen & veterum lectione, quos præ se fortiter contemnebat, minus exercitatus. Pelagianam hæresim sequutus est. Hic vero in id summo studio laborauit, vt *Christum* Dei filium ex virgine Maria natum, *hominem duntaxat, non etiam Deum esse doceret*: atque Mariam χριστοτόκον, non autem θεοτόκον esse dicendam: Postea verò sanctæ & inculpatæ vitæ meritò Christum obtinuisse, vt dignus haberetur, cui se diuinitas iungeret. Huius igitur nefandi erroris veluti rediuiuos excitans cineres, & ex antiquis fauillis nouum volens mouere incendium, iure ab Ecclesia reiectus est: Perstrenuum contra hanc suam audaciam habens antagonistam *Diuum Cyrillum Alexandrinum Antistitem*, qui hanc pestem multis sudoribus profligauit, extinxit. Multa passim apud *Sozomenum* in Ecclesiastica historia de huius Nestorii peruicacia, arrogantia, ac tyrannide leguntur: vbi inter cætera quoque refertur, *linguam ipsius, quæ multas ac intolerandas in Christum blasphemias euomuerat, primum post mortem eius à vermibus fuisse depastam.*

Photinus. *Velut apud Pannonios maiorum memoria Photinus*] Hic Galata natione, Episcopus verò Sirmitanæ

tanæ Ecclesiæ fuit: Vir Græca & Latina lingua disertus. Sabellii verò ac Pauli Samozateni perfidiam fouens, qui Christum nudum duntaxat hominem, non etiam Deum esse blaterabant, humanæque scientiæ præsidio fretus, concreditum sibi Christi gregem in suam sententiam pertrahere, & diuersis atque occultis cuniculis in Catholicam domum irrepere tentabat. De hoc Photino est antiquorum Patrum sententia, quod *multa continentia & ingenii bona vno superbiæ malo perdiderit.*

Sed etiam Apollinaris exemplo] Syrus hic fuit, sua ætate omnium facilè doctissimus atque eloquentissimus. Porphyrii vesaniæ, qua in Christianos incredibili petulantia debachabatur, triginta voluminibus respondit, denique cùm Iulianus Cæsar, fidei Christianæ desertor, interdixisset Christianis disciplina Græcorum, ne nihil ageret, Hebræorum historias vsque ad Saulis Regis tempora heroico carmine conscripsit, in viginti quatuor tomos, iuxta literarum Græcarum numerum, opus illud (vti ferunt) partitus: Cæterum posteà ingenii ac eloquentiæ fiducia fretus nouum ac perniciosum dogma in Ecclesiam inducere voluit: quod quale fuerit Vincentius noster obiter hîc breuiterque perstringit. *Apollinaris.*

Fuit & *alius Apollinaris* (ne quis fallatur) Hierapolitanus Antistes, quem D. Hieronymus contra Cataphrygarum insanas nænias scripsisse, & M. Antonino sub quo floruit pro fide Christianorum insigne volumen obtulisse refert. Apollinarii duo fuerunt: Pater, senior, presbyter Hieronymo dicitur: & filius: qui post *Laodicenus Episcopus* magnæ conditionis & auctoritatis, iudicio sanctissimi viri Epiphanii: de quo hæc Vincentii. B. *Apollinares duo.*

CAP.

CAPVT XVII.

Quid sentiant memorati hæretici Nestorius, Photinus, & Apollinaris.

VTile igitur fuerit in excursu, quid supra memorati hæretici sentiant, breuiter exponere, id est, Photin⁹, Apollinaris, Nestorius. *Photini ergo secta hæc est*: Dicit Deum singulum esse & solitarium, & more Iudaico confitendum: Trinitatis plenitudinem negat, neque vllam Dei verbi, aut vllam Spiritus sancti putat esse personam: Christum verò hominem tantummodò solitarium adserit, cui principium adscribit ex Maria: & hoc omnibus modis dogmatizat, solam nos personam Dei patris, & solum Christum hominem colere debere. Hæc ergo Photinus. *Apollinaris* verò in vnitatem quidem trinitatis quasi consentire se iactat, & hoc ipsum plena fidei sanitate: sed in Domini incarnatione aperta professione blasphemat. Dicit enim *in ipsa Saluatoris nostri carne, aut animam humanam penitus non fuisse, aut certè talem fuisse, cui mens & ratio non esset.* Sed & ipsam Domini carnem, non de sanctæ virginis Mariæ carne susceptā, sed de cœlo in virginem descendisse dicebat: eamque nutabundus semper & dubius, modò coæternam Deo verbo, modò de verbi diuinitate factam prædicabat. Nolebat enim in Christo esse duas substantias, vnam diuinam

Photini dogmata.

Apollinaris secta.

uinam

uinam, alteram humanam: vnam ex patre, alteram ex matre: ſed ipſam verbi naturam putabat eſſe diſciſſam: quaſi aliud eius permaneret in Deo, aliud verò verſum fuiſſet in carnem: vt cum veritas dicat ex duabus ſubſtantiis vnum eſſe Chriſtum, ille contrarius veritati, ex vna Chriſti diuinitate duas aſſerat eſſe ſubſtantias. Hæc itaque Apollinaris. *Neſtorius* autem contrario Apollinari morbo, dum ſe duas in Chriſto ſubſtantias diſtinguere ſimulat, duas introducit repĕtè perſonas: & inaudito ſcelere duos vult eſſe filios Dei, *duos Chriſtos*: vnum Deum, alterum hominem: vnum qui ex patre, alterum qui ſit generatus ex matre. Atque ideo aſſerit ſanctam Mariam *non theotocon*, ſed *chriſtotocon*, eſſe dicendã: quia ſcilicet ex ea non ille Chriſtus qui Deus, ſed ille qui erat homo, ſit natus. Quod ſi quis eum putat in literis ſuis, vnũ Chriſtum dicere, & vnam Chriſti prædicare perſonam, non temerè credat. Aut enim iſtud fallendi arte machinatus eſt, *vt per bona facilius ſuaderet & mala*: ſicut ait Apoſtolus, *Per bonum mihi operatus eſt mortem*: Aut ergo vt diximus fraudulentiæ cauſa quibuſdam in locis ſcriptorum ſuorum vnum CHRISTVM, & vnam Chriſti perſonam credere ſe iactitat: aut certè poſt partum iam virginis ita in vnum Chriſtũ duas perhibet conueniſſe perſonas, vt tamen conceptus ſeu partus virginei tempore, &

Neſtorii errores.

Confer Auguſt. in appendice hæreſeon ad Quoduult. hæreſi 90.

Rom. 7.

re, & aliquanto postea, duos Christos fuisse contendat. Et cum scilicet Christus homo communis primum & solitarius natus sit, & nec dum Dei verbi personæ vnitatẽ sociatus, postea in eum adsumentis verbi persona descenderit; & licet nunc in Dei gloria maneat adsumptus aliquandiu, tamen nihil inter illum & cæteros homines interfuisse videatur.

CAPVT XVIII.

Quid contra prædictas hæreses de Deo & Saluatore nostro Catholica sentiat Ecclesia.

HÆc ergo Nestorius, Apollinaris, Photinus aduersus Catholicam fidem rabidi canes latrant: *Photinus, Trinitatẽ non confitendo, Apollinaris conuertibilem verbi dicendo naturam, & duas in Christo substantias non confitendo*: & aut totam Christi animam, aut certè mentem atq; rationem in anima denegando, & asserendo pro sensu mentis fuisse Dei verbum: *Nestorius duos Christos, aut semper esse, aut aliquandiu fuisse adseuerando.* Ecclesia verò Catholica, & de Deo, & de Saluatore nostro recta sentiens, nec in Trinitatis mysterium nec in Christi in carnationem blasphemat. nam & vnam diuinitatem in Trinitatis plenitudine. & Trinitatis æqualitatem in vna atque eadem maiestate veneratur, & vnum Christũ Iesum, non duos eundemque Deũ pariter atque hominem confitetur. Vnam qui-

Antithesis doctrinæ Ecclesiæ.

quidem in eo personam, sed duas substantias: duas substantias, sed vnam credit esse personam: duas substantias, quia mutabile non est verbum Dei, vt ipsum verterentur in carnem: vnam personam ne duos profitendo filios, *quaternitatem* videatur colere, non Trinitatem.

Duæ substantia in Christo.

CAPVT XIX.

Fusius adhuc Catholicam fidem de Trinitate & Christo explicat.

SEd operæ precium est, vt idipsum etiam atque etiam distinctius & expressius enucleemus. In Deo vna substantia, sed tres personæ: In Christo duæ substantiæ sed vna persona: In Trinitate *alius atq; alius*, non *aliud atq; aliud*: in Saluatore aliud atque aliud non alius atque alius. Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia scilicet alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; sed tamen Patris, & Filii, & Spiritus sancti non alia & alia, sed vna eademque natura. Quomodo in Saluatore aliud atque aliud, non alius atque alius? Quia videlicet altera substãtia diuinitatis, altera humanitatis: sed tamẽ Deitas & humanitas nõ alter & alter, sed vnus idemq; Christus, vnus idẽq; Filius Dei, & vnius eiusdẽq; Christi & filii Dei vna eadẽq; psona. Sicut in homine aliud caro, & aliud

Aliud. Aliud.

Vide Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 6.

Simile. & aliud anima: sed vnus idemque homo; anima & caro: In *Petro* & *Paulo* aliud anima, aliud caro: nec tamen duo Petri caro & anima, aut alter Paulus anima, & alter caro: sed vnus idemque Petrus, vnus idẽque Paulus, ex duplici diuersaque subsistẽs animi corporisque natura. Ita igitur in vno eodemq; Christo duæ substantiæ sunt: sed vna diuina, altera humana: vna ex patre Deo, altera ex matre virgine: vna coæterna & æqualis Patri, altera consubstantialis matri, vnus tamẽ idemq; Christus in vtraq; substantia. Non ergo alter Christus Deus, alter homo, non alter increatus; alter creatus: non alter impassibilis, alter passibilis: non alter æqualis patri, alter minor patre: non alter ex patre, alter ex matre, sed vnus idemque Christus Deus & homo: idem non creatus, & creatus, idem incommutabilis & impassibilis: idem cõmutatus & passus: idem patri & æqualis, & minor: idem ex Patre ante secula genitus, idem in seculo ex matre generatur: perfectus Deus, perfectus homo: in Deo summa diuinitas, in homine plena humanitas: Plena, inquam, humanitas, quippè quæ animam simul habeat & carnem: sed carnem veram, nostram, maternam: animam verò intellectu præditam, mente ac ratione pollentem. Est ergo in Christo verbum, anima, caro: sed hoc totum vnus est Christus, vnus filius Dei, & vnus Saluator

Breuiter in Symb. Deus & homo vnus est Christus.

uator

uator ac redemptor noster. Vnus autem, nõ corruptibili nescio, qua diuinitatis & humanitatis confusione, sed integra & singulari quadam vnitate personæ. Neque enim illa coniunctio alterum in alterum conuertitatque mutauit (qui est error proprius *Arrianorũ*) sed ita in vnum potius vtrumque compegit, vt manente semper in Christo singularitate vnius eiusdemque personæ in æternũ quoque permaneat proprietas vniuscuiusque naturæ: quo scilicet nec vnquam Deus corpus esse incipiat, nec aliquando corpus esse desistat: quod etiam humanæ conditionis demonstratur exemplo: neque enim in præsenti tantum, sed in futuro quoque vnusquisque hominum constabit ex corpore & anima: nec tamen vnquam aut corpus in animam, aut anima vertetur in corpus, sed vno quoque hominum sine fine victuro in vno quoque hominum sine fine necessario vtriusque substantiæ differentia permanebit. Ita in Christo quoque vtriusque substantiæ sua cuique in æternum proprietas, salua tamen personæ vnitate, retinenda est.

Arriani confundũt naturas.

CAPVT XX.

Vox personæ non histrionicè sed substantiuè de Christo intelligenda est.

SEd cùm personam sæpius nominamus, & dicimus, quod Deus persona homo

factus sit, vehementer verendum est, ne hoc dicere videamur, quòd Deus verbum sola imitatione actionis, quæ sunt nostra susceperit, & quidquid illud est conuersationis humanæ, quasi adumbratus, non quasi verus homo fecerit: sicut in theatris fieri solet, vbi vnus plures effingit repentè personas, quarum ipse nulla est. Quotiescunque etenim aliqua suscipitur imitatio actionis alienæ, ita aliorum officia aut opera patrantur, vt tamen hi qui agunt, non sint ipsi, quos agunt. Neque enim, vt verbi gratia secularium, & Manichæorum vtamur exemplis, cùm *actor tragicus* Sacerdotem effingit, aut regem, sacerdos aut rex est: nam desinente actu, simul & ea quam susceperat persona desistit. Absit hoc à vobis nefarium sceleratumque ludibrium. Manichæorum sit ista dementia, qui phantasiæ prædicatores, aiunt filium Dei Deum, personam hominis non substantiuè exstitisse, sed actu putatiuo quodam, & conuersatione simulasse. Catholica verò fides ita verbum Dei hominem factum esse dicit, vt quæ nostra sunt, non fallaciter & adumbratè, sed verè expresseque susciperet: & quæ erant humana, non aliena imitaretur, sed potius vt sua gereret: & prorsus quod agebat, hoc etiam esset. Sicut ipsi nos quoque in eo quod loquimur, sapimus, viuimus, subsistimus, non imitamur homines,

Manichæi.

mines, sed sumus. Neque enim *Petrus* & *Ioannes*, vt eos potissimum nominem, imitando erant homines, sed subsistendo. Neque item *Paulus* simulabat Apostolum, aut fingebat Paulum, sed erat Apostolus, & subsistebat Paulus: Ita etiam Deus verbum, adsumendo & habendo carnem, loquendo, faciendo, patiendo per carnem, sine vlla tamen suæ corruptione naturæ hoc omninò præstare dignatus est, vt hominem perfectum non imitaretur aut fingeret, sed exhiberet: vt homo verus non videretur aut putaretur, sed esset atque subsisteret. Igitur sicut anima connexa carni, nec in carnem tamen versa non imitatur hominem, sed est homo; & homo non per simulationem, sed per substantiam: ita etiam verbum Deus, absque vlla sui conuersione vniendo se homini non confundendo, non imitando factus est homo, sed subsistendo. Abiiciatur ergo tota penitus personæ illius intelligentia, quæ fingendo imitatione suscipitur: vbi semper aliud est, & aliud simulatur: vbi ille qui agit, nunquam is est, quem agit. Absit etenim, vt hoc fallaci modo Deus verbum hominis personam suscepisse credatur, sed ita potius, vt incommutabili sua manente substantia, & in se perfecti hominis suscipiendo naturam, ipse caro, ipse homo, ipse persona hominis existeret:

Nn 2 non

non simulatoria, sed vera: non imitatiua, sed substantiua: non denique quæ cum actione desisteret, sed quæ prorsus in substantia permaneret. Hæc igitur in Christo personæ vnitas, nequaquam post virginis partum, sed in ipso virginis vtero compacta atque perfecta est.

CAPVT XXI.

Christum à primo momento conceptionis Deum fuisse, adeoq; Mariam plene Theotocon credendam.

Intoleranda blasphemia.

VEhementer enim præcauere debemus vt Christum non modo vnum: sed etiam semper vnum confiteamur: quia intoleranda blasphemia est, vt etiamsi nunc eum vnum esse concedas: aliquando tamen non vnum, sed duos fuisse contendas: *vnum* scilicet *post tempus baptismatis, duos verò sub tempore natiuitatis.* Quod immensum sacrilegium non aliter profectò vitare poterimus, nisi vnitum hominem Deo in vnitate personæ, non ascensu, vel resurrectione, vel baptismo, sed iam in matre, iam in vtero, iam denique in ipsa virginali conceptione fateamur: propter quam personæ vnitatem indifferenter ei atque promiscue, & quæ Dei sunt propria, tribuuntur Deo. Inde est enim quod diuinitus

Communicatio Idiomatum.

diuinitus ſcriptum eſt: *Et filium hominis deſcendiſſe de cœlo, & Dominum maieſtatis crucifixum in terra,* inde etiam eſt, vt carne Domini facta, carne Domini creata, ipſum verbum Dei factum, ipſa ſapientia Dei impleta, ſcientia creata dicatur: ſicut in præſcientia manus ipſius & pedes foſſi eſſe referuntur: Per hanc, inquam, perſonæ vnitatem illud quoque ſimilis myſterii ratione profectum eſt, vt carne verbi ex integra matre naſcente, ipſe Deus verbum natus ex virgine Catholiciſſimè credatur, impiiſſimè denegetur. Quæ cum ita ſint, abſit vt quiſquam ſanctam Mariam diuinæ gratiæ priuilegiis, vt ſpeciali gloria, fraudare conetur: Eſt enim ſingulari quodam Domini ac Dei noſtri, filii autem ſui munere, veriſſimè ac beatiſſimè *theotocos* confitenda. Sed non eodem modo *theotocos*, quo impia quædam hæreſis ſuſpicatur, quæ adſerit eam Dei matrem ſola appellatione dicendam, quæ eum ſcilicet pepererit hominem, qui poſtea factus eſt DEVS, ſicut ſcimus Presbyteri matrem, aut Epiſcopi matrem, non iam presbyterum aut Epiſcopum pariendo, ſed eum generando hominem, qui poſtea presbyter vel Epiſcopus factus eſt. Non ita, inquam, ſancta Maria *theotocos*: ſed ideo potius, quoniam, vt ſupra dictum eſt, iam in eius ſacrato vtero ſacro, ſanctū

Pſal. 21.

S. Maria. Theotocos.

NR.

illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quandam atque vnicam personæ vnitatem sicut verbum in carne caro, ita homo in Deo Deus est.

CAPVT XXII.

Recapitulatio superiorum à cap. 17.

SEd iam ea, quæ supra de memoratis hæresibus, vel de Catholica fide breuiter dicta sunt, renouandæ causa memoriæ breuius strictiusque repetamus: quo scilicet & intelligantur iterata plenius, & firmius inculcata teneantur. Anathema igitur *Photino*, non recipienti plenitudinem Trinitatis, & Christum hominem tantummodo solitarium prædicanti. Anathema *Apollinari* adserenti in Christo conuersæ diuinitatis corruptionem, & auferenti perfectæ humanitatis proprietatem. Anathema *Nestorio*, neganti ex virgine Deum natum, adserenti duos Christos: & explosa Trinitatis fide, quaternitatem nobis introducenti. *Antithesis.* *Beata verò Catholica Ecclesia*, quæ vnum Deum in Trinitatis plenitudine, & item Trinitatis æqualitatem in vna diuinitate veneratur: vt neque singularitas substantiæ personarum confundat proprietatem, neque item Trinitatis distinctio vnitatem separet Deitatis.

tatis. *Beata*, inquam, Ecclesia, quæ in Christo duas veras perfectasque substantias, sed vnam Christi credit esse personam: vt neque naturarũ distinctio vnitatem personæ diuidat, neque item personæ vnitas differentiam confundat substantiarum. *Beata*, inquam *Ecclesia*, quæ vt vnum semper Christum & esse, & fuisse fateatur, vnitum hominem Deo non post partum, sed iam in ipso matris vtero confitetur. *Beata*, inquam, *Ecclesia*, quæ Deum factum hominem, non conuersione naturæ, sed personæ ratione intelligit: Personæ autem non simulatoriæ, & transeuntis, sed substantiuæ ac permanentis. *Beata*, inquam, *Ecclesia*, quæ hanc personæ vnitatem tantam vim habere prædicat, vt propter eam miro ineffabilique mysterio & diuina homini, & Deo adscribat humana. Nam propter eam & hominem de cœlo secundum Deum descendisse non abnegat, & Deum secundum hominem credidit in terra factum, passum & crucifixum. Propter eam denique & hominem Dei filium, & Deum filium virginis confitetur. *Beata*, igitur ac veneranda, benedicta, & sacrosancta, & omninò supernæ illi angelorum laudationi comparanda confessio, quæ vnum Dominum Deum trina sanctificatione glorificat. Idcirco enim vel maximè vnitatem Christi prædicat, ne mysterium Trinitatis excedat. Hæc

Communicatio idiomatum.

in excursu dicta sint, alias si Deo placuerit, vberius tractanda & explicanda. Nunc ad propositum redeamus.

ANALYSIS CAP. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII.

Per digressionem deinceps hoc capite 17. sectam Photini, Apollinaris & Nestorii eodem ordine quo nominantur exponit. Deinde cap. 18. Antithesin Doctrinæ Catholicæ de mysterio Trinitatis, & admiranda duarum in Christo naturarum vnione facere incipit: Quam cap. 19. 20. & 21. distinctius & enucleatius proponit: Capite autem 22, p ἀνακεφαλαίωσιν repetit & inculcat. Qua de re quia omnia satis perspicuè & methodicè ad intelligentiam lectoris dicta sunt, ab *Illustrissimo* etiam *Bellarmino* in libris de Christo solidissime enodata habentur, nuda capitum inscriptione cōtenti, nihil amplius dicere constituimus, ne otio & beneuolentia lectoris consultò abuti voluisse videamur.

CAPVT XXIII.

Quod error Origenis magna fuerit in Dei Ecclesia populi tentatio.

DIcebamus ergo in superioribus, quòd in Ecclesia Dei *tentatio esset populi, error magistri: & tanto maior tentatio, quanto ipse esset doctior, qui erraret.* Quod primum scripturæ authoritate, deinde Ecclesiasticis docebamus exemplis: eorū scilicet comemoratione, q cū aliquandiu sanæ fidei forent habiti, ad extremū tamē, aut in alienā decidis-

decidiſſent ſectam, aut ipſi ſuam hæreſim condidiſſent. Magna profectò res & ad diſcendum vtilis, & ad recolendum neceſſaria, quam etiam atque etiam exemplorum molibus illuſtrare atque inculcare debemus: vt omnes ferè Catholici nouerint, *ſe cum Eccleſia doctores recipere, non cum Doctoribus Eccleſiæ fidem deſerere debere.* Sed ego ita arbitror, quòd cùm multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo penè ſit, qui *Origenis* tentationi valeat comparari, in quo plura adeò præclara, adeò ſingularia, adeò mira exſtiterunt, vt inter initia habendam cunctis adſertionibus eius fidem, quiuis facilè iudicaret. Nam ſi *vita* facit auctoritatem, magna illi induſtria, magna pudicitia, patientia, tolerantia; ſi *genus* vel *eruditio*, quid eo nobilius, qui primùm in ea domo natus eſt, quæ eſt illuſtrata martyrio? Deinde pro Chriſto non ſolum patre, ſed omni quoque facultate priuatus, tantum inter ſanctæ paupertatis profecit anguſtias, vt pro nomine dominicæ confeſſionis ſæpius, vt ferunt, adfligeretur. Neq; verò hæc in illo ſola erant, quæ cuncta poſtea tentationi forent; ſed tanta etiam *vis ingenii*, tam profundi, tam acris, tam elegantis, vt omnes penè multùm longeque ſuperarit, tanta doctrinæ ac totius eruditionis magnificentia, vt pauca forent diuinæ, penè fortaſsè nulla humanæ philoſophiæ, quæ non penitus adſequeretur.

Elegans ſententia

Origenes qualis quantuſq; fuerit.

tur. Cuius ſcientiæ cùm Græci non crederent, *Hebræa* quoque elaborata ſunt. *Eloquentiam* verò quid memorem? cuius fuit tam amœna, tam læta, tam dulcis oratio, vt mihi ex ore ipſius non tam verba, quàm mella quædam fluxiſſe videantur. Quæ non ille perſuaſu difficilia diſputandi viribus elimpidauit? quæ factu ardua non vt facillima viderentur effecit? Sed forſitan argumentorum tantummodo nexibus adſertiones ſuas texuit. Imò planè *nemo vnquam Magiſtrorum fuit, qui pluribus diuinæ legis vteretur exemplis.* Sed credo pauca cõſcripſit: Nemo mortalium plura: vt mihi ſua omnia non ſolum non perlegi, ſed ne inueniri quidem poſſe videantur. Cui ne quidquam ad ſcientiæ inſtrumenta deeſſet, etiam plenitudo exabundauit ætatis. Sed forſitan diſcipulis parum felix? Quis vnquam felicior? Nempè innumeri ex ſinu ſuo doctores, innumeri Sacerdotes, Confeſſores, & Martyres exſtiterunt. Iam verò quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria! quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulò religioſior ex vltimis mundi partibus aduolauit? Quis Chriſtianorum non penè vt Prophetam, quis Philoſophorum non vt magiſtrũ veneratus eſt? Quàm autẽ nõ ſolum priuatæ cõditioni, ſed ipſi quoq; fuerit reuerendus *Imperio*, declarabant hiſtoriæ, quę eum *à matre Alexandri Imperatoris accitũ ferunt,* cœle-

Origenes πολύχαλκος. Vixit ad annum ætatis 69. quo Tyri mortuus et ſepultus eſt

cœlestis vtiq; sapientiæ merito, cuius ille gratia & amore flagrabat. Sed & eiusdē epistolæ testimoniū perhibent, quas ad *Philippū Imperatorem*, qui *primus Romanorū Principum Christianus fuit*, Christiani magisterii auctoritate cōscripsit? De cuius incredibili quadam scientia, si quis referentibus nobis Christianū non accipit testimoniū, saltem testificantibus Philosophis gentilē recipiat confessionē. Ait nāq; impius ille *Porphyrius*, excitū se fama ipsius Alexandriā ferè puerum perrexisse, ibiq; eū vidisse iam senem. Sed planè talē tantumq: *qui arcē totius scientiæ condidisset*. Dies me citius defecerit, quā ea quę in illo viro præclara exstiterunt, vel ex minima saltē parte perstringā: quæ tamē non solū ad religionis gloriā, sed etiam ad tētationis magnitudinē pertinebant. Quotus enim quisq; tanti ingenii, tantæ doctrinæ, tantæ gratiæ virū à se facilè deponeret, ac non potius illa vteretur sententia, *se cum Origine errare malle, quàm cum aliis vera sentire?* Et quid plura? Eo res decidit, vt tantæ personæ, tanti doctoris, tanti Prophetæ, non humana aliqua, sed vt exitus docuit, nimium periculosa tentatio plurimos à fidei integritate deduceret. Quamobrem hic *Origenes* tantus ac talis dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimiū indulget, sibiq; satis credit, *cum paruipendit antiquam Christianæ religionis sim-*

Philippus Imperator primus Christianus.

Porphyrii testimoniū de Origine.

Origenis lapsus.

ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum *Eccleſiaſticas traditiones & veterum magiſteria contemnens*, quædam ſcripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit vt de ſe quoque Eccleſia Dei diceret. *Si ſurrexerit in medio tui Propheta*. Et paulò poſt: *Non audies*, inquit, *verba Prophetæ illius*. Et itē: *quia tentat vos*, inquit, *Dominus Deus veſter, vtrū diligatis eū, an non*. Verè nō ſolùm tentatio ſed etiam magna tentatio, deditam ſibi atq; in ſe pendentē Eccleſiam admiratione ingenii, ſcientiæ, eloquentiæ, cōuerſationis & gratiæ nihil de ſe ſuſpicantē, nihil ſe verentē, ſubitò à veteri religione in nouā prophanitatem ſenſim paulatimque traducere. Sed

Occupatio. dicat aliquis, *corrruptos eſſe Origenis libros*. Non reſiſto, quin potius & malo: Nam id à quibuſdam & traditum, & ſcriptum eſt, non Catholicis tantum, ſed etiam hæreticis. Sed illud eſt quod nunc debemus aduertere,

Libri Origenis ſcatent erroribus. *etſi non ipſum, libros tamē ſub nomine ſuo editos, magnæ eſſe tentationi*: qui multis blaſphemiarum vulneribus ſcatentes, non vt alieni, ſed quaſi ſui leguntur & amantur: vt etſi in errore concipiendo Origenis non fuit ſenſus, ad errorem tamen perſuadendum Origenis auctoritas valere videatur.

ANALYSIS CAP. XIII.

Redit ab excurſu ad propoſitum, pergitque exemplis

emplis docere, quantæ tentationi Christianis magnorum virorum in Ecclesia errores esse consueuerint. Supra exempla tria commemorauit, Nestorii, Photini, Apollinaris. Nunc addit quartum *Origenis Adamantii*, cuius primum virtutes, & existimationem apud Christianos & Paganos: deinde verò horribilem superbiæ lapsum commemorat, vt non sine causa nobis prisca & complanata religionis Catholicæ via, contemptis omnibus vel speciosissimis innouationibus, sancta tutaque videri debeat. Est autem natus *Origenes* Anno Christi 189. maioribus propemodum omnibus Christianis, patre Leonyde martyre, de quo aliquid Annotat. Anno ætatis 17. vt sibi & quinque fratribus orbis victum quæreret, Grammaticam docere cœpit: post Catechista Alexandrinus, & non multò post Presbyter factus fuit, peruenturus ad Episcopatum, nisi seipsum castrasset. De doctrina & scriptis Origenis satis multa Vincentius. Veterum sententia fuit, *Vbi benè Origenes, nemo melius: Vbi malè, nemo peius.* Libro 8. contra Celsum gloriatur ipse: *Omne hæreseon genus se nosse: seque in iis exercitatum esse.* De Origene & Origenianis, hæc Augustinus ex Epiphanio hæresi 43. *Origeniani*, inquit, *alii qui & Adamantii tractatoris illius sectatores, qui & mortuorum resurrectionem negant: Christum autem & Spiritum sanctum creaturam dicunt: paradisum autem & cœlos & alia non credunt esse secundum literam, sed in allegoria. Hæc quidem de Origene Epiphanius refert: sed defensores eius dicunt, Origenem Patrem & Filium & spiritum sanctum vnius eius, denique substantia docuisse: neque resurrectionē repulisse mortuorum: sed qui eius plura legerunt, contradicunt. Sunt & alia huius Origenis dogmata quæ Catholica Ecclesia omnino non recepit: In quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab eius defensoribus excusari, maximè de purgatione & liberatione: ac rursus post longum tempus ad eadem mala reuolutione rationalis vniuersæ creaturæ. Quis enim Catholicus Christianus vel doctus* *Origenis hæresis.*

vel

vel indoctus non vehementer exhorreat eam quam dicit purgationem malorũ, id est etiam eos qui hanc vitã in flagitiis & facinoribus & sacrilegiis atq; impietatibus quãlibet maximus finierunt: ipsum etiã postremò Diabolũ atq; angelos eius, quãuis post longissima tẽpora purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui, & rursus post lõgissima tempora omnes qui liberati sunt, ad haec mala denuò relabi & reuerti, & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creaturae semper fuisse, semper fore? de qua vanissima impietate aduersus Philosophos, à quibus ista didicit Origenes, in libris de ciuitate Dei diligentissimè disputauit. Dicit praeterea ipse Origenes, quod filius Dei sanctis hominibus comparatus, veritas sit: patri collatus, mendacium: & quantum distant Apostoli Christo, tantum Filius Patri. Vnde nec orandus est Filius cum Patre, quia non est author indulgendarum petitionum, sed supplicator.

ANNOT. COST. IN CAP. XXIII.

Magna pudicitia] Tradunt Originem dum Alexandriæ adolescens Catechistam ageret, castitatis amore seipsum exsecuisse, quo liberè citraq; pudicitiæ periculum Euangelicam Philosophiam doceret. Quam rem tanquam Christianæ doctrinæ contrariam post illi obiecit *Demetrius*, tunc Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, quem felices Origenis successus clanculò mordebant.

Origenis castratio.

Qui primum in ea domo natus, quae est illustrata martyrio] Filius enim fuit Leonydis martyris, qui sub Seuero Principe omnifaria crudelitate in Christianos sæuiente, deciso capite, martyris lauream est adeptus. Deniq; & ipsum quoq; etiamnum puerum, tanto martyrii amore arsiss ferunt, vt vltrò quoque ad iudicis tribunalia, vbi martyres torquebantur, fuisset conuolaturus, ni à matre fuisset detentus. Cùm vero ad Principis fiscum patris bona essent relata, tanta rerum familiarium premebatur inopia, vt lucubrationes suas interdum diuendere sit

Origenes amore martyrii flagrat.

re sit coactus, quò haberet, vnde vel tenuiter viuere posset: Cæterum quòd *Vincentius* frequentius hunc ob dominicæ confessionis nomen addictum fuisse scribit, eius rei meminit *Eusebius* Ecclesiasticæ historiæ libro sexto: dicens *eum in Deciana persequutione post toleratas contumelias minas, carceres, vincula, catenas, preclarum constantia ac fidei sua testimonium prabuisse.* Proinde quid de Origenico ingenio vel doctrina sentiendum sit, vel vnicum D. *Hieronymi* testimonium, quod hic adscribam, abunde docebit. Igitur in Epistola ad Pammachiū & Oceanum, cuius principium, Schedulas quas misistis *Vult*, inquit, *aliquis laudare Origenem? Laudet & laudo. Magnus vir ab infantia, & verè martyris filius. Alexandria Ecclesiasticam scholam tenuit, succedens eruditissimo Viro Clementi Presbytero. Voluptates in tantum fugit, vt Zelo Dei, sed non secundū scientiam ferro truncaret genitalia. [Calcauit auaritiā scripturas memoriter tenuit, & in studio explanationis earū diebus desudauit ac noctibus. Mille & eo amplius tractatus, quos in Ecclesia locutus est, edidit. Innumerabiles praterea cōmentarios, quos ipse appellauit Tomos: & quos nunc pratereo, ne videar operis eius indicē texere. Quis nostrū potest tāta legere, quāta ille conscripsit.* Hactenus ille. *Hieron. de Origene.*

Cuius scientiæ *cum Graci non crederent, Hebraa quoq; elaborata* sunt.] Mihi hæc lectio nō vsq; quaq; arridet. Quid si legamus, *cuius scientia cum Gracia cederet, Hebraa quoq; elaborata sunt.* Id quippe author dicere videtur, quod quum Origenes ingenii sui magnitudine & indefatigatis studii laboribus ad Græcarum disciplinarum fastigium pertigisset, Hebraicas quoq; literas discere voluerit. *Tantū* ait Hieronymus, *in scripturis diuinis habuit studii, vt etiam Hebraam linguā contra atatis gentisq; sua naturā edisceret.* Cæterum si hac nostra diuinatione huius rei scopū nō attigimus, (quis enim vulnera omnia citra exemplaris subsidium sanare possit) adferat aliquis meliora, & lucrū computabimus: vt si quid hic supputationis hæreat, persanetur omnino. *Lectio corrigitur.*

Nemo

Nemo mortalium plura] Si exstaret ea epistola quã *D. Hieronymus* ad *Paulam Eustochii* matrem conscripsit, in qua quicquid ab Origenico ingenio elaboratum est, diligenter contexuit, conferens eum *M. Varroni*, homini vt omnium doctissimo, ita polygrapho quoque: non esset cur hac de re turpiter contendere deberemus, vt pleriq; faciunt; qui de iis rebus disserere volunt, quas nesciunt.

Sed dicet aliquis corruptos esse Origenis libros] Hac de re D. Hieronym. libet hic proferre sententiam. Sic enim ille in Epistola ad Pammachium & Oceanum scribit. *Illud vero quod asserunt a quibusdam hæreticis & maleuolis hominibus libros esse violatos, quàm ineptum sit, hinc probari potest: Quis prudentior, doctior, eloquentior Eusebio & Didymo assertoribus Origenis, inueniri potest? Quorum alter sex voluminibus apologiarum, ita eum vt se sensisse confirmat: alter sic eius errores nititur excusare, vt tamen illius esse fateatur: non scriptum negans, sed sensum scribentis edisserens. Aliud est si quæ ab hæreticis addita sunt, Didymus quasi bene dicta defendat. Solus inuentus est Origenes, cuius scripta in toto orbe falsarentur: & quasi ad Mithridatis literas omnis veritas vno die de voluminibus illius raderetur. Si vnus violatus est liber, num vniuersa eius opera quæ diuersis locis & temporibus edidit, simul corrumpi potuerunt? Ipse Origenes in Epistola quam scribit ad Fabianum Romanæ Vrbis Episcopum, pœnitentiam agit, cur talia scripserit, & causas temeritatis in Ambrosium refert, quòd secreto edita, in publicum protulerit.* Hæc ille. Verumne quis fallatur, Ambrosius de quo hic agit, Alexandrinus erat, vir vt nobilis, ita admodum diues. Hic quoniam Origenis industria à Marcionis errore ad Catholicam sedem reuocatus erat, ingenti studio (vt par erat) ipsum complectebatur. Commentanti enim membranas, notarios, ac ea, quæ huic rei necessaria erant abunde suppeditabat: nihil non faciens quo fœlix illud ingenium ad scribendum prouocaret. Hunc ergo quum haberet

Origenis libri an corrupti.

Ergo-

Ergodioctin, hoc eſt, operis penſum exigentem, omne quod ad ſe ſcribebatur, ceu proprium is ſibi vendicans, amicis paſſim citra delectum legendum offerebat. Et hoc eſt quod Origenes ſupra conqueritur.

CAPVT XXIV.

Quòd & Tertullianus mutatâ ſententiâ magna fuerit in Eccleſia tentatio.

SEd & *Tertulliani* quoq; eadem ratio eſt. nam ſicut ille apud Græcos; ita hic apud *Latinos* noſtrorum omnium facilè *princeps* iudicandus eſt. Quid enim hoc viro doctius? quid in diuinis, atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philoſophiam, & cunctas Philoſophorum ſectas, auctores, adſertoreſque ſectarum, omneſque eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum, ac ſtudiorum varietatem, mira quadam mentis capacitate complexus eſt. Ingenio verò nonne tam graui ac vehementi excelluit, vt nihil ſibi penè ad expugnandum propoſuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit? Iam porrò orationis ſuæ laudes quis exequi valeat? Quæ tanta, neſcio qua, rationum neceſſitate conſerta eſt, vt ad conſenſum ſui quos ſuadere non potuerit, impellat: cuius *quot penè verba, tot ſententiæ* ſunt: *quot ſenſus, tot victoriæ*. Sciunt hoc Marciones, *Tertulliani laudes.*

Oo Apel-

Apelles, Praxeę, Hermogenes, Iudæi, Gentiles, Gnoſtici, cæteriq́ue; quorum ille blaſphemias multis ac magnis voluminũ ſuorũ molibus, velut quibuſdã fulminibus euertit. Et tamen hic quoq; poſt hæc omnia, hic, inquã, Tertullianus, Catholici dogmatis, id eſt vniuerſalis ac vetuſtæ fidei parum tenax; ac diſertior multò, quàm felicior, mutata deinceps ſententia fecit ad extremum, quod de eo beatus confeſſor *Hilarius* quodam loco ſcribit: *Sequenti*, inquit, *errore detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem*. Et fuit ipſe quoque in Eccleſia magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantum commemorabo, quod contra Moſi præceptum exurgentes in Eccleſia nouellas *Montani* furias, & inſana illa inſanarum mulierum nouitii dogmatis ſomnia, veras prophetias adſeuerando meruit; vt de ſe quoque & ſcripturis ſuis diceretur: *Si ſurrexerit in medio tui Propheta*. Et mox. *Non audies verba Prophetæ illius*. Quare? *Quia*, inquit, *tentat vos Dominus Deus veſter, vtrum diligatis eum, an non*. His igitur tot ac tantis, cæteriſque eiuſmodi Eccleſiaſticorum exemplorum molibus euidenter aduertere, & ſecundum Deuteronomii leges luce clarius intelligere debemus; quòd ſi quando aliquis eccleſiaſticus Magiſter à fide aberrauerit, ad tentationem id noſtram fieri prouidentia diuina patiatur: vtrum diligamus DEVM an non

Tertulliani lapſus.

In commentariis in Matth. cap. 5.

Tertull. Montaniſta.

Concluſio.

an non in toto corde , & in tota anima nostra.

ANALYSIS CAP. XXIV.

Quintum exemplum institutæ commemorationis, ex defectione *Tertulliani* doctissimi Latinorum scriptoris, ad insanū Montani dogma. De quo quia pro necessitate in principio præscriptionum nostrarum diximus, eò lectorem remittimus. Augustinus de eo ad Quoduultdeum in hanc sententiam. hæresi 86. *Tertullianista*, inquit, *à Tertulliano, cuius multa leguntur opuscula eloquentissimè scripta, &c. ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in Vrbe Carthaginensi: me autem ibi posito ante aliquot annos, quod etiam te meminisse arbitror, omni ex parte consumpti sunt. Paucissimi enim qui remanserunt, in Catholicam transierunt, suamque basilicam, quæ nunc etiam notissima est, Catholicæ tradiderunt. Tertullianus ergo sicut scripta eius indicant, animam dicit immortalem quidem, sed eam (effigiatum) corpus esse contendit, neque hanc tantum, sed ipsum etiam Deum corporeum esse dicit, licet non effigiatum: nec tamen hinc hæreticus creditur factus. Posset enim quoquo modo putari ipsam naturam substantiamque diuinam corpus vocare; non tale corpus cuius partes aliæ maiores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ propriè dicimus corpora, quamuis de anima tale aliquid sentiat; sed potuit, vt dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas (non est corporis vel animæ qualitas) sed vbique totus, & per locorum spatia nulla partitus: in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet. Non ergo ideò est Tertullianus factus hæreticus, Sed quia transiens ad Cataphryges quos antè destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias contra Apostolicā doctrinā tanquam stupra dānare, & post modū etiā ab ipsis diuisus, sua conuenti-*

August. de Tertulliano.

1. Timoth. 4. v. 3.

uenticula propagauit. Dicit ſanè ipſe animas hominum peßimas poſt mortem in Dæmones verti, ſtatum autem animæ credit per traducem propagari.

ANNOT. COST. IN CAP. XXIV.

Tertullia-ni laus.

Sed & Tertulliani eadem ratio eſt] Tertullianum ſcribit Hieronymus presbyterum fuiſſe Prouinciæ Africanæ, ciuem verò Carthaginenſem. De cuius omnifaria eruditione & ingenii acumine multa ſunt in veterum monumentis. D. Cyprianus tanti hunc fecit, tamq; habuit carum, vt ne diem quidem ſine eius lectione traduceret, ſolitus notario dicere: *Da magiſtrum*: Tertullianum ſignans. Neq; verò minoris hunc D. Hieronymus fecit, qui paſſim data occaſione eius laudes eloquitur. In epiſtola ad Magnum oratorem: *Tertulliano,* inquit, *quid acutius? quid eruditius? Deniq; in Apologetico libro, quem aduerſus Gentes conſcripſit, cunctam ſeculi diſciplinam contineri* dixit. Quod proculdubio verum eſt: quum vir acris & ardentis ingenii, non ferens Gentilium inſolentiam atque ſæuitiam qua in Chriſtianos ferebantur, omnes ingenii ſui neruos in horum defenſionem intendit: Incomparabiles interim eruditionis ac eloquentiæ ſuæ opes iſthic oſtentans. Verum (quod dolendum) hoc tam præclarum doctrinæ lumē, quum multos ex errorum tenebris ad veram lucem reuocaſſet, ipſe poſtea, neſcio quo malo genio afflatus, in fœdos ac pudendos errores prolapſus eſt: ſecutus inprimis *Montani* impoſtoris vecordiam, qui ſe *Paracletum* à Patre miſſum eſſe fingebat, denique & *Millenariorum*, quos Græci *Chiliaſtas* vocant fauit errori, quibus perſuaſum erat, facta communi reſurrectione, nos in hac terra veluti in campis Elyſiis ſuauiter & lautè annos mille victuros. Proinde caſtitatis tantùs erat amator, vt *Cataphrygarum* ſecutus inſaniam, ſecundas nuptias damnaret. Id quod ſubinde aliâs, tum verò ex profeſſo in opere ſuo de Monogamia facit.

Tertull. lapſus.

Gnoſtici.

Gnoſtici] Tam ſuperbo titulo hæc hæretica lues populo

populo se venditabat: ab exacta nimirum rerum omnium (vt ipsi volebant) scientia, quam se habere iactitabant. Gnostici enim, cognoscêtes siue scientes sunt περὶ γνώσεως. Horum alii Basilidem, alii Valentinianum principem fuisse volunt. Sunt qui à Gnosticis *Ophitarum* sectam confictam esse dicant: quorum hæc erat opinio, vt serpentem illum, cuius impostura primi parentes decepti sunt Christum fuisse dicerent, tanquam scientiæ boni & mali auctorem. Epiphanius horum tam spurca & abominanda opera fuisse scribit, vt castis auribus nefas sit ea ingerere.

Et insana illa insanarum mulierum nouitii dogmatis somnia] De Priscilla & Maximilla dicit: quæ Montani ludibria secutæ, quum essent opulentæ ac nobiles fœminæ, & Propheticum spiritum se habere mentirentur, multas Ecclesias primum auro, deinde nefandis dogmatibus corruperunt. Quod autẽ insanas dicit, alludit ad vates phanaticos & lymphatos: scribunt veteres, has mulieres cum Præceptore suo Montano *suspendio* interiisse. *Priscilla et Maximilla.*

CAPVT XXV.

Tertia libri pars de officio hominis verè Catholici, ebullientibus hæresibus constanter seruantis semel acceptum depositum fidei.

QVæ cùm ita sint, ille est verus, & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui diuinæ religioni, qui Catholicæ fidei nihil præponit: non hominis cuiuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam: sed hæc cuncta despiciens, & in fide fixus, & stabilis *Officium veri Catholici.*

permanens, quicquid vniuersaliter antiquitus ecclesiam Catholicam tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum credendumq; decernit: quicquid verò ab aliquo deinceps vno, præter omnes, vel contra omnes Sanctos nouum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligat pertinere.

1 Cor. 11.

Hæreses cur esse sinantur.

Tum præcipuè beati Apostoli Pauli eruditus eloquiis: hoc est enim quod in *prima ad Corinth.* scribit: *Oportet*, inquit, *& hæreses esse, vt probati manifesti fiant in vobis.* Ac si diceret: ob hoc hæreseon non statim diuinitus eradicantur authores, vt probati manifesti fiant, id est, vnusquisq; quam tenax & fidelis, & fixus Catholicæ fidei sit amator, appareat.

Frumentū palea.

Et reuerà *cùm quæque nouitas ebullit, statim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas palearum*: tunc sine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur. Namque alii ilico prorsus auolant, alii verò tantummodò excussi, & perire metuunt, & redire erubescunt, *saucii, semineces, semiuiui*:

Tepidi, & semiuiui.

quippè qui tantam veneni hauserint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur: nec mori cogat, nec viuere sinat. Heu miseranda conditio, quantis illi curarum æstibus, quantis turbinibus exagitantur? Nunc etenim qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur: nunc in semetipsos reuersi, tanquam contrarii fluctus, reliduntur: nunc teme-

temeraria præſumptione ea, quæ incerta videntur, approbant: nunc *irrationali metu etiam quæ certa ſunt expaueſcunt*: incerti quâ eant, quâ redeant: quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubii & mali pendu'i cordis afflictio, diuinæ erga ſe miſerationis eſt medicina, ſi ſapiant. Idcircò etenim extra tutiſſimum Catholicæ fidei portum diuerſis cogitationum quatiuntur, verberantur, ac penè necantur procellis, vt excuſſa in altum elatæ mentis vela deponant, quæ malè nouitatum ventis expanderant: ſeſeque intra fidiſſimam ſtationem placidæ ac bonæ matris reducant & teneant, atque amaros illos turbulentoſque errorum fluctus primitus reuomant, vt poſſint deinceps viuæ & ſalientis aquæ fluenta potare. Dediſcant benè, quod didicerunt non benè: & ex toto Eccleſiæ dogmate quod intellectu capi poteſt, capiant; quòd non poteſt, credant.

ANALYSIS CAP. XXV.

Hactenus hæreticorũ in nouis dogmatibus proponendis conatum vidimus. Nunc ex oppoſito verè Catholici hominis officiũ deſcribit Vincentius, eũq; repudiatis omnibus germinibus nouis priſcæ veritatis radici firmiter inhærere, & Catholicorum vetuſtate roboratorũ decretorũ tenacẽ eſſe iubet. *Deinde* cauſam tumultuantium hæreſeon reddit ex Apoſtolo Paulo, *Vt qui probati ſunt, manifeſtati fiat in nobis*: id eſt, vt frumenta in area dominica à paleis leuiter auolantibus diſtinguantur. Qua de re vide

supra *Tertullia*.cap.1.& 2. & S. Cyprianum de vnitate Eccles. cap. 7.

Paleas autem duum generum distinguit, leuissimas, quæ quam primum moto ventulo excutiuntur, & leuiores, quæ etsi non tam longè auolant, aliquò vsque tamen á firmitudine fidei propelluntur, & meticulosè omnia fidei capita suspecta habent. Quales non dubito, multos esse vel in finibus agrorum Catholicorum, vel in Insulis hæreticorum, flatu pestiferæ prædicationis non quidem planè collapsos, sed tamen nutantes & fluctuantes, & vtra parte figant anchoram, trepidanter consultantes.

ANNOT. COST. IN CAP. XXV.

Statim cernitur frumentorum grauitas, & leuitas palearum] Allusio est ad Euangelicam sententiam, quæ est Matth. cap. 3. *cuius Ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suã*, &c. Frumenti nomine constantes in fide Christi, palearum verò, leuiculos & qui omni vento doctrinæ mouentur, signans. Non absimili phrasi vsus est Tertullianus libr. de fuga in persecutione. *Quis est*, inquiens, *exitus persecutionis, quis effectus alius, nisi probatio & reprobatio fidei, qua suos Vtique Dominus examinauit: Hoc nomen iudicium est persecutio, per quam quis aut probatus aut reprobatus iudicatur. Porrò iudicium soli Deo competit. Hæc palea illa, qua & nunc dominicam aream purgat, Ecclesiam scilicet, confusum aceruum fidelium euentilans, & discernens frumentum martyrum, & paleas nugatorum.* Cyprianus quoque libro de singularitate clericorum: *Nemo æstimet bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit Ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subruit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualida arbores turbinis incursione euertuntur.* Tum alibi: *Plantationem non plantatam à Deo patre Videmus non frumenti stabilitate solidari: sed tanquam paleas dissipantis inimici spiritu Ventilari.*

Vide supra p. 210.

CA-

CAPVT XXVI.

Explicat illud Pauli: ô Timothee, depositum custodi deuitans prophanas vocum nouitates.

QVæ cùm ita sint, iterum atque iterum eadem mecum reuoluens & reputans, mirari satis nequeo tantam quorundam hominum vesaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem, tantã postremò errandi libidinem, vt contenti non sint tradita semel & accepta antiquitus credendi regula, sed noua ac noua in diem quærant, semperque aliquid *gestiant religioni addere, mutare, detrahere.* Quasi non cœleste dogma sit, quod semel reuelatum esse sufficiat, sed terrena institutio, quæ aliter perfici, nisi assidua emendatione, imò potius reprehensione non possit: cùm diuina clament oracula: *Ne transferas terminos quos posuerunt patres tui?* Et: *super iudicantem ne iudices.* Et: *Scindentem sepem, mordebit eum serpens.* Et illud Apostolicum, quo omnes omnium hæreseon sceleratæ nouitates, velut quodã spiritali gladio sæpe truncatæ semperque truncandæ sunt: *ô Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quã quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Et post hæc inueniuntur aliqui tanta inueteratæ frontis duritia, tanta impudentiæ incude, tam adamantinæ pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cœlestium

Prou. 22. *Eccles. 8.* *Eccles. 10.* *1. Tim. 6.*

molibus non ſuccumbant? tantis ponderibus non fatiſcant? tantis malleis non conquaſſentur? tantis poſtremò fulminibus non conterantur? *Deuita*, inquit, *prophanas vocum nouitates*: Non dixit antiquitates, non dixit vetuſtates, imò planè quid è contrario ſequeretur, oſtendit. Nam ſi vitanda eſt *nouitas*, tenenda eſt *antiquitas*: & ſi prophana eſt *nouitas*, ſacrata eſt *vetuſtas*: *Et oppoſitiones*, inquit, *falſi nominis ſcientiæ*. Verè falſum nomen apud doctrinas hæreticorum, vt ignorantia ſcientiæ, & caligo ſerenitatis, & tenebræ luminis appellatione fucentur. *Quam quidam*, inquit, *promittentes circa fidem exciderunt*. Quid promittentes exciderunt? niſi nouam neſcio quam, ignoratamque doctrinam? Audias etenim quoſdam ipſorum dicere: *venite, ô inſipientes, & miſeri, qui vulgò Catholici vocitamini, & diſcite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis antè ſeculis latuit, nuper verò reuelata & oſtenſa eſt: ſed diſcite furtim atq; ſecretim, delectabit enim vos.* Et item: cum didiceritis, latenter docete: ne mundus audiat, nec Eccleſia ſciat: paucis namque conceſſum eſt tanti myſterii capere ſecretum. Nonne hæc verba ſunt illius meretricis, quæ apud *Salomonis Prouerbia* vocat ad ſe prætereuntes viam, qui dirigunt iter ſuum? *Qui eſt*, inquit, *veſtrum inſipientiſſimus, diuertat ad me.* Inopes autem ſenſu exhortatur, dicens

Nouitas.

Elegantiſſima Meſis.

Prouerb. 9.

cens: *Panes occultos libenter attingite, & aquam dulcem furtim bibite.* Quid deinde? *At ille* inquit, *nescit quomodo terrigenæ apud eam pereant.* Qui sunt isti terrigenæ? Exponat Apostolus, *Qui circa fidem*, inquit, *exciderunt*.

ANALYSIS CAP. XXVI.

Aetiologia superioris admonitionis, de non recipiendis Catholico pectori prophanis vocum nouitatibus: Primum à genere doctrinæ, quæ diuina ac cœlestis est, ac semel reuelata, humana emendatione nihil indiget. Deinde ex quatuor scripturæ locis: Præsertim vero illo 1. Tim. 6. *O Timothee depositum custodi*: quod eleganter per singulas fere voculas & commata interpretatur: Deinde elegantissima Mimesi hæreticarum pollicitationum illustrat. Vbi ad viuum quasi faciem nostrorum Pseudeuangelicorum expressit, quibus hæc solennis Cantilena: I*am aliquot seculis euanuisse puram verbi prædicationem.* Caluin. lib. 4. instit. cap. 1. §. 11. Nec ante Lutherum & Zuinglium vllam scintillam superfuisse diuinæ lucis, *adeoque Ecclesiam totam corruisse.* Luther. lib. contra Papatum. Caluinus lib. 4. instit. cap. 10, §. 5. Cuius & hæc scelerata vox est, in responsio. ad Sadol. pag. 185. & 176. *Palam est conspicuumq́, eruditis simul ac indoctis, prostratum fuisse Christi regnum, cum erectus est Pontificis Romani principatus.* Item *sublata solius fidei iustificantis cognitione, & Christi gloria extincta est, & abolita religio, & Ecclesia destructa, & spes salutis penitus euersa.* Sic Apologia Ecclesiæ Anglicanæ cap. 3. & f. 4. 5. 7. Impudenter asserit, *iam olim totam Ecclesiam corruisse, obturatas fuisse omnes venas aquæ viuæ, erepta populo Christiano sacram communionem, verbum Dei, vnde omnis cõsolatio petenda erat, verum cultũ numinis, rectũ vsum Sacramẽtorũ: obturatos fuisse omnes fontes verbi Dei.* *Hæretici dicunt Ecclesiam iam dudum collapsam.*

diuinam

diuinam lucem prorsus extinctam sic vt nulla eius scintilla superesset, atque ita vixisse populum qui vocabatur Christianus sine vlla consolatione, sine luce, sine Euangelio. Sic Bernhardinus Ochinus præfat. dial. 26. *Considerans* inquit, *quemadmodum Christus Ecclesiam suam potentia, sapientia, bonitate sua fundauerit, extruxerit, stabiliuerit, suoque & sanguine lauerit & spiritu ditauerit: eandemque rursus funditus euersam videns, non potui sane non mirari, ac tantæ ruinæ causam scire cupiens, comperi fuisse Papas.*

Confutatio ruinæ Ecclesiæ. Et præclarum Euangelium: de quo dignam sententiam Augustinus fert, supra de vnitate Ecclesiæ cap. 12 & 13. *Quisquis aliud Euangelizauerit, anathema sit. Aliud autem Euangelizat qui perisse dicit de cætero mundo Ecclesiam & in parte Donati in sola Africa* (vel in parte Lutheri & Caluini in vno Europæ angulo) *remansisse dicit. Ergo anathema sit.* Quin ipsi quoque hanc tam diram blasphemiam damnant, cum recte Theologicèque scribunt: *Vna est Ecclesia Dei omnibus seculis & vbique locorum dispersa, vt Christus docet. Idem etiam docet duraturam suam Ecclesiam in hoc mundo, vsque ad suum aduentum, quantumuis sæuiat Diabolus & mundus.* Matth. 7. *Non cecidit, fundata enim erat supra Petram. Et* Matth. 16. *Portæ inferi aduersus eam non præualebunt: adeo vt Ecclesiam perpetuam esse articulus fidei sit, de quo nulli Christianorum ambigere licet.* Centuriatores Magdenburgenses cent. 1. lib. 1. cap. 4. pag. 175. & lib. 2. cap. 4. pag. 383.

Vincentius respondet ex Prouerb. 9. Meretriciam hanc vocem esse terrigenas occultæ aquæ bibitione in perniciem pellicentem.

ANNOTAT. COST. IN CAP. XXVI.

Qui est vestrum insipientissimus, diuertat ad me] Versionem septuaginta interpretum sequitur. Sic enim illi habent: ὅς ἐςιν ὑμῶν ἀφρονέςατος, ἐκκλινάτω πρός με. Vulgata autē editio. *Quis est*

eſt paruulus? declinet ad me. Et mox: *Inopes autem ſenſu exhortatur, dicens*, LXX. καὶ τοῖς ἐνδεέσι φρενῶν. Nos, *& vecordi locuta eſt.* Deinde *aquam dulcem furtim bibite.* Hoc modo & D. Ambroſius legit, lib. de Cain & Abel 1. cap. 14. LXX καὶ ὕδατος κλοπῆς γλυκεροῦ πίετε. Vulgaris lectio, *aquæ furtiuæ dulciores ſunt.* At ille inquit, neſcit quomodo terrigenæ apud eam pereant. LXX. ὁ δὲ οὐκ οἶδεν, ὅτι γηγενεῖς παρ' αὐτῇ ὄλλυνται. Nos: *& ignorauit, quod ibi ſint gigantes.*

CAPVT XXVII.

Eiuſdem cum ſuperiore Argumenti.

SEd operæ precium eſt totum ipſum Apoſtolorum capitulum diligentius pertractare. *O Timothee*, inquit, *depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates.* O, ὦ] exclamatio iſta, & præſcientiæ eſt pariter & charitatis: præuidebat enim futuros, quos etiam prædolebat, errores. Quis eſt hodie *Timotheus?* niſi vel vniuerſa Eccleſia, vel ſpecialiter totum corpus *Præpoſitorum*, qui integram diuini cultus ſcientiam vel habere ipſi debent, vel aliis infundere. *Timothee.* Quid eſt *depoſitum cuſtodi?* Cuſtodi inquit, propter fures, propter inimicos: ne dormientibus hominibus ſuper ſeminent zizania ſuper illud tritici bonum ſemen, quod ſeminauerat filius hominis in agro ſuo. *Cuſtodi.* *Depoſitum*, inquit, *cuſtodi.* Quid eſt depoſitum? id eſt, quod tibi creditum eſt, *Depoſitum.*

non

non quod à te inuentum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinæ: non vsurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes esse, sed custos: non institutor, sed sectator, non ducens, sed sequens. Depositum, inquit, custodi: *Catholicæ fidei* talentum inuiolatũ illibatumq; conserua. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia subiicias: nolo pro auro aut impudenter plũbum, aut fraudulenter æramenta supponas: nolo auri speciem, sed naturam planè. O Timothee, ô Sacerdos, ô Tractator, ô Doctor, si te diuinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrinâ, esto spiritalis tabernaculi *Beseleel*, pretiosas diuini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod anteà obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicisti ita doce, vt cum dicas nouè, non dicas noua.

Allusio ad Exodi 36.

ANALYSIS CAP. XXVII.

Perstat in enodando verbotim Pauli dicto, atque ex singulis vocabulis argumentum elicit vetustatis, reprehensionem verò nouitatis. Vbi in primis

primis vrget depositum veræ Apostolicæ doctrinæ, quam nullius commenti noui suppositione permutari, sed artificiosa tractatione illustrari iubet, vt non noua audiant populi, sed vetera rectè intelligant.

ANNOTAT. COST. IN CAP. XXVII.

Esto spiritalis tabernaculi Beseleel] Alludit ad vetus Iudaicæ gentis tabernaculum, quod Beseleel diuina sapientia præditus summo artificio exstruxit. Locus ex Exodi 31. cap. *Ecce vocaui* inquit, *ex nomine* Beseleel, *filium Vri, filium Hur, de tribu* Iuda, *& impleui eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia & scientia, in omni opere, ad excogitandum quicquid fabrefieri potest ex auro, argento, & ære, & marmore & gemmis, & diuersitate lignorum.* Cæterum spiritalis tabernaculi nomenclatura Ecclesiam Christi, cuius illud typus fuit, significat, quam quisquis doctoris aut pastoris munere fungitur, in morem illius Beseleelis, omni venustate atque elegantia spiritali expolire debet.

CAPVT XXVIII.

Occupatio: quomodo in Ecclesia, quæ depositum custodit, profectus habeatur religionis.

SEd forsitan dicit aliquis: *Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis?* Habeatur planè, & maximus. Nā quis ille est tam inuidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen, vt verè *profectus sit ille fidei, non permutatio.* Si quidē ad profectū pertinet, *Profectus. Permutatio.*

vt

vt in ſemetipſa vnaquæque res amplificetur: ad permutationem verò, vt aliquid ex alio in aliud tranſuertatur. Creſcat igitur oportet, & multum vehementerque proficiat, tam ſingulorum, quàm omnium, tam vnius hominis, quàm totius Eccleſiæ, ætatum, ac ſeculorum gradibus intelligentia, ſcientia, ſapientia: ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eademque ſententia.

ANALYSIS CAP. XXVIII.

Exceptio contra ſuperiora. Dicis iiſdem ſemper inhærendum, neque noua appetenda. Nullus ne igitur Chriſtianæ fidei profectus haberi poteſt. Et eâdem ſemper chorda oberrabimus, quod vitioſorum muſicorum eſt?

Reſpondet, Immò eſt profectus religionis, non permutatione fidei, ſed incremento intelligentiæ, cum capita ſemel accepta indies magis magiſque expoliuntur, & animis diſcentium clarius proponuntur. Quod ſine vlla nouitatis admixtione fieri poteſt: quemadmodum Citharædus iiſdem fidibus nunc peius, nunc melius ſuauiuſque ludit.

CAPVT XIXX.

Illuſtrat præcedentia ſimilitudine corporis humani: quod idem numero ex paruo creſcit in magnum.

Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum proceſſu numeros ſuos euoluant, & explicent, eadem tamen

tamen quæ erant, permanent. Multum intereſt inter pueritiæ florem, & ſenectutis maturitatem: ſed iidem tamen ipſi fiunt ſenes, qui fuerant adoleſcentes: vt quamuis vnius eiusdemque hominis ſtatus habitusque mutetur, vna tamen nihilominus eademque natura, vna eademque perſona ſit. Parua lactantium membra, magna iuuenum: eadem ipſa ſunt tamen. Quot paruulorum artus; tot virorum: & ſi qua illa ſunt, quæ æui maturioris ætate pariuntur, iam in ſeminis ratione proſerta: vt nihil nouum poſteà proferatur in ſenibus, quod non in pueris iam antea latitauerit. Vnde non dubium eſt, hanc eſſe legitimam & rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum creſcendi ordinem: ſi eas ſemper in grandioribus partes ac formas numerus detexat ætatis, quas in paruulis creatoris ſapientia præformauerat. *Quod ſi humana ſpecies in aliquam deinceps non ſui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero vel detrahatur, neceſſe eſt vt totum corpus vel intercidat, vel prodigioſum fiat, vel certe debilitetur.* Ita etiam Chriſtianę religionis dogma ſequatur has decet profectuũ leges: vt annis ſcilicet cõſolidetur, dilatetur tẽpore, ſublimetur ætate: incorruptum tamen, illibatumque permaneat, & vniuerſis partium ſuarum menſuris, cunctisque quaſi membris ac ſenſibus

propriis plenum atque perfectũ sit: quod nihil prætereà permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam sustinet definitionis varietatem.

ANAL. CAP. XXIX.

Similitudo satis elegans & perspicua est. Infantis, pueri, adolescentis, viri, senis, eadem membra sunt, sed temporis diuersitate minora & maiora, infirmiora & robustiora, non permutato corpore, sed augescente quantitate & qualitate. Idem incrementum fidei fit, permanente eodem subiecto, & iisdem religionis capitibus à maioribus traditis, sed accrescente Doctorum interpretatione, & fidelium inclarescente intelligentia.

CAPVT XXX.

Aliis similitudinibus superiora declarat.

Semen triticeæ fidei.

EXempli gratia: seuerunt Maiores nostri antiquitus in hac Ecclesiastica segete triticeæ fidei semina: iniquum valdè & incongruum est, vt nos eorum posteri pro germana veritate frumenti, subdititiũ zizaniæ eligamus errorem. Quin potius hoc rectum & consequens est, vt primis atque extremis sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeæ institutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus: vt cum aliquid ex illis seminum primodiis accessu temporis euoluatur, & nunc lætetur & excolatur: nihil tamen de germinis proprie-

proprietate mutetur: addatur licet forma, species, distinctio: eadem tamen cuiusque generis natura permaneat: Absit etenim, vt *Rosea illa Catholici sensus plantaria, in carduos spinasq; vertantur*. Absit, inquam, vt in isto spiritali paradyso, de *cynamomi* & *balsami* surculis, lolium repente atque aconita proueniant. Quodcunque igitur in hac Ecclesia, Dei agricultura fide patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur, & obseruetur: hoc idem floreat & maturescat, hoc idem proficiat & perficiatur. *Fas est etenim, vt prisca illa cœlestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur: sed nefas est, vt commutentur, nefas vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, distinctionem: sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.*

Rosea Catholici sensus plantaria.

Elegans sententia.

ANALYSIS CAP. XXX.

Duplex similitudo, eidem iterum instituto destinata, non mutandi fidem auitam, sed in ea proficiendi. Prior est à segetibus agrestibus, altera ab herbis & stirpibus hortensibus. Quarum vtrobique fructus semel acta radice & culmis germinibusq; ordine succrescentibus enati carpuntur, non zizania aut cardui aut lolium iuxta præter votum pullulans eligitur. Eadem lege in fidei iugeribus discriminandis vtamur, vt sementem auorum Catholicornm metamus, lappas & tribulos hæreticorum conteramus.

ANNOT. COST. IN CAP. XXX

Triticea fides.

Iniquum est, vt pro germana veritate frumenti subdititium Zizania eligamus errorem] Tacitè alludit ad Euangelicam parabolam, vbi Christus zizania inter triticum à Diabolo sata esse dicit. Per quam eleganter autem veram atque Germanam fidem, triticeam vocat: tum quod ea sterilis non sit, sed fructus vberrimos ex se producat, spem nimirum ac charitatem: tum etiam, quod gustu suauis, mirum in modum animam pascat: quod hæreticorum lolium, lappæ ac tribuli præstare non possunt. *Neq; enim* (vt Christi verbis vtar) *de spinis colligunt ficus, neq; de rubo vindemiant vuam.*

Lætare.

Et nunc lætetur & excolatur] Lætare pro fimum adhibere dicit, quod stercorare vocant hi, qui de re rustica scribunt. Vsus est ea voce *Palladius* lib. I. *In lætandis*, inquit, *arboribus, crates faciemus.* Inde est lætamen, fimus qui per agrum spargitur. Dictum verò sic volunt, quod segetes lætas, hoc est, pingues efficiat.

Quodcunq; igitur in hac Ecclesia Dei agricultura] Hoc modo Paulus populum ad fidem vocatum appellat in priori ad Corinth. Epist. cap. 3. *Dei*, inquiens, *agricultura estis*: Inde est quod alibi legimus. *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis eradicabitur.* Deus enim *Pater*, quemadmodum Christus apud Iohannem dicit, *agricola est.* Populum enim suum tanquam agrum colit, irrigans misericordiæ suæ imbre, & peccatorum & malorum affectionum spinas euellens, aperiens cor nostrum tanquam aratro diuini sermonis, plantans semina præceptorum, & fructum pietatis expectans.

CAP.

CAPVT XXXI.

Noua ratio superiorum, quod abdicata qualibet parte Catholici dogmatis maximum abolendæ religionis periculum consequatur.

NAm si semel admissa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere, quantum exscindendæ atque abolendæ religionis periculum consequatur. *Abdicata etenim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoq; atq; item alia, ac deinde alia & alia iã quasi ex more & licito abdicabuntur.* Porrò autem singulatim partib. repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi vt totum pariter repudietur? Sed & è contra, si nouitia veteribus, extranea domesticis & prophana sacratis admisceri cæperint, proserpat hic mos in vniuersum necesse est, vt nihil posthac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, sed sit ibidem deinceps *impiorum ac turpium errorum lupanar*, vbi erat ante castæ incorruptæ sacrarium veritatis. Sed auertat hoc à suorum mentibus nefas diuina pietas: sitque hic potius impiorum furor.

Notatu dignum.

Turpium errorum lupanar.

ANALYSIS CAP. XXXI

Studium sanctæ vetustatis mordicus retinendæ, nouo argumento probat, ab effectu semel admissæ nouitatis. Vbi enim humana peruersitas vnius

articuli vel abrogandi, vel leuiter immutandi licentiam sibi vsurpauit, tanquam in locum decliuem progressa quiescere non potest, donec idem in aliis tentauerit, adeoque pedetentim nouam religionem excuderit. Quod luce clarius in *Luthero* & eius coniuratis patuit, qui ab *Indulgentiarum* impugnatione exorsi, finem reformandi & abdicandi non fecerunt, donec hoc tam fœdum errorum lupanar in Germania nostra exstruxerunt.

CAPVT XXXII.

Iterum alia superiorum ratio, ab Ecclesiæ officio, & Conciliorum decretis.

CHristi verò Ecclesia, sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in iis vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua: non amittit sua, non vsurpat aliena: sed omni industria hoc vnum studet, vt vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus informata & inchoata; accuret & poliat: si qua iam expressa & enucleata, consolidet, firmet: si qua iam confirmata & definita, custodiat. Denique quid vnquam aliud *Conciliorum decretis* enisa est, nisi vt quod anteà simpliciter credebatur, hoc idem posteà diligentius crederetur? quod anteà lentius prædicabatur, hoc idem posteà instantius prædicaretur? quod anteà

Concilia.

securius

ſecurius colebatur, hoc idem poſteà ſollicitius excoleretur? Hoc, inquam, ſemper, neque quicquam præterea, hæreticorum nouitatibus excitata, *Conciliorum* ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi vt, quod prius à maioribus ſola traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris etiam per ſcripturæ chirographum conſignaret: magnam rerum ſummam paucis literis comprehendendo: & plerunque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei ſenſum, nouæ appellationis proprietate ſignando.

ANALYSIS CAP. XXXII.

Quæ in *priore huius capitis parte* dicuntur, vel vt concluſio ſuperiorum haberi poſſunt, vel nouæ rationis inſtar, ab officio ſcilicet Eccleſiæ, quæ cuſtos ſacrorum depoſitorum, non noua tradere aut recipere, ſed priſca & maiorum authoritate firmata dogmata, ſarta tecta conſeruare debet & ſolet.

Poſteriori parte euidens ratio ſumitur à ſacroſanctis *Conciliis*, quorum hoc officium, vt dubiis exorientibus irrefragabili decreto Spiritus ſancti mentem Eccleſiis exponant, fidemque illarum dirigant, vt quod ante vel neſciebatur, vel dubiè credebatur, nunc alternantibus cogitationibus ſuppreſſis, certus atque infallibilis aſſenſus amplectatur. Qua de re D. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. *Quæſtionis*, inquit *huius obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante ſchiſma Donati magnos viros & magna charitate præditos Patres Epiſcopos ita inter ſe compulit, ſalua pace, diſceptare, & fluctuare, vt diu Conciliorum* *Conciliorum finis vt terminent lites.*

in suis quibusq; regionibus diuersa statuta mutauerit, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur: Et cap. 18. *Hoc*, inquit, *de* Baptismo *piè credamus quod Vniuersa Ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodit.* In *qua tamen si aliud alii, & aliud alii, adhuc de ista quæstione salua pace, sentirent, donec Vniuersali* Concilio *Vnum aliquid eliquatum sincerumq; placuisset, humana infirmitatis errorem excusaret charitas Vnitatis.* Et lib. 2. cap. 4. Nec *nos*, inquit, *tale aliquid auderemus asserere, nisi Vniuersa Ecclesia concordissima auctoritate firmati, cui & ipse sine dubio cederet, si iam illo tempore quæstionis huius Veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium solidaretur.*

NB.

Itaque deploranda planè, atque execranda nouatorum nostrorum audacia est, qui tam contemptim de Conciliis sentiunt, vt scribere audeant, *neq; Papa, neq;* Conciliis, *neq; Vlli hominum commissum esse, Vt concludat, quid sit fides. Ideo debeo dicere* (inquit Lutherus artic. 115.) P*apa tu conclusisti cum* Conciliis, *nunc habeo ego iudicium, an acceptare queam nec ne.* Et Caluin. lib. 4. instit. cap. 9. § 8. *quoties*, inquit, *Concilii alicuius decretum profertur, expendi primum diligenter Velim, quo tempore habitum sit, qua de causa habitum & quo consilio, quales homines interfuerint: Deinde illud ipsum de quo agitur, ad scripturæ amussim examinari, idq; in eum modum, Vt Concilii definitio pondus suum habeat, sitq; instar praiudicii, neq; tamen examen quod dixi impediat.* Atque vt Diabolicum istorum hominum spiritum agnoscas, celeberrimo & omnium antiquissimo Concilio *Nicano*, non verentur hæ ranæ, & Cyniphes & muscæ morituræ, quemadmodum Vincentius supra cap. 14. hæreticos indigitauit, *fænum, stramen, ligna & stipulas obiicere.* Lutherus lib. dè Conciliis. Item *fædos errores*. Brentius in Apologia confes-

Hæretici quam scurriliter de Conciliis sentiant.

Concilium Nicanum.

confessionis VVirtenb. cap. de Conciliis, *cuius Patres fuerint Phanatici.* Caluinus lib. de vera Eccles. reform. inter opuscula p. 840. *Immò à Satana instigati.* Musculus in locis commun. cap. de Ministris pag. 193.

Heu viri, quæ vos Erinniis vexat? Cui Concilio ista obiicitis? Cuius semper sacrosancta apud omnes Christianos authoritas fuit: De quo S. Athanasius Epist. ad Episc. Africanos: *Verbum*, inquit, *Domini per Oecumenicam Nicaæ Synodum manet in æternum:* de quo S. Ambrosius Epist. 32. *Sequor*, inquit, *tractatum Nicæni Concilii, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare.* Denique de quo S. Hieronymus contra Lucifer. loquens de Athanasio, Hilario, Eusebio, aliisque sanctis Confessoribus: *Quomodo poterant*, inquit, *aduersus Synodum Nicænam facere, propter quam exilia sustinuerunt.* Quis igitur non perhorrescat pestilentissimorum hominum facinus, contra Deum & sanctos pro impiis Arrianis ipsa solidissima Christianæ fidei fundamenta tam temerè & efferatè conuellentium.

CAPVT XXXIII.

Redit ad Apostoli verba: Deuitans prophanas vocum nouitates.

SEd ad Apostolum redeamus: *O Timothee*, inquit, *depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates*: *deuita*, inquit, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum: ne te non solùm tactu, sed etiam visu, affatuque percutiant. Quid est *deuitare?* Cùm huiusmodi nec cibum sumere. Quid est deuita? *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert.* Quam? doctrinam? nisi Catholicam, & vniuersa- 1. Cor. 5. 2. Ioan. 1.

 lem,

ſalem,& vnam eandemque per ſingulas ætatum ſucceſſiones incorrupta veritatis traditione manentem,& vſque in ſecula ſine fine manſuram? Quid tum? *Nolite*, inquit, *recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis: qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.* Prophanas, inquit, vocũ nouitates. Quid eſt *prophanas?* Quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi: ab Eccleſiæ penetralibus, quæ eſt templum Dei, penitus extraneas. Prophanas, inquit, vocum nouitates: *Vocum*, id eſt, dogmatum, rerum, ſententiarum nouitates: quæ ſunt vetuſtati, quæ antiquitati cõtrariæ. Quæ ſi recipiantur, neceſſe eſt, vt fides beatorum Patrum, aut tota, aut certè magna ex parte violetur: *neceſſe eſt, vt omnes omnium ætatum fideles, omnes ſancti, omnes caſti, continentes, virgines, omnes clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tanta Confeſſorum milia, tanti Martyrum exercitus, tanta vrbium, tanta populorum celebritas, & multitudo, tot Inſulæ, Prouinciæ, Reges, Gentes, Regna, Nationes, totus poſtremò iam penè terrarum orbis, per Catholicam fidem Chriſto capiti incorporatus, tanto ſeculorum tractu ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſciſſe quid crederet, pronuntietur.*

Prophana nouitates.

Doctrina hoc tempore diligenter attendenda.

Confer Tertull. ſupra de praſcription. cap. 29.

ANALYSIS CAP. XXXIII.

Per varios anfractus, redit tandem ad propoſitum *Vincentius*, ac cœptam dicti Pauli explicationem de vitandis prophanis vocum nouitatibus perrexit ex 2. Iohan. 1. Oſtendens ex mutua vtriuſque loci

loci collatione, quid sit vitare prophanas vocum nouitates, alienam videlicet doctrinam dissemi-nantem nulla nec amicitiæ, nec alloquii familiaritate prosequi: Quemadmodum & alibi scriptura monet Roman. 16. v. 17. 2. Timoth. 3. v. 5. ad Titũ. 3. v. 10. Et S. Irenæus lib. 3. cap. 3. *Tantum*, inquit, *Apostoli & horum discipuli habuerunt timorem, vt neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem.* Hæreticorũ cauenda commercia.

S. Cyprianus Epist. 55. ad Cornelium. *Declinent fortiter, & euitent dilectissimi fratres nostri, verba & colloquia eorum quorum sermo vt cancer serpit.* Et infrà: *Nulla cum talibus commercia, nulla conuiuia, nulla colloquia misceantur, simusque ab eis tam separati, quam sunt illi ab Ecclesia profugi.*

S. Athanasius de S. Antonio in eius vita: *Nunquam*, inquit, *Manichæis, aut aliis hæreticis saltem amicabilia verba largitus est, denuncians talium amicitiam, atque sermones, perditionem esse animæ. Sic etiam Arrianos detestabatur, vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum. Et ipse B. Anton. iam moriturus: Hæreticorum, inquit, & schismaticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quod nullus mihi, nec pacificus quidem sermo cum eis vnquam fuerit.*

S. Augustinus in Epist. 62. *Hæreticum*, inquit, *sicut vitandum monemus, ne infirmos, & paruulos fallat, ita non abnuimus quibuscumque modis possumus corrigendum.* &c. Et S. Leo serm. 18. de passione Domini: *Viperea*, inquit, *hæreticorum vitate colloquia, nihil vobis commune sit cum eis, qui solo sunt nomine Christiani.*

In fine nouam rationem pro antiquitate affert, desumptam ex *Tertulliano* supra cap. 29. à iactura videlicet omnis gratiæ, omnis ministerii, atque omnis salutis maiorum, si noua sana, & prisca erronea cum hæreticis censeantur. Vide quæ ad istum locum diximus. Simile est illud S. Hieronymi: *Ista si non licent, sacrilegus ergo fuit cum Constantino* p. 85.

tino

tino Arcadii. Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi.

ANNOT. POST. IN CAP. XXXIII.

Ab Ecclesia penetralibus, qua est templum Dei, penitus extraneas] Dictum enim prophanum volunt tanquam à porro & phano, hoc est, longè à phano: quod euidenter poëta expressit:

Procul ô procul este prophani,
Conclamat vates, totoq́; absistite luco.

Denique & D. Cyprianus in Epistolis: *Quisquis*, inquit, *Ecclesia non tenet Vnitatem, prophanus est, alienus est, foris est* Cæterũ quod hic per Cainophonias, id est, nouitates vocum, sententias & dogmata noua significari scribit, hoc ipsum & D. *Basilius* ait: vocum nouitates, nouas quasdam & nuper inuentas doctrinas, atque à vero alienas, appellans.

CAPVT XXXIV.

Hæreticorum proprium, Nouitatibus gaudere, Exemplis probat.

PRophanas, inquit, *vocum nouitates deuita*, quas recipere atque sectari nunquam Catholicorum, semper verò hæreticorum fuit? Et reuera, quæ vnquam hæresis, nisi sub certo nomine, certo loco, certò tempore ebulliuit? Quis vnquam hæreses instituit, nisi qui se prius ab Ecclesię Catholicæ vniuersitatis & antiquitatis consensione discreuerit? Quod ita esse, luce clarius exempla demonstrant. Quis enim vnquam ante prophanum illum *Pelagium* tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, vt ad hoc

Pelagius.

hoc in bonis rebus per actus singulos adiuuandum, necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum discipulum eius *Cælestium* reatu præuaricationis Adæ omne genus humanum negauit astrictum? Quis ante sacrilegum *Arrium*, Trinitatis vnitatem discindere, quis ante sceleratum *Sabellium* vnitatis Trinitaté confundere ausus est? Quis ante crudelissimum *Nouatianum*, crudelem Deum dixit: eò quòd nollet mortem morientis, quàm vt reuertatur & viuat? Quis ante *Magum Simonem*, Apostolica districtione percussum, à quo verus ille turpitudinum gurges vsq; in nouissimum *Priscillianum* continua & occulta successione manauit, auctorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorumque nostrorum, ausus est dicere creatorem Deum? Quippè quem adserit talem hominum manibus ipsum suis creare naturam, quæ proprio quodam motu & necessariæ cuiusdam voluntatis impulsu, nihil aliud possit, nihil aliud velit, nisi peccare: eò quòd furiis omnium vitiorum exagitata & inflammata, in omnia turpitudinum barathra inexhausta cupiditate rapiatur. Innumera sunt talia, quæ breuitatis studio prætermittimus: quibus tamen cunctis satis euidenter perspicueq; monstratur, hoc *apud omnes ferè hæreses quasi solenne esse ac legitimum, vt semper prophanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis scita fasti-*

Cælestius. *Arrius.* *Sabellius.* *Nouatianus.* *Simon Magus.* *Priscillianus.* *Hæretici omnes antiquitatem fastidiunt, quem colũt Catholici.*

fastidiant, *& per oppositiones falsi nominis scientiæ à fide naufragent.* Contrà verò, Catholicorum hoc ferè proprium, deposita sanctorum Patrum & commissa seruare, damnare prophanas nouitates: & sicut dixit & iterum dixit Apostolus: *Si quis annunciauerit, præterquam quod acceptum est, anathemare.*

ANALYSIS CAP. XXXIV.

Vltima contra nouitatem ratio à subiectis desumi videtur, quod non Catholicorum, sed malæ notę hominum hæreticorũ propria esse soleat: Id quod septem exemplis declarat, *Pelagii, Cælestii, Arrii, Sabellii, Nouatiani, Simonis Magi, Priscilliani.*

Pelagiani. De *Pelagianis* latè Augustinus hæres. 88. vbi recentissimam vocat hæresin, ortam nempe post obitum D. Ambrosii, à Pelagio quodam Monacho, qui ita inimicus fuit diuinæ gratiæ. qua in omnibus bonis operibus excitamur, gubernamur & dirigimur, vt diceret sine illa etiam hominem seruandis diuinis mandatis sufficere. Qua de re vide plura apud Bellarm. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 9. §. 14.

Cælestius. *Cælestius* Pelagii discipulus fuit, Magistrum adeò secutus, vt sectatores eorum *Cælestiani* etiam nuncuparentur: August. hæres. 88.

Arrius. De *Arrio* vide August. hæresi 49. & Bellarm. lib. 1. de Christo cap. 2. & lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 9. §. 10. & ibidem cap. 13.

Sabellius. De *Sabellio* consule Augustinum hæresi 41. Bellarm. vbi supra.

Nouatianus. De *Nouatiano* Bellarm. lib. 4. de notis Ecclesiæ cap. 9. §. 6. & c. 13. Et lib. 2. de Romano Pontifice cap. 5. vbi notat apud Græcos passim *confundi Nouatum cum Nouatiano*, cum tamen certissimum sit, Nouatum

tum Carthaginensem, Nouatianum Romanum Presbyterum fuisse.

De *Simone Mago* supra ex August. ad Tertullianum diximus. cap. 46. p. 154. Notandum autem hic testimonium contentionis B. Petri cum Simone Mago omnium hæreticorum Patre, sicuti eum nominat Irenæus lib. 1. cap. 20. & initio lib. 3. Notandum inquam id est contra *Caluinum* lib. 4. instit. cap. 6. §. 15. vbi hanc absurdam fabulam esse dicit. Sed facilè refellitur constanti veterum consensu, *Damasi in Vita Petri, Cyrilli Catechesi 6. Epiphanii hæresi 21.* Denique multorum aliorum, quos Bellarm. allegat lib 1. de Rom. Pontifice cap. 23. Clarè ARNOBIVS lib. 2. contra Gentes. *Ipsam,* inquit, *apud Dominam Romam, in qua cùm homines sint Numa regis artibus atq; antiquis superstitionibus occupati, nõ distulerunt tamẽ res Patrias linquere, & Veritati coalescere Christianæ. Viderant enim cursum Simonis Magi, et quadrigas igneas, Petri ore difflatas, nominato Christo euanuisse. Viderant, inquam, fidentem diis falsis, & ab eisdem metuentibus proditum pondere præcipitatum suo, cruribus iacuisse præfractis.*

Contentio Petri & Simonis Magi.

PRISCILLIANISTÆ inquit August. hæres. 70. *quos in Hispania Priscillianus instituit, maximè Gnosticorum & Manichæorum dogmata permixta sectantur. Quamuis & ex aliis hæresibus in eas sordes, tanquã in sentinam quandam horribili confusione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes & turpitudines suas habẽt in suis dogmatibus & hæc Verba:* Iura, periura, secretum prodere noli. *Hi animas dicunt eiusdem naturæ, atq; substantiæ, cuius est Deus, ad agonem quendam spontaneum in terris exercendum, per septem cælos & per quosdam gradatim descendere principatus, & in malignum principem incurrere, à quo istum mundum factum Volunt, atq; ab hoc principe per diuersa carnis corpora seminari. Astruunt etiam fatalibus stellis homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secũdum duodecim signa cæli esse compositum, sicut hi qui Mathematici Vulgo appellantur,*

Priscillianistæ.

con-

constituentes in capite arietem, taurum in ceruice, geminos in humeris, cancrū in pectore: Et cætera nominatim signa percurrentes, ad plantas vsque perueniunt, quas piscibus tribuunt, quod vltimum signū ab Astrologis nuncupatur. Hæc & alia fabulosa, vana, sacrilega, quæ persequi longum est, hæresis ista contexit. Carnes tanquam immundas escas etiam ipsa deuitat. Coniuges quibus hoc malum potuerit peruadere disiungens, & viros à nolentibus fœminis, & fœminas, à nolentibus viris: Opificium quippe omnis carnis non Deo bono & vero, sed malignis angelis tribuunt: hoc versutiores etiam Manichæis, quòd nihil scripturarum Canonicarum repudiant, simul cum Apocryphis legentes omnia & in authoritate sumentes; sed in suos sensus allegorizando vertentes quicquid in sanctis libris est, quod eorum euertat errorem. De Christo Sabellianam sectam tenent, eundem ipsum esse dicentes, non solum filium, sed etiam Patrem, & spiritum sanctum.

ANNOT. COST. IN CAP. XXXIV.

Nouatianus crudelis.

Quis ante crudelissimum Nouatianum] Crudelem hunc ideò dicit, quòd in peccatum prolapsis, & ad Ecclesiam lachrymis, gemitu & dolore pulsantibus (vt D. Cypriani verbis vtar) diuinæ pietatis, & lenitatis paternæ solatia & subsidia claudit: nec ad fouenda vulnera admittit vulneratos, sed sine spe pacis & communicationis relictos, ad luporum rapinam, & Diaboli prædam proiiciat. Denique in ea Epistola, quam contra huius insanos errores conscripsit, *Ecce obortus est*, ait, *alius hostis, & ipsius paternæ pietatis aduersarius, hæreticus Nouatianus, qui non tantum (vt in Euangelio significatum est) sicut Sacerdos vel Leuites iacentem vulneratum præteriret, sed ingeniosa & noua crudelitate sauciatum potius occideret.* Aduersus hunc item Nouatianum pulcherrimos illos ac longè vtilissimos de pœnitentia libros scripsit D. Antistes *Ambrosius*, in quibus tyrannicum ac prorsus sanguinarium huius dogma scriptura-

pturarum auctoritate grauiter premit. Nam quum eos libros ad antiquorum exemplarium collationem recognosceremus, codicem & emendatum & venerandæ antiquitatis nacti sumus, qui hunc titulum præferret: *Ambrosii libri de pœnitentia contra Nouatianos.* Quod idcirco scribendum hîc duximus, quia excusi libri secus habent. Hos verò libros propediem, aspirante numine, dabimus tibi, lector, à multis & crassis erroribus vindicatos, postquam id quod iam dudum parturimus, ad vmbilicum perduxerimus.

Eo quòd nollet mortem morientis, quàm vt reuertatur & viuat.] Arbitror, *vellet* positum, tum deinde subintelligenda particula, *potius*, aut similis hoc modo: *eò quòd vellet mortem morientis potius, quàm vt reuertatur, & viuat*, atq; ea ellipsis veteribus valdè frequens, vt viri docti passim annotarunt. B.

CAPVT XXXV.

Quarta libri pars: de hæreticorum in scripturis vsurpandis versutia.

HIc fortassè aliquis interroget, *an & hæretici diuinæ scripturæ testimoniis vtantur.* Vtuntur planè, & vehemẽter quidem, nam videas eos volare per singula quæque sanctæ legis volumina: per Moysi, per Regum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud suos, siue alienos: siue priuatim, siue publicè, siue in sermonibus, siue libris, siue in conuiuiis, siue in plateis: *nihil vnquam penè de suo proferunt, quod non etiam scripturæ verbis adumbrare conentur.* Lege Pauli Samozateni opuscula, Priscilliani,

Hæretici per omnem scripturam volant.

Exempla.

Eunomii, Iouiniani, reliquarumq́ue pestium: cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non nouiaut veteris testamenti sententiis fucata & colorata sit. Sed *tantò magis cauendi & pertimescendi sunt, quantò occultius sub diuinæ legis vmbraculis latitant.* Sciunt enim fœtores suos nulli ferè citò esse placituros, si nudi & simplices exhalentur: atque idcirco eos cœlestis eloquii velut quodam aromate aspergunt, vt ille, qui humanum facilè despiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt quod hi solent, qui paruulis austera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumliniunt: vt incauta ætas cùm dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam iis curæ est, qui mala gramina & noxios succos, medicaminum vocabulis præcolorant: vt nemo ferè vbi suprascriptum legerit remedium, suspicetur venenum.

Sub diuinæ legis vmbraculis hæretici errores suos tegunt.

Pulcherrime similitudines.

ANALYSIS CAP. XXXV.

Transit ad nouam admonitionem, de hæreticorum in scripturis abutendis fraudulentia, deque illis tantò diligentius tanquam lupis pelle ouilla indutis reformidandis & fugiendis. Quam ipsam cautelam supra inculcauit Tertullianus cap. 15.

pag. 51.

Primum autem hoc capite morem istum hæreticorum elegantibus verbis proponit. Deinde exemplis aliquot hæreticorum illustrat: Quibus omni iure *Lutheranos* nostros & *Caluinistas* adiunxeris, tanto-

tantopere sibi in hoc artificio placentes, vt nemini in scripturarum telis expromendis secundi videri velint.

Tertio hanc fraudulentiam elegantibus aliquot similitudinibus illustrat.

CAPVT XXXVI.

Probat fraudulentiam hæreticorum ex dicto Matth. 7.

ITem denique & Saluator clamabat: *Attendite vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, ab intus autem sunt lupi rapaces.* Quid est vestitus ouium? nisi Prophetarum & Apostolorum præloquia: quæ iidem, ouili quadam sinceritate agno illi immaculato, qui tollit peccatum mundi, tanquam vellera quædam texuerunt? Qui sunt lupi rapaces? nisi sensus hæreticorum feri, & rapidi, qui caulas Ecclesię semper infestant, & gregem Christi quaquà possunt, dilacerant? Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam speciem, & sese diuinæ legis sententiis velut quibusdam velleribus obuoluunt: vt cùm quisq; lanarum mollitiem persenserit, nequaquam aculeos dentiũ pertimescat. Sed quid ait Saluator? *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Id est, cùm cœperint illas voces nõ iam proferre tantũ, sed etiam exponere: nec adhuc iactare solũ, sed etiã interpre-

Matth. 7.

Vestitus ouium quid.

Qui sint lupi rapaces.

Fructus hæreticorum.

terpretari; tunc amaritudo illa, tunc
bitas, tunc rabies intelligitur, tunc
tium virus exhalabitur, tunc pro
nouitates aperiuntur, tunc primum
sepem videas, tunc transferri patru
minos, tunc Catholicam fidem cædi
ecclesiasticum dogma lacerari.

ANALYSIS CAP. XXXVI

Quia vix credibile videtur simplicioribu
mines tam arctè scripturis distentos, tantaq
tatis specie nitentes, homicidas ac latrones
rum esse, adsciscit in defensionem cohorta
suæ concionem Domini Matth. 7. de Pseu
phetis pellibus ouillis amictis, eamque ord
stituto suo applicat, eodem planè modo, c
pag. 17. pra *Tertullianus* cap. 4. ad quem locum lec
remittimus.

CAPVT XXXVII.

Idipsum probat testimonio S. Pauli, 2.
11. & historia tentationis Domini,
Matth. 4.

TAles erant ii quos percutit Apos
Paulus in secunda ad Corinthios, c
Nam eiusmodi, inquit, *Pseudoapostoli*
2. Cor. 11. *operarii subdoli, transfigurantes se in Ap*
los Christi. Quid est transfigurantes se i
postolos Christi? Proferebant Apostol
uinæ legis exempla, proferebāt & illi,
ferebant Apostoli Psalmorū authorita
proferebant & illi. Proferebant Apo
sententias Prophetarum, & illi nihilo
nus proferebant. Sed cùm ea, quæ f
liter protulerant, interpretari non
m

ſimiliter cæpiſſent, tunc ſimplices à ſubdolis, tunc infucati à fucatis, tunc recti à peruerſis, tunc poſtremò veri Apoſtoli à falſis Apoſtolis diſcernebantur. *Et non mirum*, inquit: *Ipſe enim ſathanas transfigurat ſe in angelum lucis: non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurantur ſicut miniſtri iuſtitiæ.* Ergo ſecundum Apoſtoli Pauli magiſterium, quotieſcunque vel Pſeudoapoſtoli, vel Pſeudoprophetæ, vel Pſeudodoctores, diuinæ legis ſententias proferunt, quibus malè interpretatis errores ſuos aſtruere conantur, non dubium eſt, quin auctoris ſui callida machinamenta ſectentur: quæ ille nunquam profectò comminiſceretur, niſi ſciret omninò *nullam eſſe ad fallendum faciliorem viam, quam vt, vbi nefarii erroris ſubinducitur fraudulentia, ibi diuinorum verborum prætendatur auctoritas.* Sed dicet aliquis: Vnde probatur quòd ſacræ legis exemplum diabolus vſurpare ſoleat? Legat Euangelia, in quibus ſcribitur: *Tunc aſſumpſit eum diabolus*, id eſt, Dominum Saluatorem: *& ſtatuit illum ſupra pinnam templi, & dixit ei: ſi filius Dei es, mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim: quod angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis: in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Quid hic faciet miſellis hominibus, qui ipſum Dominum maieſtatis, ſcripturarum teſtimoniis appetiuit? *Si*, inquit, *filius Dei es, mitte te deorſum.*

Nota bene. Fallendi via facillima.

Matth. 4.

ſum. Quare? *Scriptum eſt enim*, inqui
gnoperè nobis doctrina loci iſtius
denda atque retinenda eſt, vt tant
angelicæ auctoritatis exemplo, q
aliquos Apoſtolica, ſeu prophetica
proferre contra Catholicam fidem v
mus, *diabolum per eos loqui minimè d*
mus. Nam ſicut tunc caput capiti, ita
quoq; membra membris loquuntur,
bra ſcilicet diaboli membris Chriſti
di fidelibus, ſacrilegi religioſis, hæ
poſtremò Catholicis. Sed quid tande
cit? *Si*, inquit, *filius Dei es, mitte te deo*
Hoc eſt, filius eſſe vis Dei, & hæredi
regni cœleſtis accipere, mitte te deo
id eſt: ex iſtius te ſublimis Eccleſiæ, qu
iam templum Dei putatur, doctrina
ditione demitte. Ac ſi quis interroge
piam hæreticorum ſibi talia perſuad
Vnde probas, vnde doces, quod Eccleſiæ C
cæ vniuerſalē & antiquam fidē dimitte
beā? ſtatim ille. Scriptū eſt enim. Et cō
mille teſtimonia, mille exēpla, mille a
ritates parat, de Lege, de Pſalmis, de A
lis, de Prophetis, q̃bus nouo & malo
interpretatis, ex arce Catholica in
ſeos barathrum infœlix anima præc
tur. Iam verò illis, quæ ſequuntur p
ſionibus miro modo incautos homin
retici decipere conſueuerunt. Auden
nim polliceri, & docere, *quòd in Eccleſi*
id eſt, in communionis ſuæ conuenti

Diabolus loquitur per Pſeudodoctores.

Ex Catholica arce in hæreſeos barathrum præcipitari.

n

magna & specialis, ac planè personalis quadam sit Dei gratia, adeò vt sine vllo labore, sine vllo studio, sine vlla industria, etiamsi nec quærant, nec petant, nec pulsent, quicunque illi ad numerum suum pertinent, tamen ita diuinitus dispénsentur, vt angelicis euecti manibus, id est, angelica protectione seruati, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum, id est, nunquam scandalizari.

Offendere pedem ad lapidem.

ANALYSIS CAP. XXXVII.

Duplici iterum testimonio hæreticorum peruersitatem lectori ob oculos ponit, vno ex 2 Corinth. 11. v. 14. 15. vbi Pseudoapostoli dicuntur *operarii subdoli, transfigurantes se in angelos lucis*, id est, *asserentes noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi*, quemadmodum supra Cyprianus hunc locum exposuit *de Vnitate Ecclesiæ cap 2.* Et Epist. 40. ad plebem, vbi hanc pulcherrimam hortationem deducit, *Vitate lupos, qui oues à Pastore secernunt: Vitate linguam Diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax semper et mendax mentitur vt fallat, blanditur vt noceat: bona promittit vt malum tribuat: Vitam pollicetur vt perimat. Lucent nunc quoque verba eius, & venena manifesta sunt: Pacem pollicetur ne peruenire possit ad pacem: Salutem promittit, ne qui deliquit, veniat ad salutem: Ecclesiam spondet, quando id agit, vt qui illi credit, in totum ab Ecclesia pereat.*

Hunc locum ita tractat Vincentius, vt facta cõparatione inter veros & falsos Apostolos, non in scripturæ vsurpatione differre eos statuat, sed in sensu. Qua de re pulchrè *Hilarius* lib. 2 de Trinitate: *De intelligentia*, inquit, *hæresis, non de scriptura est:*

Hæretici sensum scripturæ adulterant.

est : Sensus & non sermo fit crimen. Et S. Amb
in caput 3. ad Tit. *Haretici sunt qui per legem*
legis impugnant. Et S. Augustin. Epist. 222. ac
sentium. *Intellectum valdè ama: quia & ips*
ptura sancta qua magnarum rerum ante inte
tiam suadent fidem, nisi eas rectè intelligas, v
bi esse non possunt. Omnes enim haretici, qui eas
thoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari
suos potius sectentur errores, ac per hoc non
eas contemnant, sed quòd non intelligant, h
sunt.

Alter locus ex Matth. 4. est, vbi ipsum hære
rum principem diabolum hoc stratagemate
cipem Ecclesiæ Christum adortum legimus.
te deorsum: scriptū enim est. Quod eleganter d
Ecclesiæ, & barathro hæreseon exponit au
Promissionem tutelæ Domini in viis suis, a
ctantiam securitatis hæreticæ referens. Quæ i
pretatio ita bellè Luthero & Caluino comp
vt nulli melius. Hi enim sunt, qui blanditii
hominum aures frequenter scalpunt: *Hom*
semel verè iustificatum non posse vnquam ex
re à gratia & salute. Baptismo tanquam Dei
rographo nos certiores reddi de perpetua adoptionis
tia, nec fidem semel verè habitam amitti posse, ess
donum electorum proprium. Caluinus lib. 3. in
cap. 2. §. 11. & 12. & Antidoto Concilii Tric
sess. 7. can. 7. Item *tam diuitem esse hominem C*
stianum, vt non possit damnari nisi nolit credere.
therus de capt. Babyl. c. de Baptismo. Contra q
errores vide eruditè disputata à *Bellarmino*
lib. 1. de Baptismo cap. 14. Et lib. 3. de
iustificat. cap. 14.

Hæretici securitatem suadent populos.

C.

CAPVT XXXVIII.

Qui resistendum sit fallaciis diaboli & discipulorum eius, dum scripturas allegant.

SEd dicet aliquis: Si diuinis eloquiis, sententiis, promissionibus, & diabolus, & discipuli eius vtuntur, quorum alii sunt Pseudoapostoli & pseudoprophetæ, & pseudomagistri & omnes ex toto hæretici; *quid facient Catholici homines & matris Ecclesiæ filii?* quonam modo in scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnoperè curabunt, quod in principio *Commonitorii* istius sanctos & doctos viros nobis tradidisse scripsimus: vt *diuinum canonem secundum vniuersalis Ecclesiæ traditiones, & iuxta Catholici dogmatis regulas interpretentur. In qua item Catholicæ Apostolicæque Ecclesiæ sequantur necesse est vniuersitatem, Antiquitatem, consensionem. Etsi quando pars contra vniuersitatem, nouitas contra vetustatem, vnius vel paucorum errantium dissensio contra omnium vel certè multò plurium Catholicorũ consensionem rebellauerit, præferant partis corruptioni, vniuersitatis integritatem*: in qua eadem vniuersitate, nouitatis prophanitati antiquitatis religionem: itemque in ipsa vetustate, vnius siue paucissimorum temeritati, primum omnium generalia, si

Ratio euitandi laqueos hæreticorum.

Elegans oppositio.

qua ſunt, vniuerſalis concilii decreta
ponant: Tunc deinde, ſi id minus e
quantur, quod proximum eſt, multo
atque magnorum conſentientes ſibi ſ
tias Magiſtrorum: quibus adiuuante
mino fideliter, ſobriè, ſollicitè obſeru
non magna difficultate noxios quoſc
ſurgentium hæreticorum deprehende
errores.

ANALYSIS CAP. XXXVIII.

Hactenus pericula fidelium ab hæreticis ſc
ræ gladio pugnantibus expoſuit. Nnnc fide
cauendis & excipiendis eorum inſultibus inſ
vnico Eccleſiaſticæ traditionis Clypeo, quem o
bus ipſorum corruptelis obiiciendum mone
ſeruata diligenter Catholicæ interpretation
nea: id eſt vniuerſitate, conſenſione & antiq
tæ: Qua de re ſupra ad caput 3. fusè diximus.

CAPVT XXXIX.

Regula vtendi patrum ſtatutis contr
hæreticos.

HIc iam conſequens eſſe video, vt ex
plis demonſtrem, quonam modo
phanæ hæreticorum nouitates, prolati
que collatis veterum magiſtrorum c
cordantibus ſibimet ſententiis, & de
hendantur & condemnentur. Quæ tan
antiqua ſanctorum Patrum conſenſio, n
omnibus diuinæ legis quæſtiunculis, ſed ſo
certè præcipuè in fidei regula magno nobis

In quibus inter ſe cõſentiant patres orthodoxi.

dio & inuestiganda est, & sequenda. Sed neq; semp, neq; omnes hæreses hoc modo impugnandæ sunt, sed nouitiæ recentesq; tãtummodo: cùm primum scilicet exoriuntũr, antequã infalsarint vetustæ fidei regulas, ipsius tẽporis vetentur angustiis, ac priusquã manante latius veneno Maiorũ volumina vitiare conentur. Cæterũ dilatatæ & inueteratæ hæreses nequaquã hac via aggredienḑ sunt, eo quod prolixo temporum tractu longa iis furandæ veritatis patuerit occasio. Atq; ideo quascunque illas antiquiores, vel schismatum, vel hæreseon prophanitates, nullo modo nos oportet, nisi aut sola, si opus est, scripturarũ auctoritate conuincere, aut certè iam antiquitus vniuersalibus sacerdotum Catholicorum *Conciliis* conuictas damnatasque vitare. Itaque cùm primum mali cuiusque erroris putredo erumpere cœperit, & ad defensionem sui, quædam sacræ legis verba furari, atque fallaciter & fraudulenter exponere: statim interpretando canoni Maiorum sententiæ congregandæ sunt, quibus illud quodcunq; exurgat nouitium, ideoque prophanum, & absque vlla ambage ꝓdatur, & sine vlla retractatione damnetur. Sed *eorum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ* sunt, qui in fide & cõmunione catholica sanctè, sapienter, constanter viuentes, docentes, & ꝑmanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi ꝓ Christo fœliciter merue-

Quorum patrũ sententias sequi oporteat.

meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum eſt, vt quicquid vel omnes, vel plures, vno eodemque ſenſu manifeſtè, frequenter, pſeueranter, velut quodã conſentiente ſibi magiſtrorũ concilio, accipiẽdo, tenendo, tradendo, firmauerint, id pro indubitato, certo, ratoq; habeatur. Quicquid verò, quamuis ille ſanctus, & doctus, quamuis Epiſcopus, quamuis confeſſor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas, & priuatas opiniunculas à communis, publicæ, ac generalis ſententiæ auctoritate ſecretum ſit: ne cum ſummo æternæ ſalutis periculo, iuxta ſacrilegam hæreticorum & ſchiſmaticorum conſuetudinem, vniuerſalis dogmatis veritate dimiſſa, vnius hominis nouitium ſectemur errorem.

Confer ſupra Tertull. cap. 3.

ANALYSIS CAP. XXXIX.

Præcedentem regulam S. Patrum authoritate quosuis hæreticorum errores conculcandi, quadruplici hic diſtinctione limitat.

Consenſus quis in patribus attendendus.

Primum, vt conferantur ſententiæ Patrum conſentientes. Conſenſus autem intelligatur non in quibusuis minutis quæſtiunculis, & indifferentibus ſcripturæ expoſitionibus, ſed in præcipuis fidei articulis, qui ad caput religionis pertinent. Quod probè contra cauillum hæreticorum teneatur, ſubinde Patrum pugnas & contradictiones, quas tamen vt plurimum ipſi fingunt & mentiuntur, obiectantium.

Deinde vt hic conſenſus non inueteratis ſed recentibus & infirmis adhuc hæreſibus opponatur,

ante-

antequam vetuſtate & plurium applauſu roboratæ S. Patrum commentaria interpolare incipiant: Quod in vſu eſſe hæreticis ſupra monuit *Tertullianus* cap. 38. *Quibus fuit* inquit *propoſitum aliter docendi, eos neceſſitas coegit aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent, per quæ docerent hæreſin.*

Tertiò, vt ſint non quorumuis antiquorum, ſed Catholicorum inprimis Patrum & Conſtantium Eccleſiæ Martyrum ſententiæ.

Quartò, vt illorum ipſorum priuatæ ſententiæ diſtinguantur à communibus & receptis: Vt exempli gratia S. Cypriani error de Baptiſmo hæreticorum, à cæteris eius Catholicis dogmatibus, quibus firmiter vniuerſalis Eccleſiæ conſenſum & vnitatem tenuit. Imitatur hanc admonitionem *Thomas Waldenſis* in princip. doctrin. fidei. *Si quid quiſquam Patrum per ſe ſolum in aliqua re opinando decreuit, illo dimiſſo ſolum hoc aſtruam, quod maior pars Patrum à tempore Apoſtolorum ſucceſſiuè ad nos vſq; ſenſit & tradidit: à qua profeſſione nullus ſub pœna perfidiæ poteſt declinare fidelis.*

ANNOTAT. COST. IN CAP. XXXIX.

Furandæ veritatis patuerit occaſio] Tacitè alludere videtur, quod Dominus ait apud Iohannem. *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* Et eodem loco: *Quotquot venerunt, fures ſunt & latrones.* Furantur enim hæretici veritatem, & ſcripturæ diuinæ oſtium violenter effringunt; dum ad ſuam ſententiam commodumque verba ſacræ legis detorquent, & veluti in ius ſuum transſcribunt. Sic paulò poſt quoq; : *ad defenſionem ſui, ſacra legis verba furari.*

CAP.

CAPVT XL.

Patrum consentientes sententiæ, quantæ sint auctoritatis.

QVorum beatorum Patrum sanctũ Catholicumque cõsensum, ne quis sibi temerè fortè contemnendũ arbitretur, ait in prima ad Corint. Apostolus: *Et quosdam quidẽ posuit Deus in Ecclesia, primũ Apostolos,* quorum ipse vnus erat: *secundò Prophetas,* qualẽ in actibus Apostolorũ legimus Agabũ: *tertiò Doctores,* q Tractatores nunc appellantur, quos hic idẽ Apostolus etiã *Prophetas* interdũ nuncupat, eò ꝙ per eos Prophetarũ mysteria populis aperiantur. Hos ergò in ecclesia Dei diuinitus ꝑ tempora & loca dispensatos, *quisquis* in sensu Catholici dogmatis vnũ aliquid in Christo sentientes *contemserit, non hominẽ contemnit, sed Deum*: à quorũ veridica vnitate ne quis discrepet, impensius obtestatur idem Apostolus, dicens: *Obsecro autem vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*: Quod si quis ab eorum sententię communione desciuerit, audiat illud eiusdem Apostoli: *Non est Deus dissensionis, sed pacis*: id est, non eius, qui à consentienti vnitate defecerit, sed eorum qui in consentiendi pace permanserint: *sicut in omnibus*, inquit, *Ecclesiis sanctorum doceo,*

1. Cor. 12. v. 27. 28. Ephes. 4. v. 11.

Doctores, Tractatores: Propheta.

Vide supra August. de Vnitate Ecclesia c. 22.

1. Cor. 1. v. 10.

1. Cor. 14. v. 33.

doceo, id eſt, Catholicorum: quæ ideo ſanctæ ſunt, quia in fidei communione perſiſtunt. Et ne quis forſitan prætermiſſis cæteris, ſe ſolum audiri, ſibi ſoli credi arrogaret, paulò poſt ait: *An à vobis*, inquit, *verbum Dei proceſſit? aut in vos ſoles deuenit?* Et ne hoc quaſi perfunctoriè acciperetur: adiecit: *Si quis*, inquit, *videtur Propheta eſſe aut ſpiritalis*, id eſt, ſpiritalium rerum Magiſter, ſummo ſtudio æqualitatis & vnitatis cultor exiſtat: vt ſcilicet neque opiniones ſuas cæteris præferat, & ab vniuerſorum ſenſibus non recedat. *Cuius rei mandata qui ignorat*, inquit, id eſt, qui aut neſcita non diſcit, aut ſcita contemnit, *ignorabitur*: hoc eſt, indignus habebitur, qui inter vnitos fide, & exæquatos humilitate diuinitus reſpiciatur: quo malo neſcio, an quidquam acerbius cogitari queat. Quod tamen iuxta Apoſtolicã comminationem *Pelagiano* illi proueniſſe cernimus *Iuliano*, qui ſe collegarum ſenſui aut incorporare neglexit, aut excorporare præſumpſit. Sed iã tempus eſt, vt pollicitum proferamus exemplum, vbi & quomodo ſanctorum Patrum ſententiæ cogregatæ ſint, vt ſecundũ eas ex decreto atq; auctoritate concilii Eccleſiaſticæ fidei regula figeretur. Quod quò cõmodius fiat, hic ſit iã huius cõmonitorii modus: vt cætera q̃ ſequũtur, ab alio ſumam⁹ exordio. *Secundũ*

1 Cor. 14. ℣. 36.

Iulianus Pelagian⁹.

commo-

 commonitorium interlapsum est, neq; ex eo amplius quidquam quàm postrema particula remansit, id est, sola recapitulatio, quæ & subiecta est.

ANALYSIS CAP. XL.

Epilogus commonitorii primi, trimembris. Vbi *primum* authoritas S. Patrum contra sannas & flagra hæreticorum quatuor dictis Paulinis astruitur: Qua de re supra satis cap. 3. & ad *Augustinum* cap. 22. de vnitate Ecclesiæ diximus.

Deinde exemplum hæreticæ prauitatis ponitur in Iuliano Pelagiano.

Tertiò primus liber commonitorii concluditur, & alter amissus deploratur.

ANNOTAT. COST. IN CAP. XL.

Tertiò doctores, qui nunc Tractatores appellantur] Indiscriminatim ponit Doctores, Tractatores, Magistros, Prophetas. Horum enim munus erat diuinas literas populo enarrare. Nam quod *Propheta* in nouo Testamento appellantur non solum ii, qui futura vaticinantur, sed etiam, qui sacram scripturam interpretantur, Paulus non semel docet. Ephesiis enim scribens: *Et ipse* inquit, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consumationem sanctorum in ædificatione corporis Christi.* Hic Prophetarū nomine veteres scriptores eos intelligi debere dicūt, q antiquorū prophetarū ænigmata, & ea, quę obscurius ab iis dicta sunt, in lucem proferunt. Id ipsum quoque Paulus ostendit in priore ad Corinthios Epist. cap. 12. Alibi quoque euidentius: *Spiritus Prophetarum Prophetis subiectus est*: Et in Apostolicis Actis. Erant

Erant in Ecclesia Prophetæ & Doctores. Cæterum quos Apostolus ad Ephesios scribens quinto loco ponit *Doctores*, hos Vincentius toto hoc opere suo, *Magistros* vocat, quemadmodum & D. Hieronymus in commentariis huius Epistolæ, hunc locum enarrans. Græcè est τοὺς διδασκάλους.

CAPVT XLI.

Recapitulatio eorum, quæ primo commonitorii libro sunt dicta.

QVæ cùm ita sint, iam tempus est, vt ea quæ duobus his commonitoriis dicta sunt, in huius secundi fine recapitulemus. 1.
Diximus in superioribus hanc fuisse semper & esse hodieque Catholicorum consuetudinem, vt *fidem veram duobus his modis approbent. Primùm diuini canonis auctoritate, deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione*: non quia canon solus non sibi ad vniuersa sufficiat, sed quia verba diuina pro suo plerique arbitratu interpretantes varias opiniones erroresque concipiant. *Scriptura⁊ cur addenda Traditio.* Atque ideò necesse sit, vt *ad vnam Ecclesiastici sensus regulam scripturæ cœlestis intelligentia dirigatur*: in iis duntaxat præcipuè quæstionibus, quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur. 2. *Item diximus*, in ipsa rursus Ecclesia Vniuersitatis pariter & Antiquitatis consensionem spectari oportere, ne aut ab vnitatis integritate in partem schismatis abrumpamur, aut

è vetuſtatis religione in hæreſeon nouitates præcipitemur. *Item diximus*, in ipſa Eccleſiæ vetuſtate duo quædam vehementer ſtudioſeque obſeruanda, quibus penitus inhærere deberent, quicunque hæretici eſſe nolent. Primum ſi quid eſſet antiquitus ab omnibus Eccleſiæ Catholicæ ſacerdotibus vniuerſalis concilii auctoritate decretum: Deinde ſi qua noua exurgeret quæſtio, vbi id minimè reperiretur, recurrendum ad ſanctorum patrum ſententias, eorum duntaxat, qui ſuis quique temporibus, & locis in vnitate communionis & fidei permanentes, Magiſtri probabiles exſtitiſſent. Et quidquid vno ſenſu atque conſenſu tenuiſſe inuenirentur, id Eccleſiæ verum & Catholicum abſque vllo ſcrupulo iudicaretur.

ANALYSIS CAP. XLI.

Alter Commonitorii liber qua ratione interciderit, ſupra in argumento *Gennadius* expoſuit. Calx eius qui ſuper eſt, meram vtriuſque libri ἀνακεφαλαίωσιν continet. Et hoc quidem capite 41. ſumma libri primi tribus concluſionibus repetitur, de quibus quia multa hactenus pro opportunitate diximus, plura dicere ſuperſedebimus.

CAP.

CAPVT XLII.

Breuiter recapitulat ex secundo Commonitorio, quod intercidit: quomodo in Conc. Ephesino sanctorum patrum sententiæ congregatæ sint, vt secundum eas auctoritate Concilii Ecclesiasticæ fidei regula figeretur.

QVod ne pſumptione magis noſtra, quã auctoritate Eccleſiaſtica pmere videremur, exemplũ adhibuim⁹ ſancti *Concilii*, ꝙ antè trienniũ fermè *in Aſia apud Epheſũ* celebratum eſt viris clariſſimis *Baſſo Antiochoq́ Conſulibus*. Vbi cũ de ſanciẽdis fidei regulis diſceptaretur, ne qua illic forſitã prophana nouitas in modũ perfidiæ *Ariminenſis* obreperet, vniuerſis Sacerdotibus, q illò ducẽti ferè numero cõuenerãt, hoc Catholiciſſimũ, feliciſſimum atq; optimum factũ viſum eſt, *vt in medium ſanctorum Patrum ſententiæ proferrentur*, quorum alios Martyres, alios Confeſſores, omnes verò Catholicos ſacerdotes fuiſſe, & permanſiſſe conſtaret: *vt ſcilicet ritè atq́ ſolenniter ex eorum conſenſu atq́ decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & prophanæ nouitatis blaſphemia condemnaretur*. Quod cùm ita factum foret, iurè meritoque ille *Neſtorius*, Catholicæ vetuſtati contrarius, beatus verò *Cyrillus* ſacroſanctæ antiquitati conſentaneus iudicatus eſt. Et vt ad fidem rerum nihil deeſſet, etiam nomina & nu-

Concilium Epheſinũ.

merum (licet ordinem fuiſſemus obliti) edidimus eorum patrum, iuxta quorum ordinem ibidem concinnentem ſibi concordemque ſententiam, & legis ſacræ proloquia expoſita ſunt,& diuini dogmatis regula conſtabilita. Quos ad confirmandam memoriam hic quoq; recenſere nequaquã ſuperfluum eſt. Sunt ergo hi viri quorũ in illo Concilio, vel tanquã iudicum, vel tanquã teſtium ſcripta recitata ſunt: S. *Petrus Alexandrinus* Epiſcopus, Doctor præſtantiſſimus, & Martyr beatiſſimus: S. *Athanaſius* eiuſdem ciuitatis antiſtes, Magiſter fideliſſimus,& Confeſſor eminentiſſimus: S. *Theophilus* eiuſdẽ itẽ vrbis Epiſcopus, vir fide, vita, ſcientia ſatis clarus: cui ſucceſſit venerandus *Cyrillus*, qui nunc illuſtrat Alexandrinã Eccleſiã. Et ne forſitan vnius ciuitatis ac prouinciæ doctrina putaretur adhibita, ſunt etiam illa *Cappadociæ* lumina, ſanctus *Gregorius Epiſcopus* & confeſſor de Nazianzo. S. *Baſilius* Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus & confeſſor. Sanctus item alter *Gregorius Nicenus* Epiſcopus, fidei, cõuerſationis, integritatis & ſapientiæ merito, fratre Baſilio digniſſimus. Sed ne ſola Græcia aut Oriens tantùm, verum etiã Occidentalis & Latinus orbis ita ſemper ſenſiſſe approbaretur: lectæ ſunt quoque ibi quædã ad quoſdam Epiſtolæ ſancti *Fœlicis* Martyris, & S. *Iulii* vrbis *Romæ Epiſcoporũ.* Et vt non ſolum *caput orbis*, verum etiam

Nomina Patrum Concilii Epheſini.

latera

latera illi iudicio testimoniū perhiberent, adhibitus est à meridie beatissimus *Cyprianus*, Episcopus Carthaginensis, & martyr: à Septentrione S. *Ambrosius*, Mediolanēsis Episcopus. Hi sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato Decalogi numero Magistri, Cōsiliarii, Testes, Iudicesq; producti: quorū beata illa synodus doctrinā tenens cōsiliū sequens, credens testimonio, obediens iudicio, absq; tædio, præsumptione, & gratia, de fidei regulis pronuntiauit. Quāquā multò amplior maiorū numerus adhiberi potuerit, sed necesse nō fuit: quia neq; multitudine testiū negotii tēpora occupari oportebat, & decē illos non aliud ferè sensisse, quā cæteros omnes collegas suos nemo dubitat. Post quæ omnia adiecimus etiā *beati Cyrilli* sentētiā, quæ gestis ipsis Ecclesiasticis cōtinetur. Namq; cū lecta esset *sancti Capreoli* Episcopi Carthaginensis Epistola, qui nihil aliud intēdebat, & precabatur, nisi vt expugnata nouitate antiquitas defenderetur, ita Episcopus *Cyrillus* prolocutus est & definiuit: quod hic quoq; interponere nō abs re videtur: ait enim in fine gestorū: *Et hæc*, inquit, *quæ lecta est Epistola venerādi & multū religiosi Episcopi Carthaginēsis, Capreoli, fidei gestorū inseretur, cuius aperta sententia est: vult enim antiquæ fidei dogmata cōfirmari, nouitia verò & superfluè adinuenta impiè, promulgata reprobari atq; damnari.* Omnes Episcopi adclamaue-

Cyrillus.

Capreoli sententia pro tuenda vetustate.

runt: *Hæ omnium voces sunt, hæc omnes dicimus, hoc omniũ votũ est.* Quæ tandẽ omnium voces, atq; omniũ vota, nisi, vt q̃ erat antiq̃tus traditũ, teneretur? q̃ adinuentũ nup, exploderetur? Post q̃ admirati sumus & p̃dicauimus, quanta Cõcilii illius fuerit humilitas & sanctitas, quot numero sacerdotes, penè ex maiori parte Metropolitani, tãtæ eruditionis tãtæq; doctrinæ, vt propè omnes possent de dogmatibus disputare: Quibus quũ ipsa in vnũ cõgregatio audendi à se aliq̃d & statuẽdi addere videretur fiduciã, nihil tamẽ donarẽt, nihil p̃sumerent, nihil sibi penitus arrogarẽt: sed omnimodis p̃cauerent, *ne aliquid posteris traderent, quod ipsi à Patribus nõ accepissent*: & nõ solũ in p̃senti rẽ benè disponerẽt, verũ etiã post futuris exempla præberẽt, vt & ipsi scilicet sacratæ vetustatis dogmata colerent, prophanæ verò Nouitatis adinuenta dãnarẽt. Inuecti etiam sumus in *Nestorii* sceleratam præsumptionẽ, quod *sacrã scripturã se primũ & solum intelligere, & omnes eos ignorasse iactaret, quicunq; ante se Magisterii munere præditi, diuina eloquia tractauissent*; vniuersos scilicet Sacerdotes, vniuersos Cõfessores & Martyres, quorũ alii explanassent Dei legẽ: alii verò explanantibus cõsensissent vel credidissent: *totã postremò etiam nunc errare & semper errasse adseueraret Ecclesiam, quæ, vt ipsi videbatur ignaros, erroneosq; doctores & secuta esset & sequeretur.*

Execranda Nestorii arrogantia.

ANA-

ANALYSIS CAP. XLII.

Ex ſecundo Commonitorio nouum Nouitati argumentum oppoſitum repetit, ab authoritate *Concilii Epheſini primi*, quod coactum eſt Theodoſio Iuniore Imperatore, & Celeſtino 1. Summo Pontifice, ob Neſtorii Epiſcopi Conſtantinopolitani nouam hæreſim, quæ Chriſtum in duas perſonas diuidebat.

De hoc *Concilio* primum hiſtoricè refert circūſtantias temporis, loci & perſonarū, quando, vbi, quibus Conſulibus congregatum fuerit. *Vide Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 5.*

Deinde modum agendi pro vetuſtate contra nouitatem ex S. Patrum decretis commendat. Qui procul dubio ille ipſe eſt, quem ſupra ad Tertullianum cap. 32. *ex Sozomeno* lib. 7. hiſt. cap. 12. retulimus. *Theodoſius enim Imperator iuſſit Principes ſectarum conuenire. Deinde petiit, an exiſtimarent antiquos Patres, qui Eccleſiam rexerant ante diſſidium illud, quod tunc de religione ortum fuerat, recte conſenſiſſe & verè ſanctos & Apoſtolicos fuiſſe: quod cum illi conceſſiſſent, ſubiunxit: Examinemus ergo doctrinam veſtram ad illorum ſcripta, & ſi cum illis conſenſerit, retineatur, ſin minus, abiiciatur.*

Tertiò nomina Patrum præcipuorum ponit, qui Concilio iſti interfuerunt.

Quartò ſententiam *Capreoli* Epiſcopi pro tuenda vetuſtate S. Cyrillo valde approbatam ponit.

Quintò reprehendit execrandam *Neſtorii* arrogantiam, vniuerſam Catholicam Eccleſiam, tanquam minus probatos doctores ſecutam, præ ſuis diliriis fœde contēnentis. Qui ipſiſſimus faſtus noſtrós hodiè hæreticos in tranſuerſum abripit, vt ſe ſuaque placita vniuerſis præterlapſis ſeculis multis paraſangis anteponant: quemadmodum ex iis quæ ſupra ad *Tertullianum* cap. 21. & ad *Vincentium* cap. 3. diximus. Quibus ſi quis vult

Lutherani & Caluinistæ superbißimè se omnibus patribus anteponunt.

addat ista: Quod passim Lutherani & Caluinistæ S. Ecclesiæ Doctores despicatissimos habent, ac de iis non aliter quàm de Mysorum vltimis contemtissimè loquuntur: Qua de re consulatur Caluino Turcismus lib. 1. cap. 5. pag. 46. Quanto verò loco ipsi haberi velint, satis declarant, cùm se *fideles Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Viuos sanctos, Doctores omnium Doctorum nuncupant.* Lutherus Tom. 2. Ienens. fol. 522. b. & fol. 79. a. Tom. 3. fol 334. a. Tom. 4. fol. 186. a. & 280. a. & 476. a. Tom. 5. fol. 398. a. b.

Lutheranorum de Luthero Vana iudicia.

Iam discipulis quis est Lutherus? *Omnia in omnibus.* Matthesius concio. 16 de Luthero p. 203. b. *supremus pater Ecclesiæ.* Ibidem concio. 8. p. 88. *Cui par Spiritu & fide, sapientia & intelligentia Veritatis nunquã toto orbe Christiano quisquã fuit, neq; erit.* Amsdorf. præfat. Tom. 1. Luth. *Verus Paulus, Verus Elias, Vir remoranda ira Dei sufficiens, cuius non puderet Augustinum esse discipulum.* Alberus contra Carolstadianos l. 7. b. D. 8. b. A. 1. b. Deniq; χριστοῦ στόμα, θεὸς τῆς θεολόγων solus θεολόγων θεολογώτατος. Michael Neander in explicat. partium orbis terræ, l. 8.

Philippi stulta Encomia.

Iam de Philippo quid? *Paulo is proximus, ne quãdo iactet aliquis Philippum esse Paulo superiorem vel æqualem: sufficit ei proximum Paulo esse.* Luth. præfat. Comment. Philip. in Epist. Rom. pag. 2. *Præ cuius explicationibus Hieronymus & Origenes meras nanias scribunt.* Luther ibidem: *cuius loci communes digni qui in canonem recipiantur.* Luth. Tom. 2. lat. VVittenb. de seruo arbitrio f. 457. De quo ipso libro sic *Stigelius* lib. 2. Poëmatum.

Explicet inuicti quod sic oracula Christi,
Nullum hoc in terris sanctius extat opus.

Caluini æstimatio.

Deniq; vt cæteros prætereã, quid Iohannes Caluinus? *optimus scripturæ interpres, quo nemo vnquã melius, prudentius, clarius, & illustrius de rebus diuinis & religione scripsit.* Beza in lib. Iconũ. R. 3. a.

Sed

Sed quid nos ad ista? indignabimur ne? Nihil minus.

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Iudicium inclitum de hac lite iudicauit Franciscus Stancarus lib. de Trinit. & Mediatore: *Ego*, inquit, *iudico vnum Petrum Lombardum pluris esse, quàm centum Lutheros, ducentos Melanchthones, trecentos Bullingeros, quadringentos Petros Martyres, & quingentos Caluinos: qui omnes si in mortario contunderentur, non exprimeretur vna vncia vera Theologia, præsertim in articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, & Sacramentis.* *Stancari sententia.*

CAPVT XLIII.

Geminam adiicit Apostolicæ Sedis auctoritatem ad prophanas quasque nouitates extinguendas.

QVæ omnia licet cumulatè abundeque sufficerent ad prophanas quasque nouitates obruendas & extinguendas, tamen ne quid deesse tantę plenitudini videretur, ad postremum adiecimus geminam Apostolicæ Sedis auctoritatem: vnam scilicet *sancti Papæ Xysti*, qui nunc Romanam Ecclesiam venerandus illustrat: alteram prædecessoris sui beatæ memoriæ *Papæ Cælestini*, quam hic quoq; interponere necessarium iudicauimus. Ait itaque *Papa Xystus* in epistola, quam de causa Nestorii Antiocheno misit Episcopo: *Ergo*, inquit, *quia sicut ait Apostolus, fides vna est, quæ euidenter obtinuit dicenda, credamus, & tenenda credamus.* Tandem illa tenenda & credenda profe- *Xystus Papa cui successit Leo Magnus.*

quitur,& ait: *Nihil vltra*, inquit, *liceat Nouitati, quia nihil addi conuenit vetustati: Perspicua maiorum fides & credulitas nulla cœni permixtione turbetur.* Omninò Apostolicè: vt maiorum credulitatem perspicuitatis lumine ornaret: nouitias verò prophanitates cœni permixtione describeret. Sed &

Cælestinus Papa. Papa *Cælestinus* pari modo eademque sententia: Ait enim in *epistola*, quam Gallorum sacerdotibus misit, arguens eorum conniuentiam, quòd antiquam fidem silentio destituentes, prophanas nouitates exurgere paterentur. *Meritò*, inquit, *causa nos respicit, si silentio foueamus errorem. Ergo corripiantur huiusmodi, non sit iis liberum, habere pro voluntate sermonem.* Hic aliquis fortè addubitet, quinam sint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem: Vetustatis prædicatores, an Nouitatis adinuentores. Ipse dicat, & dubitationem legentium ipse dissoluat. Sequitur enim: *Desinat*, inquit, *si ita res est*, id est, si ita est, vt apud me quidam vrbes & prouincias vestras criminantur, quòd eas quibusdam nouitatibus consentire noxia dissimulatione faciatis: *desinat itaque*, inquit, *si ita res est, incessere nouitas vetustatem.* Ergo hæc fuit beati Cælestini beata sententia, non vt vetustas cessaret obruere nouitatem: sed potius nouitas desineret incessere vetustatem.

Conclusio generalis. Quibus Apostolicis Catholicisque decretis quisquis refragatur, insul-

insultet primum omnium necesse est memoriæ *sancti Cœlestini*, qui statuit vt *desineret incessere nouitas vetustatem*: deinde irrideat definita *sancti Xysti*, qui censuit, *ne vltra quidquam liceat Nouitati, quia nihil addi conuenit vetustati*: sed & beati *Cyrilli* statuta contemnat, qui venerandi *Caprcoli* zelum magna prædicatione laudauit, quod antiquæ fidei dogmata confirmari cuperet, nouitia verò adinuenta damnari, *Ephesinam* quoque *Synodum*, id est, totius penè Orientis sanctorum Episcoporum iudicata proculcet: quibus diuinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quòd sacrata sibique in Christo consentiens sanctorum Patrum tenuisset antiquitas, quique etiam vociferantes & acclamantes, vno ore testificati sunt, has esse omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes censere: vt sicut vniuersi ferè antè Nestoriũ hæretici, contemnentes vetustatem & asserentes nouitatem, damnati forent, ita ipse quoque *Nestorius* auctor nouitatis, & impugnator vetustatis condemnaretur. Quorum sacrosancto & cœlestis gratiæ munere inspirata consensio cui displicet, quid aliud sequitur, nisi vt prophanitatẽ Nestorii adserat nõ iure damnatã? Ad extremum quoq; vniuersam Christi Ecclesiã & Magistros ei⁹ Apostolos & Prophetas, pcipueq; tamen Apostolũ Paulum velut quædã purgamenta contẽnat: illã q̃ à religio-

religione colendæ & excolendæ semel sibi traditæ fidei nunquam recesserit: *O Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates.* Et itē: *Si quis vobis annunciauerit preterquam quod accepistis, anathema sit.* Quod si neque apostolica definita, neque ecclesiastica decreta temeranda sunt, quibus secundum sacrosanctam vniuersitatis & antiquitatis consensionem cuncti semper hæretici, & ad extremum *Pelagius, Cælestius, Nestorius*, iure meritoque damnati sunt, necesse est profectò omnibus deinceps Catholicis, qui sese ecclesiæ matris legitimos filios probare student, vt sanctæ sanctorum patrum fidei adglutinentur, immoriantur, prophanas verò prophanorum nouitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur. Hæc sunt ferè quæ *duobus Commonitoriis* latius disserta, aliquanto nunc breuius recapitulandi lege constricta sunt: vt memoria mea cui adminiculandæ ista confecimus, & commonendi assiduitate reparetur, & prolixitatis fastidio non obruatur.

ANALYSIS CAP. XLIII.

Postremum euitandæ Nouitatis argumentum repetit ex duplici Apostolicæ Sedis rescripto, *Papæ Xysti, & Cælestini*: de quibus satis perspicua textus verba.

Deinde vela contrahens generalem conclusionem facit, quotquot adhuc spreta sancta Catholicæ fi-

ex fidei antiquitate, ſtolidam nouitatem conſectentur, turpiter Pontificibus maximis, doctiſſimis Patribus, celeberrimis Conciliis, Apoſtolicis decretis, denique vniuerſo Chriſtiani orbis ſenſui & conſenſui reluctari, adeoque perfidè fide Chriſti deſerta, in odioſiſſima Neſtorii, Pelagii, Cœleſtii, aliorumque hæreticorum caſtra tranſire. Quam coronidem noſtris quoque nouatoribus hac ipſa ſocietate deuinctis hic ἀποφορήτων loco relinquo.

FINIS.

COMMONITORII VINCENTII contra hæreſes.

PRÆ-

PRÆSCRIPTIONVM ADVERSVS HÆRETICOS PERPETVARVM

TRACTATVS VI.

Qui eſt

EDMVNDI CAMPIANI SOCIETATIS IESV THEOLOGI, QVI non ita pridem pro Catholica Religione in Anglia mortem oppetiit, oblati certaminis in cauſa fidei Rationum Decas, reddita Academicis Angliæ.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

HActenus variis variarum ætatum Præſcriptionibus aduerſus vana hæreticorum περιπτώματα dimicauimus. Nunc vt coronidem huic operi imponamus, mantiſſam addamus vltimæ ætatis, ne ſubitò filum orationis noſtræ abrumpentes, hiulcam faciamus commentationem noſtram: ſed prima cohæreant mediis, media vltimis, atq; ita concordem nobis

nobis disciplinam Christi, concordiaque perpetuam persuadeant.

Locum autem hunc EDMVNDO CAMPIANO dabimus, Theologo Societatis IESV clarissimo, Martyri constantissimo, qui ex vitæ suæ instituto in Angliam missus, vt reliquiis Catholici gregis inter medios ibi lupos constanter perdurantis adipem frumenti Dei administraret: Memor causæ, memor temporum, ne prius fortè corriperetur, quàm auditus à quoquam esset, scripto protinus mandauit consilium suum, decemque rationibus tanquam euaginatis telis Academicos Anglicos ad certamen prouocauit, vt quid venisset, quid quæreret, quod bellum & quibus indicere cogitaret, non rumusculis, sed verbo ipsiusmet cognoscerent. Præclarum opus, ipsa sua breuitate solidum, & fasciculo quasi constringens latam Theologorum segetem, quam hactenus aliquot nos agris messuimus. Cui quod nihil neque analyseos, neque notarum adiectum vides lector, noli mirari. Ecquid enim lucerna opus in meridie? Vindicias fortè maluissemus, nisi iam ante hanc spartam *Iohannes Duræus Scotus Societatis IESV Presbyter*, splendidè copioseque ornasset. Liber is passim omnibus in manu: Videatur, legatur, iudicetur: patebit facilè, quàm inanes VVil-

VVilhelmi VVittackeri contra Campianum nostrum insultus fuerint. Nimirum ille huius Martyris nostri admirabilem fortitudinem, qui in ipsis hostium castris, hostes liberè ad certamen prouocare ausus fuerat, ægrè ferens, RATIONES IPSIVS non tam confutandas, quàm verborum tectorio, quo sic satis pollebat, denigrandas atque obliterandas suscepit: fuco tamen haud diuturno. Siquidem *Duræus* incrustationes eius non solum planè eruditeque resoluit, sed & viuis *Campiani* coloribus tantum penicillo suo attulit adiumenti, vt optanda magis quàm dolenda videatur aduersarii istius insultatio.

VITA

VITA
EDMVNDI CAMPIANI PRESbyteri Societatis IESV & Martyris.

EDMVNDVS CAMPIANVS *Londini* Angliæ honesto loco natus, anno 39. adoleuit iis temporibus, quibus *Henrico*, & mox *Eduardo* Regibus pristinę Ecclesię facies mutata, singulare quoddam schisma & discidium ab orbe reliquo concepit Anglia, & tenet in hunc diem. *Mariæ* successit *Elizabetha*. Tum ille penè illectus fama & honoribus, qui appromittebantur, atque ea tali tempestate concussus, ad se domum rediit: Et *Duacum* Belgiæ celebrem Academiam, atque inde *Romam* enauigauit. Neque diu fuit (quòd commotum semel animum Dei spiritus ageret) quum dignũ virtute sua (vt caneret de præteritis, & certam sibi spem reponeret in futuro) consilium cœpit. Adlegi petiit in eum *ordinem*, qui est *Societatis Iesu*. Humilitas, reuerentia, iudicium valuit apud peritissimos ingeniorum censores. Susceptus, adprobatus, & mox ab vmbra in aciem strenuus Christi miles eductus est. *Campianus Anglus.* *Fit Iesuita.*

Infecerat iam olim misso ex Anglia veneno Boëmiam *VVicleuus*. Ea mali vis nec tot annis resederat, mutatis nomini-

bus pullulabat in capita. Tali monstro par Hercules quærebatur. Scilicet ad hoc ab Anglia vulnus Anglicanus Achilles adhibitus, putido & chironio vlceri salutare vinum infudit. Vidit Boëmiæ Praga virum Apostolico spiritu: cuius incredibili facundiæ frequens ibi nobilitas, & ipse Cæsar testimonium dedit. Nec verò aliter potuit: Quod dictorum sanctitatem factorum constantia commendaret. Vnum hoc difficile iudicium; vtra in eo virtus maior: morum an scientiæ. Sed in medio cursu Romam euocatus, vt, cui debebat, se totum Patriæ impenderet; statim paruit. Promptus & expeditus ad non incertæ mortis periculum; Paucis diebus Remos, & mox Angliam attigit anno X X C. die festo sancti Iohannis Baptistæ.

Mittitur in Angliã.

Vbi cognouit omnia vir summi ingenii, & raræ prudentiæ, Christianis & apertis consiliis nullum vidit ibi reliquum locum, nec verò sibi defuit, quin tanquam nuncius propinquæ reconciliationis, magnam Insulæ partem percurreret cooperante Deo Ecclesiæ & Ministro suo ad salutem animarum.

Sed quia latere diu vel euadere tot oculos, manus, insidias, contra spem erat; Supererat, vt famæ consuleret, relictis vestigiis, quæ tutò insisterent successores. Dige-

Digerit in schedam certos articulos, qui, quid venissent, audiri petit, & certamen institui de controuersis dogmatibus loco publico, præsentiam spondet, sperat victoriam. Eius exemplar apud amicum reliquerat, qui nec consulto Campiano sparsit. Acclamat populus, ringuntur aduersarii, fremit Curia: Emittuntur qui vestigent, odorentur, comprehendant. Super his extat Epistola eruditiss. Viri ad *Mercurium* Generalem: quæ, vt in magno strepitu, metu & motu scripta, illius prompti & diuini ingenii opes ostentat & copias. Igitur quum circum omnia trepidarent, & penè ipsis ceruicibus imminentes gladios cerneret, putauit vir humanissimus, etiam infirmorum suspicionibus occurrendum: qui aliqua iudicii leuitate, vel aduersariorum susurris inducti, illam *prouocationem superbiam* interpretarentur. Ita hoc opusculum inscripsit Academicis Angliæ, & in eo rationes decem: quæ singulis & omnibus argumentis, quæ obiici possunt, adhibitæ Catholicæ fidei veritatem demonstrant. Dignum professione sua opus, Spiritu, martyrio. Miseri nos, quibus ille iam nihil amplius scribit: Quos erigere tale ingenium & excitare potens erat ille felix, qui ad extremum seruus bonus & fidelis in hac Dei domo inuentus est, cui viuo & mortuo innocentiæ fama con-

Scribit rationes decem.

 stitit.

Bodinus. ſtitit. Ait enim Io. *Bodinus* (de cuius fide nihil hic dicimus, certè Catholicus non eſt) ſe præſentem cum Franciſco Andium duce Londini tum fuiſſe; *& oratione habita ad Reginam & optimates ac ſenatores* omnem vim procul habendam cenſuiſſe; *Cùm de Campiano*, inquit, *Ieſuita, deque Catholicis quæſtiones capitales haberentur*, quod auſus in aliena republica Bodinus nunquam fuiſſet, Si non ſtatum cauſæ habuiſſet exploratum. Bone Ieſu quanta tibi cura de tuis? quàm vbique conſulis Eccleſiæ, & ſelectis in ea membris tuis? vti ne nos infirmi, infelices, atque his nouiſſimis temporibus nimium faciles, aliquid ſuſpicemur quod Campianum, tales & tantos viros, iam planè beatos, & tecum in cœlo regnantes, lædere non poſſit, nos poſſet offendere, & illud charitatis vinculum, quo Catholici communicamus.

Martyriũ Campiani. Igitur deprehenſus in iis officiis, quibus immori debuit vir ſanctiſſimus, Londini demum non vno modo martyr, quum eos omnes, qui conferre poſt eculeos & tormenta de religione non erubuerant, luculenter conuiciſſet, publico iudicio damnatus, CATHOLICÆ fidei reus, anno XXCI. menſis Decembris die prima caſtum & innocentem ſpiritum Domino creatori reddidit. Apparuit mox Dei gratia, & ab illius ſanguine, tanquam fundamento

mento bonæ fidei, maior spes Catholicis, maior animus, & nouus quotidiè in hoc Theatro miles, hoc tali perpetuo sacrificio Domini opem implorat, & sine dubio inueniet.

EPISTOLA

EDMVNDI CAMPIANI Sacerdotis Societatis IESV ad Reginæ Angliæ Consiliarios, qua professionis suæ in Angliam institutum declarat, & aduersarios ad certamen prouocat, ex Anglico sermone latinè reddita.

QVandoquidem, Viri ornatissimi, è Germania & Bohemia reuocatus, non sine ingenti vitæ meæ periculo, in hoc florentissimum *Angliæ* regnum, dulcissimam patriam meam, tandem aliquando perueni, pro superiorum meorum voluntate Dei gloriam & animarum salutem promoturus; Verisimile esse putaui, me turbulento hoc, suspicioso, ac difficillimo tempore, siue citius, siue aliquanto tardius, in medio cursu abreptum iri. Quapropter ignarus, quid de me futurum sit, *Cum Dei permissu in carceres & vincula fortè detrudendus sim*; ad omnem euentum scriptum hoc condidi: quod vt legere, & ex eo causam meam cognoscere velitis etiam atque etiam rogo; fiet enim, vt hac re

non paruo labore liberemini, dum quod multis ambagibus inquirere vos audio, id totum aperta confessione liberè expromo.

Atque vt rem omnem, quo melius & intelligi, & memoria comprehendi queat, compendio tradam, in nouem omnino capita eam dispertiar.

Profitetur quis sit. 1. Profiteor me, quamuis indignum *Ecclesiæ Catholicæ sacerdotem*, & iam octo ab hinc annis magna Dei misericordia in societatem *nominis IESV* cooptatum, peculiare quoddam belli genus sub *obedientiæ* vexillo suscepisse, ac simul me omni diuitiarum, honorum & aliorum huiusmodi bonorum spe, & habendi potestate abdicasse.

Cuius mādata Generit. 2. Generalis præpositi nostri decreto (quod ego tanquam mandatum cœlitus missum, & à Christo ipso sancitum veneror) Praga Romam, vbi generalis nostri perpetua sedes est. Roma deinde in *Angliam* contendi, qua animi alacritate etiam in quamcumque aliam orbis terrarum partem, siue ad Christianos siue ad infideles profectus fuissem, si me ad eam profectionem superiores mei designassent.

Qua fine. 3. Negotium mihi commissum tale est, vt gratis Euangelium prædicem, Sacramenta administrem, rudes in fide instituam, flagitiosos à scelere ad meliorem vitæ ra-

tæ rationem traducam, errores conuellam, &, vt summatim omnia complectar, pugnæ spiritualis signum tuba canam, atque alacriter aduersus fœda flagitia & superbam ignorationem, qua innumeri ciues mei, quos intimis animi visceribus complector, oppressi iacent, depugnem.

4. Nunquam mihi animus fuit, imò & à patribus qui me miserunt, seuerè prohibitum mihi est, vt ne Reipubl. ac politicæ huius regni administrationis negotiis me immisceam; nam & aliena hæc sunt à vocationis meæ instituto, & ab iis animum cogitationesque meas libenter auoco. *Purgat se à suspicione coniurationis aut rebellionis.*

5. Quamobrem vestra clementia fretus, ad gloriam DEI tria non minus æqua, quàm ab omni pacis & tranquillitatis Reipubl. perturbatione aliena concedi & permitti mihi humilimè postulo. *Petit audiri.* *Primum est*, vt dominationes vestræ me pro sua & Reipubl. dignitate de religione modestè disserentem audire non grauentur. *Alterum* quod & cum primis desidero, & maximi momenti esse arbitror; vt mihi liceat in consessu doctorum, Magistrorum, & vtriusq; Academiæ Virorũ insignium, sacrosanctæ Theologiæ professorum, verba facere. Promitto me Catholicæ Ecclesiæ fidẽ inuictis rationibus, & sacrarũ

ſcripturarum, Conciliorum, Patrum, atque hiſtoriarum auctoritate, ac denique ex ipſa tum naturali, tum morali Philoſophia efficaciter demonſtraturum & defenſurum. *Tertium*, vt audiar ab vtriuſque iuris ſiue Canonici ſiue Ciuilis peritis, quibus eandem fidei veritatem, legum; quæ etiam num vigent & dignitatem ſuam retinent, teſtimonio atque auctoritate comprobabo.

Remouet ſuſpicionē arrogantia.

6. Nollem equidem quicquam proferre, quod inſolentem prouocationem aut arrogantiam aliquam præ ſe ferret, cùm & mundo mortuus iam ſim, & ex animo paratus promptuſque, vt me ad cuiuſuis pedes abiiciam, ac veſtigia etiam exoſculer.

Tantus enim animus mihi eſt pro gloria & maieſtate regis mei Ieſu amplificanda, tanta in eius fauore, fiducia, tanta denique in cauſæ æquitatè & firmiſſimorum argumentorum ac probationum robore confidentia (cùm certò ſciam nullum Proteſtantium, nec omnes ſimul iunctos, nec vllam aduerſariorum factionem, quantumuis imperitam multitudinem & Grammaticos quoſdam adoleſcentulos, apud quos inſigniter debachantur, in errorem inducant; poſſe dogmata ſua diſputatione aut tueri aut probare) vt cũ illis omnibus, vel cum eorũ quolibet, vel cũ anteſignanis

ex omni illorum numero delectis, vltrò me offeram congressurum, bona fide protestans, eò mihi gratius fore certamen, quo melius instructi accesserint.

7. Et quoniam Dominus Deus *Dominam meam Reginam*, eximiis naturæ, eruditionis, ac regiæ educationis dotibus exornare voluit, si sua maiestas huiusmodi auditionem, qualem in quinto articulo secundo loco efflagitaui, sua regali præsentia & benigna attentione cohonestare dignaretur, sperarem sanè, me articulos cõtrouersos optima methodo & perspicuis argumentis ita illustrare, atque ab omnibus fallaciarum inuolucris, quibus constricti sunt, explicare posse, vt zelo veritatis & amore, quo sua maiestas populum complectitur, non mediocriter eius animum inclinarem, cùm ad plurimas res, quæ regno suo nõ parum detrimenti adferunt, damnandas & reiiciendas, tum ad nos Catholicos miserè iam diu oppressos, maiore æquitate prosequendos. *Regina præsentiam inter disputandũ optat.*

8. Neque verò dubium mihi est, quin vos ornatissimi Consiliarii S. M. cum in maximi momenti negotiis præclarè ac sapienter agere soleatis, vbi has de fide controuersias, quas aduersarii nostri non sine fuco & confusè plerunque pertractant, bona fide detectas, & fuco nudatas perspexeritis, luce meridiana clarius cognituri sitis, quàm firmis & solidis fundamentis fi- *Consiliarios ad præsentiam, et piam causa considerationem hortatur.*

des Catholica nitatur. Et quia è contrario protestantium argumenta sunt omninò friuola & infirma, quæ temporis iniquitate vim aliquam contra nos habere putantur, futurum spero, vt vestrarum animarum & innumerabilium aliarum, quæ à vestro nutu & exemplo pendent, miserti, ab huiusmodi falsorum dogmatum architectis & doctoribus facies vestras animumque ipsum auertatis, ac nobis, qui vitam nostram pro vestra salute alacriter profundere parati sumus, æquiori & magis propitia mente auscultetis. Multæ innocentes manus quotidiè & sine intermissione pro vobis in cœlum attolluntur. Hæc in vos studia sunt eorum Anglorum, qui in prouinciis transmarinis, nunquam interituræ posteritatis patres, virtuti & eruditioni acquirendæ dant operam, omninoque secum *statuerunt à salute vestra promouenda non prius absistere, quam vel animas vestras Christo lucrifecerint, vel lanceis vestris confixi generosè occubuerint.* Et quidem quod ad societatem nostram attinet, velim sciatis, omnes nos, qui sumus de *Societate IESV* per totum terrarum orbem longè lateque diffusi (quorum continua successio & multitudo omnes machinationes vestras Anglicas facilè superabit) sanctum fœdus iniisse, vt cruces, quas nobis iniicietis, magno animo feramus, neque vnquam de vestra salute

Patrum societatis Iesu studium in Anglos.

lute desperemus, quandiu vel vnus quispiam è nobis super erit, qui *Tiburno* vestro fruatur, atque suppliciis vestris excarnificari, carceribusque squalere, & consumi possit. Iam pridem inita ratio est, diuinique numinis auspicio inchoatum certamen, nulla vis, nullus impetus aduersariorum superabit. *Hac ratione consita & tradita olim fides est, eadem in pristinam dignitatem reuocari & restitui debet.* *Est hic locus supplicii.*

9. Quod si hoc scriptum meum, quod offero, reiiciatur, nec beneuoli conatus mei quidquam possint efficere, & pro itinere multorum millium miliarium vestri causa suscepto, ingratum animum experiar, id vnum agendum supererit, vt nos causamque meam omnipotenti Deo scrutatori cordium commendem: quem quidem ex animo *precor*, vt nobis tantisper gratiam suam impertiri velit, qua ante extremum remunerationis diem in vnam sententiam conspiremus: & vt sic tandem aliquando in cœlo, vbi nulla erit iniuriarum memoria, sempiterna amicitia perfruamur.

EPI-

EPISTOLA

EDMVNDI CAMPIANI AD R. P. Euerhardum Mercurianũ Præpositum generalem Societatis Iesu, qua, postquam in Anglia menses aliquot egisset, statum Ecclesiæ Anglicanæ suorumq; laborum fructum exponit, ab ipso authore latinè scripta.

POstquàm diuina fretus misericordia, quintum iam mensem in his locis dego, R. P. putaui faciundum, vt qui status rerum sit, quique videatur futurus, literis exponerem. Aues etiam scire, sat scio, cùm pro communi solicitudine, tum pro tuo in me amore, quid agam, quid sperem, quidue proficiam. Priora scripseram *Audomaropoli*, quæ deinceps consecuta sunt, paucis accipe.

Iter. Dei consilio factum interpretor, vt cùm dies ipsos quatuor ventos secundos expectassem, quinto demum qui festus *Iohan. Baptistæ* fuit, diuo tutelari me, ocui causam iterque sæpè commendaueram, vesperi nauigarem. Postridiè summo mane *Dorobernium* appulimus, homulus meus & ego. *Periculum.* Ibi minimum abfuit quin caperemur: coram prætore ciuitatis iussi comparuimus: Ille multa coniectat, nos esse qui eramus: hostes hæreticarũ partium, amantes auitæ fidei, dissimulasse nomina, religionis

causa

causa domo abfuisse, eius propagandæ studio rediisse. Vnum vrgebat, *Alanum* esse me, quod quidem ego iureiurando, si opus esset, interposito me negaturum profitebar. Tandem decernit, idque crebrò repetit, cum certa custodia, ad regni proceres transmitti oportere. Neque scio, quis illi nouam mentem iniecerit, præter Deum, cui tacitus intereà supplicabam, *D. Ioanne* adhibito precatore, cuius auspiciis eò perueneram. Repentè prodit senex, cui Deus bene faxit. *Placet*, inquit, *vos dimitti*. Valete. Auolauimus. Hæc & his similia, quæ hîc experior, cùm apud me reputo, confirmor in sententia, comprehensum iri, cum ea res ad maiorem Dei gloriam spectabit, non prius.

Londinum venit.

Londinum attigi. Duxit me bonus Angelus nescientem in eandem domum, quæ P. antea *Robertum* exceperat. Accurrunt nobilissimi iuuenes, vestiunt, ornant, armant, emittunt ex vrbe. Partem aliquam regionis *obequito* penè quotidie. Ingens omnino messis est. Sedens in equo meditor conciunculam, quam ingressus in domum perpolio. Deinde si qui me adeunt, colloquor, aut confitentes audio. Mane peracto sacro, verba facio. Aures afferunt sitientes, Sacramenta percipiunt frequentissimi.

Sacra dispensat Catholicis.

In iis administrandis passim iuuamur à sacerdotibus, quos vbiq; reperimus. Ita fit vt & populo satisfiat, & hæc prouincia minus

Existimatio Patrum in Anglia. minus laboriosa nobis reddatur. Presbyteri nostrates ipsi doctrina & sanctimonia præstantes, tantam opinionem nostri ordinis excitarunt, vt venerationem, quam nobis exhibent Catholici, non nisi timidè commemorandam, existimem. Quo magis videndum est, vt *subsidiarii*, quibus nunc maximè indigemus, eiusmodi sint, qui hæc omnia probè sustentent. Ante omnia concionibus habendis exerceantur. Diu euadere manus hæreticornm non possumus: tot oculi, tot ora, tot hostium insidiæ.

Habitus Campiani. Habitu dementissimo sum, quem sæpè commuto, itemq; nomina. Lego ipse literas in quarũ prima pagella scribitur: *Campianus captus est.* Hoc iam ita decantatum circumsonat aures meas quocunque venio, vt mihi *timor ipse timorem excusserit.* Anima mea in manibus meis semper. Hoc afferant meditatum, qui supplementi gratia mittentur.

Verum quæ solatia in hoc negotio miscentur, ea non solùm formidinem pœnæ, sed etiam pœnas quaslibet, infinita dulcedine cõpensant. Conscientia pura, robur inuictũ, ardor incredibilis, opera insignis, numerus innumerabilis, summi, medii, infimi, omni ætate & sexu. Hic inter ipsos hæreticos, si qui sunt paulò æquiores, prouerbium inoleuit, *Catholicos esse, qui argentum resoluant quod debent*: Adeoque si qui Catholici

tholici iniuriosius quempiam tractant expostulatur eo nomine, quod à talibus minime isthoc fieri conueniat.

In summa, hæresis pessimè audit apud omnes, *nec vllum genus hominum vulgò vilius, aut putidius est ipsorum ministris.* Meritò indignamur, in tam perdita causa, homines tam indoctos, tàm sceleratos, tàm dissectos, tàm abiectos, cultissimis ingeniis dominari.

Ministri vilissimum hominum genus.

Circumferuntur in nos *edicta* minacissima, cautione, & bonorum precibus, & quod caput est, diuino munere. Incolumes bonam insulæ partem peruasimus. Plerosque video, oblitos sui de nobis esse solicitos. Quiddam iis diebus acciderat, quod non speraram Dei voluntate.

Posueram in scripto, articulatè causas & postulata quædam æquissima. Fassus me Presbyterum societatis, hoc animo venisse vt amplificarem fidem Catholicam, docerem Euangelium, administrarem Sacramenta, petebam à Regina & regni principibus audientiam, & aduersarios ad certamen prouocabam. Decreueram penes me vnum exemplar tenere, vt mecum ad iudices raperetur: alterum amico commiseram, vt si me meumque prenderent, illud continuò spargeretur. Amicus nō celauit, edidit, teritur, aduersarii insaniunt. Pro suggestu respondēt, se quidē cupere, Reginā nolle, rebus iā cōstitutis amplius disputare.

Casus Rationum Campiani.

Nos

Nos lacerant maledictis. Seditiosos, hypocritas, etiam hæreticos appellant, quod maximè ridetur, populus ea re noster est. Mirificè nobis hoc erratum profuit, si iubemur fide publica, dabimus nos in curiam. Sed nihil minus cogitant.

Martyres Catholici in Anglia. Omnes custodiæ nostræ refertæ sunt Catholicis, nouæ parantur. Nunc demum apertè pronuntiant, satius esse paucos internecioni dedere proditores, quàm tot animas prodere. De suis martyribus iam tacent. Superamus enim causa, numero, dignitate, opinione omnium.

Afferimus pro aliquot Apostatis aut sutoribus exustis, Episcopos, Regulos, Equites, antiquissimam nobilitatem, spectacula doctrinæ, probitatis, prudentiæ, lectissimam iuuentutem, matronas illustres, reliquos fortunæ mediocris, planè extra numerum, omnes aut semel, aut quotidiè cōsumptos. Dum hæc scribo, immanissima sæuit persecutio. Mœsta domus. Nam aut mortem suorum prædicant, aut latebras, aut vincula, aut rapinam bonorum: tamen pergunt animosè. Etiam nunc plurimi restituuntur Ecclesiæ, nouitii milites dant nomina: Veterani sanguinė profundunt. Hoc sacro cruore iisque hostiis promerebitur DEVS, & sine dubio breui vincemus. Vides ergo R. P. quantopere vestris sacrificiis & precibus & cœlesti auxilio egeamus.

Erunt

Erunt in Anglia, qui curent salutem suam, erunt qui prouehant alienam: Irascatur homo, sæuiat Dæmon. Tamdiu hæc Ecclesia consistet, dum pastores ouibus nō deerunt. Impedior præsentissimi rumore periculi, ne plura hoc tempore. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Vale.

EDMVNDVS CAMPIANVS
DOCTISSIMIS ACADEMICIS,
Oxonii florentibus & Cantabrigiæ,
S. P. D.

ANNO PRÆTERITO, CVM ex instituto vitæ meæ, iussus in hāc Insulam remeâssem, clarissimi viri, offendi sanè fluctus haud paulò sæuiores in Anglicano littore, quàm quos in Oceano Britannico recens à tergo reliqueram. Mox interiorem in Angliam vbi penetrassem, nihil vidi familiarius, quàm inusitata supplicia: nihil certius, quam incerta pericula. Collegi me vt potui, memor causæ, memor temporum. Ac ne priùs fortè corriperer, quàm auditus à quopiam fuissem, scripto protinus mandaui consilium meum, qui venissem, quid quærerem, quod bellum, & quibus indicere cogitarem. *Autographon* apud me habui, vt mecum, si caperer, caperetur: *Exemplum* eius apud a- *Rationes cur scripserit.*

Tt micum

Rationes quomodo diuulgata. micum deposui, quod, me quidem nesciente pluribus communicatum est. Aduersarii publicatam schedulam atrociter acceperunt, cùm cętera, tùm illud inuidiosissimè criminantes, quod vnus omnibus in hoc religionis negotio certamen obtulissem: quanquàm solus in acie non eram futurus, si fide publica disputassem. *Aduersariorum animus.* Responderunt postulatis meis, *Hanmerus & Charcus.* Quid tandem? Otiosè omnia. Nullum enim responsum præter vnum honestè dabunt: *Conditiones amplectimur, Regina spondet, aduola.* Interea clamant isti: *Sodalitium tuum, seditiones tuas, arrogantiam tuam, proditorem sine dubio, proditorem*, Ridiculè. Operam & oleum & famam homines non insipientissimi cur profundunt? Verùm his duob. (quorum prior animi causa meam chartam delegit, in quam incurreret: alter malitiosus totam rem conuoluit) præbitus nuper est *libellus* admodum luculentus, qui quantum oportuit, tantum & de societate nostra, & de horum iniuriis, & de prouincia quam sustinemus, edisserit. Mihi supererat (quoniam vt video, *tormenta non scholas* parant antistites) ratione facti mei vobis vt probarem: capita rerum, quæ mihi tantum fidentiæ pepererunt, quasi digito fontes ostenderem: vos etiam hortarer, quorum interest præter cæteros, incumbatis in hanc curam, quam à vobis Christus, Ecclesia

clesia, Respublica, & vestra salus exigunt. Ego si fretus ingenio, literis, arte, lectione, memoria peritissimũ quemquã aduersariũ prouocaui, fui vanissimus & superbissimus, qui neq; me, neq; illos inspexerim: sin causam intuitus existimaui satis me valenté esse, qui docerẽ *hunc solẽ meridie lucere*, debetis mihi feruoré istum concedere, quem honor IESV CHRISTI Regis mei, & inuicta veritas imperârunt. Scitis *M. Tulliũ* in *Quintiana*, cùm ei *Roscius* victoriam adpromitteret, si efficeret argumentis, *septingenta millia passuum non esse decursa biduo*, nõ modò nihil veritũ articulos & neruos *Hortẽsii*, sed ne grandiores quidé Hortensio, *Philippos*, & *Cottas*, & *Antonios*, & *Crassos*, quibus maximam dicendi gloriam tribuebat; metuere potuisse. *Est enim quædam veritas tam illustris & perspicua, vt eam nullæ verborum rerumue præstigiæ possint obruere.* Portò liquidius est quod nos agimus, quàm illa fuit hypothesis Rosciana. Nam si hoc præstitero, cœlos esse, sanctos esse, fidem esse, Christum esse, causam obtinui. Hic ergo non sim animosus? Equidem occidi possum, superari non possum. Iis enim doctoribus insisto? quos ille Spiritus erudiit, qui nec fallitur, nec vincitur. Quæso à vobis, vt salui esse velitis. A quibus si hoc impetrâro, reliqua minimè dubitanter expecto. Date modò vos huic sollicitudini,

Quæ fiducia certamen obtulerit.

Exemplum Ciceronis.

Facilitas causæ.

Hortatio.

Christum obtestamini, industriam adiungite, profectò sentietis id, quod res est, aduersarios desperare, & nos tam solidè fundatos, quieto, magnoq; animo hanc arenam expetere oportere. Breuior hîc sum, quòd reliquo sermone vos alloquor. Valete.

RATIONVM CAPITA.

1. SACRÆ LITERÆ.
2. SACRARVM LITERARVM SENTENTIA.
3. NATVRA ECCLESIÆ.
4. CONCILIA.
5. PATRES.
6. FIRMAMENTA PATRVM.
7. HISTORIA.
8. PARADOXA.
9. SOPHISMATA.
10. OMNE GENVS TESTIVM.

RAT-

RATIONES OBLATI CERTAminis reddita Academicis Angliæ.

PRIMA RATIO.

SACRAE LITERAE.

CVm multa ſunt, quæ aduerſariorum diffidentiã in cauſa loquuntur: tùm nihil æquè, atque *ſanctorum maieſtas Bibliorum fœdiſſimè violata.* Etenim qui, poſteaquam reliquorum teſtium voces & ſuffragia contempſerunt, eò ſunt redacti nihilo ſeciùs, vt ſtare nequeant, niſi diuinis ipſis codicibus vim & manus intulerint: ii ſe profectò declarant extrema fortuna confligere, & rebus iam deſperatis ac perditis experiri duriſſima velle atque vltima. *Manichæis* quid cauſæ fuit, vt *Euangelium Matthæi & acta reſigerent Apoſtolica?* [a] Deſperatio. His enim voluminibus cruciabantur, & qui Chriſtum negauerãt prognatum de virgine, [b] & qui Spiritum Chriſtianis tum primo cælitus illapſum finxerant, quum ipſorum Paracletus, Perſa nequiſſimus, erupiſſet. Quid *Ebioniis*, vt *omnes Pauli repudiarent epiſtolas?* [c] Deſperatio. His enim ſuam dignitatem retinentibus, antiquata circumciſio eſt, quam iſti reuocauerant. Quid [d] *Luthero*, vt *Epiſtolam Iacobi contentioſam, tumidam, aridam, ſtramineam,* flagitioſus apoſtata nominaret, & indignam Spiritu cenſeret

Cædes ſcripturarum per hæreticos.

Vide ſupra pag. 116.

Manichæi.

a *Aug. lib. 28. contra Fauſt. c. 2. & de Vtil. cre. cap. 3.*

b *Matth. 1. v. 23. Actor. 2.*

Ebionitæ.

c *Iren. l. 1. cap. 26.*

Lutherus.

d *præfa. in epiſt. Iac. Vide etiam li. de capti. Babi. cap.*

ſeret Apoſtolico? Deſperatio. Hoc enim Scripto confoſſus miſer atq; diruptus eſt, [a] cùm in ſola fide iuſtitiã conſtitueret. Quid Lutheri catulis, vt Tobiã, Eccleſiaſticũ, Machabæos, & horũ odio cõplures alios [b] eadẽ calumnia comprehenſos, è ſyncero canone repentè diſpungerent? Deſperatio. His enim oraculis diſertiſſimè coarguũtur, quoties de angelorũ [c] patrocinio, quoties de [d] arbitrii libertate, quoties de fidelibus [e] vita defunctis, quoties de ſanctorũ [f] hominũ interceſſione diſputant. Itane verò? Tantũ peruerſitatis, tantũ audaciæ? cùm Eccleſiam, Cõcilia, Cathedras, Patres, Martyres, Imperia, populos, leges, Academias, hiſtorias, omnia vetuſtatis & ſanctitatis veſtigia conculcaſſent, ſcripto Dei verbo tantum cõtrouerſias velle dirimere proclamâſſent, illud ipſum verbũ quod ſolum reſtiterat, exſectis è totó corpore tam multis, tam bonis ſpecioſis partibus delumbaſſe? [g] Septem enim ipſos de veteri teſtamẽtó codices, vt minuta diſſimulẽ, Caluiniani præciderũt: [h] Lutherani verò etiã Epiſtolã Iacobi, & huius inuidia quinq; alias, de quibus aliquando fuerat & alicubi cõtrouerſum. His quoque libellũ Heſteris, & tria penè capita Danielis annumerant nouiſſimi [i] Geneuenſes quæ quidẽ Anabaptiſtæ iſtorũ condiſcipuli iam pridem damnauerant atq; deriſerant. Quantò modeſtiùs [k] Auguſtinus, qui ſacroſanctum

de extr. Bull. & cent. 2. Magdeb pa 58.

[a] Iac 2. v. 14. & ſeq.

[b] Bibl. Geneuenſ.

[c] Tobia 12. v. 12.

[d] Eccl. 15. v. 17. 18.

[e] 2. Mac. 15 v 4.

[f] 2. Mac 15. v. 12. 14

Libri x V. T. expũcti. Hi ſunt, Baruch. Tobias. Iudith. Sapientia. Eccleſiaſt. duo Mac.

[h] Ex nouo teſt. Epi. Iacob. Epi. ad Hebr. Epiſt. Iudæ. Epiſt. 2. Pet. Epi. 2 & 3. Ioan. Ita cenſent Lut in praf. Citat a Mag. cen 1. li. 2. cap 4 Kemn. Exa. conil. Trid. Seſ. 4.

[i] Biblia Geneuenſ. [k] De doct. Chriſt. lib. 2. cap. 8.

sanctū catalogum pertexens, non sibi, neque Alphabetū Hebraicū, vt Iudæi, neque priuatū Spiritū, vt Sectarii, pro regula posuit: sed illum Spiritū, quo totū corpus Ecclesiæ Christus animat; quæ quidē Ecclesia custos huius depositi, non magistra (ꝙ hæretici cauillantur) thesaurum hunc vniuersum, quem a *Tridentina Synodus* est amplexa b vetustissimis olim conciliis publicitus vendicauit. Idem c *Augustinus* de vna scripturarum particula speciatim disserens, inducere in animum non potest librum *Sapientiæ*, qui iam tum Ecclesiæ calculo, temporū serie, priscorū testimonio, instinctione fideliū, vt firmus & Canonicus, robur obtinuerat, cuiusquā temeritate vel susurro, extrudi extra canonē oportere. Quid ille nunc diceret, si viueret in terris, & Lutheros Caluinosq; concerneret opifices Bibliorum; qui sua lima politula & elegantula vetus nouūq; Testamētum raserint, neq; *Sapientiā* tantùm, sed & alia permulta de Canonicorum librorum ordine segregauerint: vt quidquid ex horū officina non prodierit, illud ab omnib9, phrenetico decreto, tanquam incultum & horridū conspuatur? Ad hoc tam dirum, & execrabile perfugium qui descenderint, ii certè, licet in ore suorum assectarum volitent, Sacerdotia nundinentur, declamitent in concione, ferrū in Catholicos equuleū, crucemq; consciscant, tamē victi, abiecti,

a Seß. 4.
b Vide Melchi. Can. l. 2. De locis Theol. c. 9. 10. 11.
c De præd. Sanctor. ca. 14. Liber Sapientiæ.

squalidi, prostrati sunt: quandoquidem arrepta virgula censoria, velut arbitri sedentes honorarii, diuinas ipsas tabulas, si quæ ad stomachum non fecissent, obliterant. Ecquis est, vel mediocriter institutus, qui talium cuniculos hostium reformidet? qui hostes, quamprimum in corona vestra eruditorum hominum, ad eiusmodi veteratorias artes tanquam ad familiarẽ dæmonem currerent, non aurium conuitio, sed strepitu pedum exciperentur. Quærerem ab illis, verbi gratia, *quo iure corpus Biblicum detruncent* atque diripiant. *Respondent*, non se veras scripturas exscindere, sed excernere suppositiias, quo iudice? Spiritu sancto. Hoc enim responsum à *Caluino* præscribitur, vt Ecclesiæ iudicium, quo Spiritus examinantur, subterfugiat. Cur igitur alias alii lancinatis, cùm omnes eodem Spiritu gloriemini? *Caluinianorum* Spiritus recipit sex epistolas, quæ Spiritui non placent *Luthrano*: freti tamen vterq; sancto Spiritu. *Anabaptista*, historiam Iobi fabulam appellant, tragicis & comicis legibus intermixtam. Quî sciunt? Spiritu docente. *Castalio* mysticũ illud Salomonis *Canticũ*, quod, vt Paradysũ animæ, vt manna reconditũ, vt opiparas in Christo delicias Catholici admirãtur, nihilo pluris, quam *Cantilenam de amicula, & cũ pedissequis aulæ colloquiũ amatoriũ*, venereus furcifer, æstimauit. Vnde hausit? à Spiritu. In *Apocalypsi* Ioannis, cuius

Exceptio.

Instit lib. 1. cap. 7. §. 4. & 5.

Contra dictamen Spiritus.

Iobi liber. Xist. Senes. lib 8. hæresi 10.

Canticum Cant. præfat. in Cantic. Vide Bez in sua præf. ante Com. Calu. in Iosue.

Apocalyps.

cuius omnes apices excelsum aliquid & magnificum sonare confirmat [a] Hieronymus, tamen [b] Lutherus & Brentius, & [c] Kemnitius quiddam nescio quid difficiles Aristarchi desiderant, eò scilicet propendentes, vt exauctoretur, quem percontati? Spiritum. *Quatuor Euangelia* feruore præpostero [d] Lutherus inter se comittit, & prioribus tribus Epistolas Pauli longè præferens, vnicum deinceps *Euangelium Ioannis*, pulchrum, verum, præcipuum decernit esse nominandum, quippe qui, quod in ipso fuit, libenter etiam Apostolos suarum rixarum socios adscripsisset. quo doctore? Spiritu. Quin etiam iste fraterculus non dubitauit [e] *Euangelium Lucæ* petulanti stylo perstringere, quod in eo crebrius bona nobis virtutum opera comendentur: quem interrogauit? Spiritum. [f] *Theodorus Beza* verbum illud arcanum ex Lucæ vigesimo secundo capite. *Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui (calix)* [g] *pro vobis fundetur:* ausus est vt corruptum vitiatumque traducere, quòd hęc oratio nullam expositionem nisi de vino calicis conuerso in verum Christi sanguinem patiatur. quis indicauit? Spiritus. Denique cùm omnia credant suo quisq; Spiritui, nomen sancti Spiritus horribili blasphemia mentiuntur. Qui sic agunt, nonne se produnt? nonnè facilè refutantur? nonne in consensu talium virorum, quales estis Academici, te-

[a] *Epist. ad Paulin.*
[b] *Præfat. in Apocal.*
[c] *In Exam. Conc. Trid. sess. 4.*
Euangelia.
[d] *Præfa. in no. test. Germ.*
[e] *Luther. serm. de Pharis. & Publ.*
[f] *In Lucæ cap. 2 20.*
[g] ποτήριον ἐκχυνόμενον.

ci, tenentur ac minimo negotio constringuntur? Cùm his ego timeam pro fide Catholica disputare, qui pessima fide voces non humanas, sed æthereas tractauêre? Nihil hic dico, quæ vertendo peruerterint, quamuis intollerabilia sint quæ accusem. *Gregorio Martino* scientissimo linguarum collegæ meo, qui doctiùs & pleniùs hoc præstabit, nihil præripio, nec aliis, quibus id laboris esse iam præ manibus intellexi. Facinorosius crimen est ac tetrius, quod nunc persequor: Inuentos esse *doctorculos*, qui temulento quodam impetu in cœleste chirographum inuolârint. Idipsum pluribus locis, vt maculatum, vt mancũ, vt falsum, vt surreptitium condemnârint: eius partes aliquas correxerint, aliquas corroserint, aliquas euulserint: Hinc omne propugnaculum quo muniebatur, in *Lutheranos* spiritus tãquam in valla phantasmatum pictosq; parietes commutarint: ne prorsus obtumescerent, quum in scripturas erroribus suis infestas impingerent, quas nihilo commodius expedire, quàm sorbere fauillas aut saxa mandere potuissent.

Versiones hæreticorũ.

Conclusio.

Hæc ergò mihi prima ratio vehemẽs & iusta fuit, quæ vbi partes aduersarias vmbraticas, & fractas ostendisset, animum sanè addidit viro & Christiano, & in his studiis exercitato, pro sempiterni Regis diplomate aduersus reliquias profligatorum hostium decertandi.

SECVN-

SECVNDA RATIO.

SACRARVM LITERARVM sententia.

ALterum est, quod me quidem ad congressum incitârit, & horum apud me copiolas eleuârit, *aduersarii perpetuum in scripturis exponendis ingenium plenum fraudis, inane prudentiæ.* Statim hæc Philosophi tangeretis. Itaque vos auditores expetii.

Sciscitemur ab aduersariis, exempli gratia, quidnam sequuti nouam Sectam intriuerint, *qua Christus excluditur è cœna mystica.* Si nominant Euangelium, accurrimus. A nobis verba sunt. [a] *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Qui sermo visus est ipsi [b] Luthero tam potens, vt cùm etiã discuperet fieri Zuinglianus, quòd ea re plurimũ incommodare Pontifici potuisset: captus tamen & victus apertissimo contextu cederet, neque minus inuitus Christum verè præsentem in Sacramento sanctissimo fateretur, quam olim [c] dæmones victi miraculis Christum Dei filiũ vociferati sunt. Agedum pagella scripta superiores sumus, de sententia scripti contenditur. Hanc peruestigemus ex verbis adiacẽtibus. [d] *Corpus meum quod pro vobis datur,* [e] *Sanguis meus qui pro multis effundetur.* Adhuc durissimæ partes Caluini sunt, nostræ faciles & explicatæ. Quid amplius? *Conferte Scriptu-*

[a] *Matt. 26. ¶. 26. Marc. 14. ¶. 22. Luc. 22. ¶. 19.*
[b] *Luth. in epist. ad Argent.*
[c] *Matt. 8. ¶. 29. Marc. 1. ¶. 24.*
[d] *Luc. 22. ¶. 19. Matth. 26. ¶. 28.*
[e] *Marc. 14. ¶. 24.*

Scripturas, inquiunt. Maximè conspirant [a] Euangelia, [b] Paulus adstipulatur, voces, clausulæ, tota connexio, panem, vinum, insigne miraculum, cœleste pabulum, carnem corpus, sanguinem, reuerenter ingeminant. Nihil ænigmaticum: nihil offusum caligine loquendi. Tamen perstant aduersarii, neque vllum finem faciunt altercandi, quid agimus? Opinor, audiatur antiquitas, & quod nos alteris alteri suspecti non possumus, illud omnium seculorum veneranda canities, Christo propior, ab hac lite remotior decidat arbitrio. Non ferunt, *pro dise aiunt*, *Dei verbum purum putum inclamant*, hominum commentarios auersantur. Insidiosè, ineptè, Dei verbum perurgemus: Obscurant, Sanctos testamur interpretes: obsistunt. In summa, sic instituunt: nisi reorum iudicio steteris, nullum iudicium fore. Atq; ita se gerunt in omni quam exercemus controuersia: De infusa gratia, de inhærente iustitia, de Ecclesia conspicua, de necessitate Baptismatis, de Sacramentis & sacrificio, de piorum meritis, de spe & timore, de peccatis imparibus, de auctoritate Petri, de clauibus, de votis, de consiliis Euangelicis, de cæteris; Scripturas neque paucas & ponderosas, Catholici passim in libris, in colloquiis, in templis, in schola citauimus atque discussimus: eluserunt. Veterum Scholia, Græcorum & Latinorum admouimus: abnuerunt: Quid tum denique?

[a] *Iohan* 6. *Matth* 26. *Marc*. 14. *Luc*. 22.
[b] 1 *Cor*. 10. & 11.

Patrum interpretat. non admittunt heretici.

denique? Doctor *Martinus Lutherus*, aut verò *Philippus*, aut certè *Zuinglius*, aut sine dubio *Caluinus* & *Beza* fideliter enarrarunt. Ego ne quenquam vestrum existimem tam esse mucosis naribus, qui hoc artificium monitus non persentiscat? Quare fateor me scholas Academicas cupidè requirere, vt inspectantibus vobis calamistratos istos milites in solem & puluerem è suis vmbraculis euocatos, non meis viribus, qui cum vestris, centesima parte non sum conferendus, sed valentissima causa & certissima veritate debilitem.

TERTIA RATIO.

NATVRA ECCLESIAE.

Ecclesia in Script. laudes.

AVdito Ecclesiæ nomine, hostis expalluit, sed tamen excogitauit quiddam, quod à vobis animaduerti volo, vt falsi ruinam & inopiam cognoscatis. Senserat in Scripturis tum Propheticis, tum Apostolicis, vbique honorificam Ecclesię fieri mentionem: vocari [a] ciuitatem sanctam, [b] fructiferam vineam, [c] montem excelsum, [d] directam viam, [e] columbam vnicã, [f] regnum cœli, [g] sponsam & [h] corpus Christi, [i] firmamentum veri, [k] multitudinem illam, cui Spiritus promissus instillet omnia salutaria: [l] illam, in quam vniuersam nullæ sint vnquam fauces Diaboli morsum letiferum impacturæ: [m] illam cui quicunque repugnet,

a Apoc. 21. v. 10.
b Isa. 79 v. 9
c Isa. 2. v. 2.
d Isa. 35 v. 8
e Cant. 6. 8.
f Math. 13. v. 24.
g Cant. 4. v. 8
h Eph. 5 23. 1. Cor. 12. v. 12.
i 1 Tim. 3. v. 15.
k Ioh 14 25.
l Mar. 16 18.
m Matt. 18. v. 17.

gnet, quantumuis ore Christum prædicet, non magis Christo, quàm Publicanus aut Ethnicus potiatur. Non est ausus contrauenire sonitu, videri noluit Ecclesiæ, quàm toties scripturæ commemorant, refragari, nomen callidè retinuit, rem ipsam funditus definiendo sustulit. His enim proprietatibus delineauit Ecclesiá, quæ penitus ipsam occulant, & dimotam à sensibus, tanquam ideam Platonicam, secretis obtutibus hominum perpaucorum subiiciant, eorum tantummodo, qui singulariter afflati, corpus hoc aëreum intelligentia comprehenderent, & huiusce sodalitatis participes subtili quodam oculo lustrarent. Vbi candor? Vbi simplicitas? Quæ Scripturæ, quæ sensa, qui patres, hoc penicillo depingunt Ecclesiam? sunt Christi ad *Asiaticas* Ecclesias, sunt Petri, Pauli, Ioannis, aliorum ad diuersos epistolæ: frequentes in actis Apostolicis inchoantur & propagantur Ecclesiæ. Quid istæ? num soli Deo & sanctis hominibus, an Christianis etiam cuiuscunq; generis manifestę? sed profectò, durum telum necessitas est. Ignoscite. Nam qui seculis omninò quindecim, non oppidum, non villam, non domũ reperiunt imbutam doctrina sua, donec infelix [a] *Monachus* incesto connubio votam Deo virginem funestâsset, aut [b] *Heluetus* gladiator in patriã coniurasset, aut [c] *stigmaticus perfuga* Geneuam occupâsset: Ii coguntur Ecclesiam, si quam

Eccles. inuisibilis.

Cal. Instit. lib 4 cap 1. nu. 2. & 3.

Ap. 1. 2. 3. Act. 8 10. 11. & seq.

Causa cur finxerint inuisibil Ecclesiam.

a *Lutherus.*

b *Zuinglius*

c *Caluinus.*

quam volent, in latebris venditare, & eos parentes asserere, quos nec ipsi nouerint, neq; mortalium quisquam aspexerit. Nisi fortè gaudent maioribus illis quos hæreticos fuisse liquet, vt *Aerio*, *Iouiniano*, *Vigilantio*, *Heluidio*, *Iconomachis*, *Berengario*, *VValdensibus*, *Lolhardo*, *VVicleffo*, *Hussio*, à quibus pestifera quædam fragmenta dogmatum emendicarint. Nolite mirari si fumulos istos non pertimui, quos modo ad meridianam lucem venero, minimè fuerit laboriosum dispellere. Hæc est enim nostra sermocinatio. Dic mihi, *subscribis Ecclesiæ quæ seculis anteactis viguit?* omninò. obeamus ergo terras & tempora: cui? cœtui fidelium. quorum? nomina nesciuntur, sed constat plurimos extitisse. constat? quibus constat? Deo: quis dicit? nos, qui diuinitus edocti sumus. fabulæ, qui credam? si arderes fide, tam scires hoc, quàm te viuere. *Henri. Pantal. in Chronog.*

Spectatum admissi risum teneatis?

Iuberi Christianos omnes adiungere se Ecclesiæ, cauere ne spiritali gladio trucidentur, in domo Dei pacem colere, huic animas credere colūni veritatis, isthic querelas omnes deponere, hinc eiectos habere pro ethnicis, nescire tamen tot cententis, tot homines, vbinā illa sit, quiúe huc pertineant? vnū illud crepare in tenebris, vbi, vbi sit Ecclesia, tantummodò sanctos, & in æthera destinatos ea contineri? Ex quo

fit, vt

fit, vt si quis imperium sui præsulis detrectare velit, scelere soluatur, dummodo sibi persuadeat presbyterum in crimen incidisse, & ab Ecclesia protinus excidisse. Cùm scirem aduersarios talia comminisci, quod nullius ætatis Ecclesiæ consueſſent, & orbatos tota re, velle tamen inter angustias vocabulum possidere, solabar me vestro acumine, atque adeò mihi pollicebar fore, vt quamprimum huiusmodi technas ex ipsorum confessione cerneretis, statim homines ingenui & cordati stultas argutias in vestram intextas perniciem discinderetis.

QVARTA RATIO.

CONCILIA.

GRauis, Ecclesia nascente, quæstio de legitimis cæremoniis, quæ credentium animos disturbauit coacto Apostolorum & Seniorum concilio, soluta est. Credidêre parentibus filii, pastoribus oues, in hæc verba mandantibus: [a] *visum est spiritui sancto & nobis.* Sequuta sunt ad extirpandam hæresin, quæ varia quibusque seculis pullulauit, Oecumenica veterum *concilia quatuor*, tantæ firmitudinis, vt iis, [b] ante annos mille, singularis honos tanquam diuinis vocibus haberetur. Non abibo longius. Etiam domi nostræ, [c] comitiis regni, eadem concilia, pristinũ ius, inuiolatamq; dignitatem obtinent. Hæc citabo, teque ipsam, Anglia;

Concil. 1. Hierosolymit.

[a] *Act. 15. v. 28.*

[b] *Greg. lib. 1. Epist. 24.*

[c] *Anno 1. Elisabe.*

Anglia, dulcissima patria, contestabor. Si quemadmodum præ te fers, quatuor ista concilia reuerebere, summum honorem primæ sedis Episcopo, id est, [a] Petro deferes: Incruentũ corporis & sanguinis Christi sacrificium in [b] altari recognosces: Beatos Martyres, sanctosq; omnes cœlites, vt pro te Christo supplicent, [c] obsecrabis: Mulierosos apostatas ab infando cõcubitu & incestu publico [d] coercebis: multa facies, quæ demoliris, multa quæ facis, infecta[e] voles. Porrò Synodos aliorum temporum, nominatim verò *Tridētinam* eiusdem auctoritatis ac fidei cum primis illis fuisse, quando vsus venerit, demonstraturum me spõdeo atq; recipio. Auctus igitur cõciliorum omnium valido & exquisito præsidio, cur nõ ingrediar in hanc palæstram animo tranquillo & pręsenti, obseruaturus ad aduersariũ quo se proripiat? Nam & euidentissima producã, quæ distorquere non poterit, & probatissima quæ respuere nõ audebit. Fortasse verbosius obloquẽdo diem extrahere conabitur: sed ab intentis hominibus, si vos ego benè noui, nec aures nec oculos cõpilabit. Quod si quis erit omninò tã demens, qui se vnũ opponat senatoribus orbis terrę, & iis quidẽ omni exceptione maioribus, sanctioribus, doctiorib⁹, vetustioribus, libenter aspiciã illud os, quod vbi vobis ostẽdero, reliqua cogitationibus vestris relinquam. Interim hoc monebo.

[a] *Nic. cã. 6. Chal. act. 4. & 16. Const. ca 5.*
[b] *Eph. concil. in epi. ad Nestor. Nic. can. 14*
[c] *Chalc. act. 11.*
[d] *Nican. Cõcil. apud Socr. l. 1. c. 8.*
[e] *Vide Chalced. can. 4. 7. 16. 24.*

Conciliorũ authoritas.

Qui pleno concilio ritè atque ordine consummato momentum & pondus abrogat, videri mihi nullo consilio, nullo cerebro, neque solùm in Theologis tardum, sed etiã in Politicis inconsultum. Si vnquam Dei spiritus illuxit Ecclesiæ, certè illud est tempus immittẽdi Numinis, quum omnium Ecclesiarum quę sunt in terris patentissimæ, religio, maturitas, scientia, sapientia, dignitas, vnam in vrbem cõfluxerint, adhibitisq; modis omnibus, diuinis & humanis quibus indagari veritas possit, [a] promissum implorent Spiritũ, quo salutariter & prudenter sanciant. Prosiliat nunc aliquis factionis hæreticæ magistellus, attollat supercilia, suspendat nasũ, frontẽ perfricet, iudicesq; suos scurriliter ipse iudicet, quos ille ludos, quos iocos dabit? Repertus est [b] *Lutherus*, qui diceret, *anteferre se conciliis, duorum suffragia bonorum & eruditorum hominũ* (putatote suũ & Philippi) *si quando in Christi nomine consensissent.* O circulos. Repertus est [c] *Kemnitius* qui Conciliũ Tridentinũ ad suos vertiginis importunæ calculos exegerit, quid lucratus? infamiam. Dũm iste, ni cauerit, sepelietur cũ Arriõ, *Tridentina Synodus* quò magis inueterascet, eò magis indies eoque perennius efflorescet. Bone Deus, quę gentium varietas, qui delectus Episcoporũ totius orbis, qui Regũ & Rerumpublicarum splendor, quæ medulla Theologorum, quę sanctitas, quæ lachrymæ, quæ ieiunia, qui flores

[a] Matth. 18. 𝔙. 20. Ioan. 14. 𝔙. 26.

[b] Lib. de Cap. Bab.

[c] Martini Kemnitii examẽ con. Trident.

Concilii Trident. solennitas.

flores Academici, quæ linguæ, quanta subtilitas, quantus labor, quàm infinita lectio, quantæ virtutum & studiorum diuitiæ, augustum illud Sacrarium impleuerunt? Audiui ego Pontifices exultantes, & in his *Antonium Archiepiscopū Pragensem*, à quo sum creatus Presbyter, amplissimos & prudentissimos viros, quòd in ea Schola hæsissent aliquot annis: vt nullum *Ferdinandi Cæsaris*, cui multum debuerant, regalius & vberius in se beneficiū colerēt, quàm hoc fuit, quod in Tridētino gymnasio legati ex Pannonia consedissent. Intellexit hoc Cæsar, qui reuersis ita gratulatus est: *Aluimus vos in schola optima.* Huc inuitati fide publica cur non properârunt aduersarii, vt eos palàm refellerent, in quos ranunculi coaxant è cauernulis? *Hussio & Hieronymo* fregere fidem, inquiunt. Qui? Constantiensis Concilii proceres. Falsum est. nullā enim dedêre. Sed nec in *Hussiū* tamen animaduersum fuisset, nisi homo perfidiosus & pestilens, retractus ex fuga quam ei Sigismundus Imperator periculo capitis interdixerat, violatis etiam conditionibus, quas scripto pepigerat cum Cæsare, vim omnem illius diplomatis eneruasset. Fefellit Hussiū præcipitata malitia. Iussus enim, cùm barbaras in sua Boëmia tragœdias excitâsset, semetipsū sistere Constantiæ, despexit prærogatiuam Concilii, securitatē petiit à Cæsare. Cæsar obsignauit, Christianus orbis resignauit,

Hus quare combustus.

maior Cæſare; redire ad mentem Hæreſiarcha noluit, periit. *Hieronymus* verò Pragenſis furtim venit Conſtantiam, protectus à nemine, deprehenſus comparuit, perorauit, habitus eſt perbenignè, liber abiit quo voluit, ſanatus eſt, hæreſim eiurauit, relapſus eſt, exuſtus eſt. Quid toties vnum exemplum de ſexcentis exagitant? Repetant annales ſuos. *Martinus* ipſe *Lutherus*, odiũ Dei & hominum, Auguſtæ poſitus coram Cardinale Caietano, nonne quod potuit, eructauit, & Maximiliani literis communitus exceſſit? Idem accitus *Vuormatiam*, cùm & Cæſarem & pleroſq; Imperii Principes haberet infenſos, nonne Cæſaris verbo tutus fuit? Poſtremò Lutheranorum & Zuinglianorum capita, præſente *Carolo quinto*, hæreticorum hoſte, victore, domino, nonne datis induciis, *confeſſiones ſuas toties* innouatos exhibuère *Comitiis Auguſtanis*, & ſoſpites abiêre? Haud ſecus literæ Tridétinæ locupletiſſimas aduerſario cautiones prouiderant: vti noluit. Nimirum ſe *iactat in angulis, in quibus vbi tria verba Græca ſonuerit, ſapere videatur*: abhorret à luce, quæ litteratorem in numero poneret, & ad honeſta ſubſellia deuocaret. Catholicis Anglis tale chyrographũ impunitatis impetrent, ſi diligunt ſalutem animarum. Nos Huſſium non cauſabimur, in Curiam, verbo principis innixi, conuolabimus.

Hieronym. Pragenſis.

Lutherus ſemper in comitiis tutus.

An. 1518.

An. 1521.

Auguſtana Confeſſio.

Vide acta Conc. Trid. ſeſſ. 15. et 18.

Sed vt vnde ſum egreſſus, eò regrediar,

Con-

Concilia generalia mea sunt, primum, vltimum, media. his pugnabo. Hastam expectet aduersarius amentatam, quam euellere nunquam poterit. Prosternatur in eo Satanas, Christus viuat.

QVINTA RATIO.

PATRES.

ANtiochiæ, qua primùm in vrbe Christianorum nobile cognomentum increbuit,[a] *doctores*, id est, eminentes Theologi, & Prophetæ, id est, Concionatores perquam celebres, floruerunt. Huiusce generis *Scribas & Sapientes*, *doctos in regno Dei, noua promentes & vetera*,[b] Christum callentes, & Moysen, Dominus ipse futuro gregi prospexerat. Hos ingentis beneficii loco donatos explodere, quanti maleficii est? explosit aduersarius. quid ita? quia stantibus illis concidisset. Id ego cùm pro certissimo comperissem, pugnam simpliciter exoptaui, non illam iocularem, qua turbæ velitantur in compitis, sed istam seueram & acrem quâ congredimur in vestris Philosophorum spaciis.

Pede pes, densusq; viro vir.

Ad Patres si quando licebit accedere, confectum est prælium, tam sunt nostri, quàm *Gregorius* ipse *decimustertius*, filiorum Ecclesiæ pater amantissimus. Nam vt omittam loca sparsa, quæ ex monimentis

a Act. 13. v. 1. 1. Cor. 12. v. 18. Ephes. 4. v. 11. 1. Cor. 14. v. 1. & seq.

b Matth. 13. v. 52.

veterum conquiſita, noſtram fidem appoſitè affirmatéque propugnant, tenemus horum integra volumina, quæ de induſtria religionem, quam tuemur Euangelicã, diſtinctè copioſeq; dilucidant [a]. Duplex Hierarchia Martyris Dionyſii, quas claſſes, quę ſacra, quos ritus edocet? Pupugit ea res [b] *Lutherum* tam valdè, vt huius opera *ſimillima ſomniis, nec non pernicioſiſſima* iudicaret. Imitatus parentem *Cauſſæus* [c], neſcio quis terræ filius ex Gallia, non eſt veritus hunc Dionyſiũ inclytæ gentis Apoſtolum vocitare *delirum ſenem*. Centuriatores [d] vehemẽter offendit *Ignatius*, offendit & Caluinum, [e] vt in eius epiſtolis *deformes næuos & putidas Nanias*, hominum quiſquiliæ, notārint [f]. Cenſoribus illis *fanaticum quiddam* Irenæus edidit: [g] Clemẽs, auctor ſtromatum, *ziʒaniæ fæcesq;* protulit: reliqui patres huius æui, ſanè Apoſtolici viri, *blaſphemias & monſtra poſteris reliquerunt*. In *Tertulliano* rapiunt auidè, quod à nobis edocti nobiſcum communiter deteſtentur, ſed meminerint, libellum de *præſcriptionibus*, qui noſtri temporis ſectarios tam inſigniter perculit, nunquam fuiſſe reprehenſum. [h] *Hippolytus* Portuenſis Epiſcopus, quàm bellè, quàm clarè, Antichriſti neruum, Lutherana tempora, præmonſtrauit? Eum propterea [i] *Scriptorem infantiſſimum & Laruam* nominant. *Cyprianum*, delicias & decus Africanus, Gallicanus ille

[a] *S. Dio. Areop. de quo vide 6. Syn. Act. 4. Adon. Treu. in Martyrol. Syng. Suid. Metaph.*

[b] *Luth. cõment. in 1. 13, 17. Deu. atem in captiu. Bab.*

[c] *Cauſſæus Dial 5. et 11.*

[d] *Cent. 2. cap. 10.*

[e] *Cal. lib. 1. Inſtit. cap. 13. § 29.*

[f] *Cent. 2. c. 5*

[g] *Cent. 1. lib. 2.*

[h] *Orat. de conſ. ſecu.*

[i] *Iuellus etc.*

Cyprianus.

a criticus, & [b] Magdeburgici, *ſtupidum & deſtitutum Deo & deprauatorem pœnitentiæ* nuncupârunt. Quid admiſit? Scripſit enim de virginibus, de lapſis, de vnitate Eccleſiæ tractationes eiuſmodi, eas etiam epiſtolas Cornelio Romano Pontifici, vt niſi fides huic martyri detrahatur, *Petrus Martyr Vermilius*, omneſque cum eo fœderati, peiores adulteris & ſacrilegis habeantur. Ac ne ſingulis inſiſtam diutius, Patres huius ſeculi damnantur omnes, [c] *quippe qui doctrinam de pœnitentia*, mirè deprauauerint, quo pacto? nam auſteritas canonum quæ viguit ea tempeſtate, maiorem in modum diſplicet huic Sectæ plauſibili, quæ tricliuiis aptior quàm templis, voluptarias aures titillare, & puluillos omni [d] cubito ſolet aſſuere. Quid ætas proxima, quid peccauit? *Chryſoſtomus* & ij Patres [e] *iuſtitiam fidei fœdè videlicet obſcurârunt.* *Nazianzenus*, quem honoris cauſa Theologum veteres appellârunt, [f] Cauſlæo iudice, *Fabulator, quid affirmaret, neſcit*; Ambroſius à *Cacodæmone faſcinatus eſt.* Hieronymus *æquè damnatus atque diabolus: iniurioſus Apoſtolo,* [g] *blaſphemus, ſceleratus, impius.* Vnus [h] Gregorio Maſſouio *pluris eſt Caluinus, quàm centum Auguſtini.* Parum eſt centum [i] Lutherus nihili facit *aduerſum ſe mille Auguſtinos, mille Cyprianos, mille Eccleſias.* Longius

a *Cauſ. dia. 8. & 11.*
b *Cent. 3. cap. 4.*
Conuitia hæreticorũ in S. Patres.
c *Cent. 3. cap. 4.*
Canones pœnitentiæ veteres.
d *Ezech. 13 v. 18.*
e *Præfat. in Cent. 5.*
f *Dial. 6 7 8.*
g *Beza in Act. Apoſtol. ca. 13. v. 3.*
h *Stanca. lib. de Tri.*
i *Lib. contra Henr. 8. Reg. Angl.*

giùs rem deducere, ſuperuacaneum puto. Nam in hos qui bacchātur, quis miretur in *Optatum*, *Athanaſium*, *Hilarium*, *Cyrillos*, *Epiphanium*, *Baſilium*, *Vincentium*, *Fulgentium*, *Leonem*, *Gregoriumq́; Romanum* fuiſſe procaciſſimos.

Quanquam ſi datur vlla rebus iniuſtis iuſta defenſio, non inficior habere Patres, vbicunq; incideris, quod iſti dum ſibi conſentiunt, neceſſariò ſtomachentur.

Etenim qui odere ſtata ieiunia, quo animo oportet eſſe in *Baſilium*, *Nazianzenum*, *Leonem*, *Chryſoſtomum*, qui de quadrageſima, & indictis ieiuniorum feriis, tanquam de rebus iam vſitatis, conciones egregias publicârunt.

Qui ſuas animas auro, libidine, crapula, & ambitioſis conſpectibus vendiderunt, poſſuntne non eſſe inimiciſſimi *Baſilio*, *Chryſoſtomo*, *Hieronymo*, *Auguſtino*, quorum excellentes libri de Monachorum inſtituto, regula, virtutibus teruntur.

Qui captiuam hominis voluntatem inuexêre, qui Chriſtiana funebria ſuſtulêre, qui ſanctorum reliquias incendêre, ſintne placabiles *Auguſtino*, qui de *libero arbitrio*, libros tres: *De cura pro mortuis* vnum: *De miraculis* ad Baſilicas, & memorias martyrum, prolixum caput nobiliſſimi operis, & conciones aliquot exarauit?

lib. 22. de Ciu. Dei c. 8. et ſer. de diuerſ. 34. & ſeq.

Qui fidem ſuis captiunculis metiuntur, nonne ſuccenſeant [a] *Auguſtino*, cuius eſt inſignis

[a] *Cont. ep. Man. quam vocāt funda. cap. 4.*

signis epiſtola contra Manichæum, qua ſe profitetur. *Antiquitati, Conſenſioni, Succeſſioni perpetuæ, & Eccleſiæ* quæ ſola inter tot hæreſes Catholicæ nomen vſucapione vendicat, aſſentiri?

6. [a] *Optatus Mileuitanus* Epiſcopus Donatianam partem reuincit ex communione Catholica, nequitiam accuſat ex [b] decreto Melchiadis, hæreſim refutat ex [c] ordine Romanorum Pontificum, inſaniã patefacit ex [d] Euchariſtia & Chriſmate contaminatis, [e] ſacrilegium horret, ex diffractis altaribus, *in quibus Chriſti membra portata ſunt*, pollutiſque calicibus, [f] *qui Chriſti ſanguinem tenuerunt.* De *Optato* quid ſentiant, aueo ſcire, quem *Auguſtinus* [g] vt venerabilem & Catholicum Epiſcopum Ambroſio parem & Cypriano, quem [h] *Fulgentius* vt ſanctum & fidelem Pauli interpretem, Auguſtini ſimilem & Ambroſii, meminerunt.

Athanaſii Symbolum in templis concinnunt. Num fauent ei? [i] qui *Antonium Eremitam Ægyptium*, grauis auctor, accurato libello dilaudauerit, quique cùm [k] *Alexandrina Synodo*, iudicium ſedis Apoſtolicæ, diui Petri, ſuppliciter appellarit? *Prudentius* in hymnis quoties precatur martyres, quos decantat? quoties ad eorum cineres & oſſa, regem martyrum veneratur? Num hunc probabunt?

[a] *lib. 1. contra Parme.*
[b] *lib. 1.*
[c] *lib. 2.*
[d] *lib. 2.*
[e] *lib. 6.*
[f] *lib. 6.*
[g] *Aug. li. 1. cont. Parm. & de vnit. cap. 16. & lib. 3. doct. Christ. ca. 40.*
[h] *Fulgent. lib. 2. ad Moni.*
[i] *Vide S. Hieron. de ſcrip. Eccleſ.*
[k] *Vide epi. Synod. Alex. ad Felic. 2.*

Hieronymus pro sanctorum reliquiis, & honoribus scribit in *Vigilantium*: In *Iouinianum*, pro virginitatis gradu. Hunccine patientur?

Ambrosius [a] tutores suos *Geruasium* & *Protasium*, celebritate notissima, in Arrianam ignominiam honestauit: cui facto diuinissimi Patres [b] encomion tribuêre: quod factum Deus non vno prodigio decorauit. Num beneuoli sunt Ambrosio futuri?

Gregorius magnus noster Apostolus, planissimè noster est, eoque nomine nostris aduersariis odiosus, quem *Caluini* [c] rabies negat in Schola sancti Spiritus educatum, propterea sacras *imagines illiteratorum libros* appellasset.

Dies me deficeret numerãtem epistolas, conciones, homilias, orationes, opuscula, disceptationes Patrum, in quibus ex apparato, grauiter & ornatè nostra catholicorũ dogmata roborãrũt. Quã diu apud Bibliopolas ista venierint, tam diu frustrà nostrorum codices prohibentur: frustra seruantur aditus oræq; maritimæ: frustra domus, arcæ, scrinia, capsulæ, disquiruntur; frustra tot portis minaces tabulæ suffiguntur. Nullus enim *Hardingus*, nec *Sanderus*, nec *Alanus*, nec *Stapletonus*, nec *Bristolius*, hæc noua somnia vehementiùs, quàm hi quos recensui Patres insectantur. Talia cogitãti accreuit animus & desiderium pugnæ, in qua,

[a] Vide epi D. Amb. ad Episc. Ital. Item ad So. li. 10. epist. 85. Item serm. 91.

[b] Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei. cap. 8. Greg. Tu. li. de glor. mar. c. 46. Metaph.

[c] li. 1. Inst. ca. 11. § 5.

in qua, quoquò se mouerit aduersarius, nisi gloriam Deo cesserit, feret incommodum. *Patres admiserit; captus est. Excluserit: nullus est.*

Adolescentibus nobis ita contigit. *Ioannes Iuellus* antesignanus Caluinianorum Angliæ, Catholicos ad diui Pauli Londinensium, incredibili iactantia lacessiuit, inuocatis per hypocrisin & imploratis patribus, quicunque inter salutis *annum sexcentesimum* claruissent. Accipiunt conditionem memorabiles viri, qui tum exulabant *Louanii*, summis licet difficultatibus propter iniquitatem suorum temporum circumsepti. Ausim dicere tanto popularibus nostris bono fuisse illam *Iuelli* astutiam, inscitiam, improbitatem, impudentiam, quas iis scriptores feliciter expanderunt, vt vix aliud quidquam memoria mea prouenerit Anglorum Ecclesiæ laboranti fructuosius. Edictum continuò valuis appenditur, ne qui codices illiusmodi legerentur, neue haberentur; cum tantis clamoribus propemodum extorti prodiissent, didicere quicunque negotium attigissent, patres fuisse Catholicos, id est, nostros.

Iuellus admittit Patres, & labitur.

Neq; hoc sibi suisq; vulnus inflictũ *Laurentius Humfredus* tacuit: qui cum altè Iuellum quo ad cætera sustulisset, vnam ei notam aspersit inconsiderantiæ, *quod patrum calculos recepisset*: quibuscum sibi nihil

Lib. de Vita Iuelli.

nihil esse commercii, nec fore, sine vlla circuitione proloquitur.

Pertentauimus etiam familiariter aliquando *Tobiam Matthæum*, qui nunc in concionibus dominatur, quem propter bonas artes & virtutum semina dileximus, vt responderet ingenuè, *possetne qui Patres assiduus lectitaret, istarum esse partium quas ille suaserat*, retulit, *non posse, si pariter eos legeret, iisq́ crederet*. Verissimum hoc verbum est, neque aliter aut eum nunc, aut *Matthæum Huttenum*, qui vir nominatus in paucis versare Patres dicitur, aut reliquos aduersarios, qui hoc faciunt, sentire arbitror.

Legens Patres hereticus esse non potest.

Hactenus ergo securus in hanc aciem potui descendere, bellaturus cum iis, qui quasi auribus lupum teneant, æternã causæ maculam cogantur inurere, siue recusent patres, siue deposcant. Nam in altero fugam adornant, in altero suffocantur.

SEXTA RATIO.

FIRMAMENTA PATRVM.

SI quibus vnquam cordi curæque fuit id, quod maximoperè nostris fuit, & esse debet, *Scrutamini Scripturas*: Facilè principes & palmares in hoc genere sanctissimi Patres extitêre. Horum opera sumptuque tot gentibus & linguis transcripta Biblia, & importata sunt. Horum periculis & crucia-

Ioan. 5. v. 39

cruciatibus, erepta de flammis hostilibus, & vastitate: horum laboribus & vigiliis, omnem in partem enucleata studiosissimè. Die noctuque sacras literas imbibêre, de suggestis omnibus sacras literas edidêre, immensa volumina sacris literis ditauêre, fidelissimis commentariis sacras literas explicuêre, cibos & inediam sacris literis condière, occupati denique sacris in literis ad senectutē decrepitam peruenêre.

Quod si frequentes ipsi quoque ab auctoritate maiorum, ab Ecclesiæ praxi, à successione Pontificum, à Conciliis Oecumenicis, à Traditionibus Apostolicis, à cruore Martyrum, à scitis Præsulum, à visis euentisque mirabilibus argumentati sunt: tamen omnium maximè & libentissimè sanctarum literarum testimonia densa conglobant, hæc premunt, in his habitant, huic *armatura fortium*, duces robustissimi, sarta tecta Ciuitatis Dei, contra nefarios impetus quotidie munientes, optimo iure, primas partes honoratissimasque porrigunt. *Cant. 4. v. 4.*

Quo magis demiror illam exceptionem aduersarii superbam & fatuam, qui velut aquam in profluente quæritans, sic in scripturis confertissimis scripturarum penuriam obiectat. *Tantisper se Patribus assensurum dicit, dum sacris literis adhærescunt.* Num loquitur ex animo? curabo igitur procedant armati atque stipati Christo,

Prophe-

Prophetis, Apostolis atque omni apparatu Biblico, celeberrimi auctores, antiquissimi Patres sanctissimi viri *Dionysius, Cyprianus, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus*, Latinusque *Gregorius*. Regnet in Anglia fides illa, vtinam regnet, quam hi Patres amicissimi scripturarum ex scripturis extruunt. Quas afferunt, afferemus: quas conferunt, conferemus: quod inferunt, inferemus. Placet? exscrea. dic sodes. *Minimè verò*, inquis, *nisi rectè exponant.* Quid est hoc ipsum rectè? Arbitratu tuo. Nihilne pudet labyrinthi?

Ergò cùm sperem in Academiis florentissimis consociatum iri benè multos, qui non pingui Minerua, sed acuto iudicio in has controuersias inspecturi sint, & horum responsa nugatoria liberaturi, lætus hunc diem campi præstolabor, vt qui contra syluestres tumulos mendiculorum inermium, nobilitatem & robur Ecclesiæ Christi cogitem educere.

SEPTIMA RATIO.
HISTORIA.

PRistinam Ecclesiæ faciem historia prisca retegit. Hunc prouoco certè antiquiores historici, quos etiam vsurpant aduersarii, fere numerantur, *Eusebius, Damasus, Hieronymus, Ruffinus, Orosius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Cassiodorus, Gregorius*

Generales Historici.

gorius Turonensis, Vsuardus, Regino, Marianus, Sigibertus, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus. Quid narrant? Nostrorum laudes, progressus, vicissitudinem, hostes. Imò verò, quod obserues diligenter, illi qui dissident à nobis odio capitali. *Philippus, Pantaleon, Funccius, Magdeburgici,* quum se ad scribendam vel Chronologiam Ecclesiæ, vel Historiam appulissent, nisi nostrorum gesta colligerent, ac inimicorum Ecclesiæ nostræ fraudes & scelera coaceruarent, mille quingentos annos argumento vacui prætermitterent. *Hæreticorũ chronica & historia.*

Cum his considera peculiares certarũ Historiographos regionum, qui vnius acta cuiusque populi curiosius operosiusque scrutati sunt. Ii quasi spartam adepti, quam locupletare modis omnibus & perpolire cuperent, qui ne conuiuia quidẽ lautiora, aut manicatas tunicas, aut pugionum capulos, aut inaurata calcaria, talesque minutias si nouitatem saperent, tacuêre: profectò si quid in religione mutatum, aut à primis degeneratum seculis inaudiissent, frequentes memorâssent, si non frequentes saltẽ aliqui: si non aliqui, vnus aliquis absq; dubio. *Nullus omnino, neq; beneuolus nobis, neq; maleuolus, non modo quicquam tale prodidit, sed nec significauit.* *Historici certarum gentium.*

Verbi gratia. Dant nobis aduersarii, nec aliter possunt, *fuisse Romanã Ecclesiam aliquando sanctam, Catholicam, Apostolicam;*

tum

tum cùm hæc à Diuo Paulo promeruisset elogia: [a] *Vestra fides annunciatur in vniuerso mundo:* [b] *sine intermissione memoriam vestri facio.* [c] *Scio quoniam veniens ad vos in abundantia benedictionis Christi veniam:* [d] *salutant vos omnes Ecclesiæ Christi:* [e] *vestra enim obedientia in omnem locum diuulgata est.* Tum, cum ibi Paulus [f] in libera custodia disseminaret Euangelium: Tum, cum in ea quondam [g] Babylone *collectam Ecclesiam Petrus regeret*: Tum, cum ille *Clemens* apprimè laudatus ab [h] Apostolo sederet ad ipsa gubernacula: Tum, cùm prophani cæsares vt *Nero, Domitianus, Traianus, Antoninus*, Romanos Pontifices laniarent: Tum etiam vel *Caluino* teste, cum *Damasus, Siricius, Anastasius, Innocentius*, clauum tenerent Apostolicum. Hoc enim seculo, nihil adhuc, præsertim Romæ, digressos ab Euangelica Doctrina, liberaliter ille [i] concedit.

[a] *Rom. 1. v. 8.*
[b] *Rom. 1. v. 9.*
[c] *Rom. 15. v. 29.*
[d] *Rom. 16. v. 16.*
[e] *Rom. 16. v. 19.*
[f] *Act. 28. v. 30.*
[g] *1. Pet. 5. v. 13. Hieron. in ca. scrip. Eccles. & papias apud Eus. 2. hist. c. 14.*
[h] *Phil. 4. v. 3. Iren. lib. 3. cap. 3.*
[i] *Instit. lib. 4 cap. 2. n. 3 & in epi. ad Sadol. Romam defecisse vnquam, falsum.*

Quando igitur hanc fidem tantopere celebratam Roma perdidit? quando esse desiit, quod ante fuit? Quo tempore, quo Pontifice, qua via, qua vi, quibus incrementis, Vrbem & orbem religio persuasit aliena? quas voces, quas turbas, quæ lamenta progenuit? Omnes orbe reliquo sopiti sunt, dum *Roma*, Roma inquam, noua Sacramenta, nouum sacrificium, nouum Religionis dogma procuderet? Nullus extitit Historicus, neque Latinus, neq; Græcus,

Græcus, neq; remotus, neq; citimus, qui rem tantam vel obſcurè iaceret in commentarios?

Ergò perſpicuum hoc quidem eſt, ſi quę nos credimus, hiſtoria multa & varia, nuncia vetuſtatis, vita memoriæ, loquitur ac repetit affluenter: quæ iſti obtrudunt, nulla narratio poſt homines natos in Eccleſia valuiſſe commeminit: & hiſtoricos eſſe meos, & incurſiones aduerſarios eſſe frigidiſſimas, quæ nihil mouere poſſint, niſi prius receptum ſit omnes omnium temporum Chriſtianos in ſpiſſam perfidiam, atq; in Gehennæ voraginem corruiſſe, donec *Lutherus Bornam* conſtuprâſſet. *Vide Cochlæum in ann. 1523.*

OCTAVA RATIO.

PARADOXA.

EGo verò præſtantiſſimi viri, cùm de multis hæreſibus, quædam apud me opinoſiſſimorum portenta reputo, quæ mihi venient expugnanda: meipſum inertiæ vecordiæq; condemnem, ſi cuiuſquam in experiundo facultatem aut vires extimeſcerē. Sit ingenioſus, ſit eloquens, ſit exercitatus, ſit omniū librorū helluo, tamē aridus & balbus appareat neceſſe eſt, cū hæc tam *adynata* ſuſtentabit. Diſputabitur enim, ſi forte nobis annuent, de Deo, de Chriſto, de Homine, de Peccato, de Iuſtitia, de Sacramentis, de moribus. Videro an auſint aſſeuerare quæ ſentiunt, quæq; re-

Xx bus

bus addicti necessariis diuulgāt in Scripū- unculis: Faxo norint ista suorum axiomata. a *Deus est auctor & causa peccati volēs, suggerens, efficiens, iubens, operans, & in hoc impiorum scelerata consilia gubernans.* b *Proprium Dei opus fuit, vt vocatio Pauli, sic adulterium Dauidis, Iudæq́, proditoris impietas.* † Monstrum hoc, cuius Philippum aliquando puduit, c *Lutherus* tamē à quo Philippus hauserat, quasi oraculum cœleste miris extollit laudibus & alumnum suum eo nomine tantum non exæquat, d Apostolo Paulo. Percontabor etiam quid animi Luthero fuerit quem Angli e Caluiniani *virū diuinitus datū ad orbem illuminandum* pronunciant, cùm hunc versum demeret f supplicationibus Ecclesiæ, *Sancta Trinitas, vnus, Deus, miserere nobis.*

Mox ad personam Christi progrediar. Quærā ista sibi quid velint: Christus Dei filius, Deus de Deo, Caluino * g *Deus ex sese*: Bezæ h *non est genitus de patris essentia.* Item i *Duæ constituantur in Christo vniones hypostaticæ, altera anima cum carne, diuinitatis cum humanitate altera.* Locus apud Ioannem, k *Ego & pater vnum sumus. Non ostendit Christum Deum homoousion Deo Patri.* Sed & anima mea, inquit *Lutherus*, l odit hoc verbū homoousion. pergite. *Christus* m *ab infantia non fuit gratia consummatus,*

De Deo. a Cal. Inst. lib. 1. cap. 18 lib. 2. cap. 4 li. 3. c. 23 & 24. Pet. Mar. in 1. Sam. 2. b Melanchton in ca. Rom 8. [illegible] 1524. [illegible] 36 & [illegible]. [illegible] in [illegible] Phi- [illegible] in Epist. Rom, e in Apol. Eccl. Ann. f Vide Ench. prec. ann. 1543. De Christo. g Inst. lib. 1. ca 13. nu. 23. & 24. h Bez. in H f. i Bez. cont. Schmid l de Vni. hypost. dua in Chr na Cal in Ioh. 10. v. 30. l cont. Latom. m Buc. in Luc. 2. k Cal. har. Euang. Lu. Loss. item Melan. in Eu. do. 1 post Epi.

tus, sed animi dotibus velut cæteri homines, adolevit, vsu factus quotidie sapientior, ita vt puerulus ignorantia laborarit. Quod perinde est ac si dicerent originis labe & vitio sorditatum. Sed cognoscite diriora. [a] *Christus cùm orans in horto, sudoribus aquæ manaret & sanguinis, sensu damnationis æternæ cohorruit, vocem edidit sine ratione, sine spiritu, vocem doloris impetu repentinam,* [b] *quam, vt non satis meditatam, celeriter castigauit.* Est ne aliquid amplius? Attendite. CHRISTVS *cum a-ctus in crucem exclamaret: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me, Accensus est* [c] *flammis inferni, desperationis* [d] *vocem emisit, non aliter affectus quàm si pereundum ei foret internecione sempiterna.* His etiam si quid possunt addant. *Christus*, inquiunt, *descendit ad inferos, id est,* [e] *mortuus Gehennam gustauit, nihilo minus quam Animæ damnatorum, nisi quod sibi restituendus erat.* Quandoquidem enim *morte corporea nihil nobis profuisset,* [f] *Anima quoq; luctari cum morte debuit æterna, atq; hoc modo nostrum scelus supplicium q; dependere.* Ac ne quis forte suspicetur istud Caluino per incuriam obrepsisse, idem Caluinus, *omnes vos, si qui doctrinam istam solatii plenam exagitastis,* [g] *perditos* appellat nebulones

a Marlo. in Matth. 26.

b Caluin. in Harmo. Euang.

c Brent. in Luc. pa. 2. homil. 65. & in Catechis. an. 1551. & in Io. ho. 54.

d Caluin. in Harmo. Euang. In eand. sentent. Loss. in Matth. 26.

e Schmid. conci. de passio. & cæn. Dom. Aepin. com. in Psal. 16.

 Tempo-

f *Caluin. inst. lib. 2. c. 16. §. 10 11.* Brent. *in Catechis. anno.* 1551. g *In lib. 2. cap. 16. nu. 12.*

Tempora, tempora cuiusmodi monstrum aluistis, cruor ille delicatus, & regius q de innocentis Agni corpore lacerato fissoq; scaturiit, cuius cruoris vnaquæuis guttula propter dignitatem hostiæ, mille mundos redimere potuisset, nihil humano generi profecit, nisi à *mediator DEI & hominum homo Christus Iesus* b *mortem quoq; secundam mortem* animæ, mortem gratiæ, peccati solius & exitiabilis blasphemiæ sociam pertulisset? præ hac insania modestus videbitur c *Bucerus*, quanquam est impudens, qui infernum in Symbolo, sepulchrū accipit, per epexegesim valde præposteram ac potius Tautologiam ineptam atque stolidam. Anglicani sectarii pars Caluino, Idolo suo, pars Buccero, magno Magistro solent accedere: pars etiam submurmurant in hunc articulum, ne quid facessat vltra molestiæ, quemadmodum sine tumultu penitus eximatur de Symbolo. Id verò etiam fuisse tentatum in conuenticulo quodam Londinensi, memini narrare mihi qui interfuit *Richardum Chenium*, miserrimum senem, male mulctatum à latronibus foris, neque tamen ingressum in paternam domum. Hactenus de Christo.

a *1. Tim. 2. v. 5.*
b *Apoc. 2. v. 11.*
Descensus ad inferos.
c *Bucer. in Matth cap. 26.*

De homine.
d *Illyri. in variis li. de or. pe. Cal. Inst. li. 2. c. 3. Sacer. de consuet.*

De homine quid? *Imago* d *Dei penitus in homine deleta est, nulla boni scintilla superstite: tota natura quo ad omnes animæ partes ita funditus euersa, vt ne renatus quidem & san-*

Eccl. Apol. de. impe. & pec. Sanct. Kemn. cens. Cens. Col.

& sanctus quicquam sit aliud intrinsecus, nisi mera corruptio [a] *atq; contagio.* Quorsum ista? vt qui sola fide gloriam rapturi sunt, in omnium turpitudinum cœno volutati, naturam accusent, virtutem desperent, præcepta deonerent.

Huc *Illyricus*, Magdeburgensium Primipilus, illud suum adiecit immane placitum de *originis peccato*, quod esse vult [b] *intimam substantiam animarum: quippe quas post Adami lapsum, diabolus ipse procreet, & in sese transformet.* Hoc quoque tritum est in hac fece, [c] *omnia peccata esse paria:* sed ita (ne Stoici reuiuiscant) *si Deo iudice ponderentur.* Ac si Deus æquissimus iudex, oneri nostro cumulum potius quàm leuamentum faceret, & id quod non est, in re, quum sit ipse iustissimus exaggeraret. Hac trutina non leuius in Deum seuerissimè iudicantem deliquerit ille caupo, qui gallum gallinaceum, quando non est opus, occiderit, quam infamis ille sicarius, qui *plenus Beza Gallum Heroa Guisium, admirabili virtute principem, displosa fistula clanculum interemit,* quo facinore nihil vidit orbis noster ætate nostra funestius, nihil luctuosius.

a *Calu. lib. 4. Inst. cap. 15 § 10 & 11. De Peccato.*

b *Illyric. in Cvar. lib. de pec. orig. Vide Hesh. in ep ad Illyr. An peccatum sit substantia.*

c *Calu. in antid. concil. Trid. Idem docuerat Vuiclef. apud Vual. li. 2. de Sacra. cap. 154.*

De gratia.

Sed fortasse, qui tam sunt in peccati cōditione tetrici magnificè philosophantur de diuina gratia, quæ huic malo succerrere ac mederi possit. Præclaros verò isti partes assignant gratiæ, [d] *quam neque infu-*

d *Luth. in resp. contra Ioua.*

sam cordibus nostris, neq; ad resistendum sceleribus validã esse latrant, sed extra nos in solo Dei fauore collocant, qui fauor nõ emendet impios, nec purget, nec illuminet, nec ditet, sed veterem illam sentinam adhuc manentem atq; fœtentẽ, ne deformis & odiosa putetur, Deo conniuente, dissimulet. Quo suo plasmate tantopere delectantur, vt ne *Christus quidẽ aliter apud illos* a *gratia plenus & veritate dicatur, quàm quod ei Deus pater mirandum in modum fauerit.*

a Bucer. in Ioan. 1. Wel in nat. Christ. Brent. ho. 12. in Io. cent. lib. 1. ca. 4 p 69.

Quæ res ergo iustitia est? b *Relatio.* Non enim ex Theologicis concinnata virtutibus, fide, spe, charitate, quæ animam suo nitore conuestiant, sed tantum *occultatio delicti, quam qui sola fide prehenderit, ille tam de salute certus est*, c *ac si iampridem interminato cœli gaudio frueretur.*

De iustitia. b Heshus. de Iust. in resp. ad 115. obiect. Illyr. in Apol. Conf. Antuerp. c. 6. de Iust. c. Cal. li 3. instit. cap. 2. §. 28. & 42.

Age somniet hoc: sed vnde constare poterit de futura perseuerantia, qua qui caruit, dexiuit infelicissimus, licet ad tempus purè pieque iustitiam coluisset? Imò verò hæc tua fides, *Caluinus* e ait, nisi tuam tibi perseuerantiam firmè prænunciet, vt hallucinari nequeas, *tanquam inanis & languida sperneretur.* Agnosco discipulum *Lutheri*. f *Christianus* inquit ille, *etiam volens non potest salutem perdere, nisi nolit credere.*

d Matt. 12. & 45. Luc. 11. & 26. e Inst. li. 3. ca. 2. §. 40. f Lib. de cap. Bab.

Ad Sacramenta festino: Nullum, nullum, non duo, non vnum, ô Sancte Christe, reliquerunt. Ipsorum quippe panis, venenum

De Sacramentis.

venenum eſt. *Baptiſmus, etſi adhuc verus eſt, tamen ipſorum iudicio nihil eſt, non eſt vnda ſalutaris, non eſt canalis gratiæ, non deriuat in nos Chriſti merita,* a *ſed ſignificatio duntaxat ſalutis eſt. Itaq; nihilo pluris Baptiſmum Chriſti, quo ad naturam rei, quàm Ioannis* b *fecere cæremoniam. Si habeas rectè. ſi careas, nihil damni: crede, ſaluus es antequam abluâre.* c

Quid ergo paruuli, qui niſi iuuentur virtute Sacramenti, ſua fide miſelli nihil aſſequuntur? d *Potius quàm Sacramento Baptiſmatis quicquam tribuamus*, inquiunt Magdeburgici, *demus ineſſe fidem ipſis infantulis, qua ſeruentur, cuius fidei pulſus quoſdam abditos intelligant* ipſi, qui viuant nec ne nondum intelligunt. Durum. Si hoc adeò durum eſt, Lutheri pharmacum audítote, *Præſtat,* e inquit, *omittere, quandoquidem niſi credat infans, nec quicquam lauatur.* Hæc illi quidem ancipites animo, quidnam enuncient categoricè. Ergò *Balthaſar Pacimontanus*, diribitor interueniat: qui parens *Anabaptiſtarum*, cum paruulis motum fidei non poſſet affingere, Lutheri cantiunculā approbauit, & *pædobaptiſmum* eiiciens è templis, neminem niſi adultum fonte ſacro decreuit abluere. Ad reliqua Sacramenta quod attinet, quamuis illa *beſtia multiceps* horrendas eiectet contumelias, tamen quia quotidianæ, iam ſunt, & callum auribus obduxerunt, hic prætereo.

a Cal. lib. [illegible] lib. 4. c. 15. §. [illegible]
b Cal. [illegible]
c [illegible]
d Cent. 2. cap. 4.
e Luth. ad uerſ. Coch. Idem epiſt. ad Melanc. tom 2. & in epiſt. ad Vualden.
Apoc. 13. [illegible]

Restant hæreticorum de vita & moribus frusta nocentissima, quæ *Lutherus enomuit* in chartas, vt ex vnius pectoris impuro gurgustio pestem lectorib. inhalaret. Audite patienter, & erubescite, & mihi date veniā recitanti. a *Si nolit vxor, aut nō possit, veniat ancilla.* Siquidem b *res vxoria tā est cuiq; necessaria, quàm esca, potus, somnus.* c *Matrimoniū est virginitate multò præstantius.* d *Eam Christus, eam Paulus dissuaserunt hominibus Christianis.* Sed hæc fortasse propria Lutheri sunt. Nonsunt. Etiam nuper à me e *Charco*, sed miserè timideque defenduntur. Vultis ne plura? quid ni? *Quantò* f *sceleratior es, inquit, tantò vicinior gratiæ. Omnes actiones bonæ peccata sunt, Deo iudice* g *mortifera: Deo propitio, leuiuscula. Nemo malū suapte* h *voluntate cogitat.* i *Decalogus nihil ad Christianos.* Opera nostra k Deus nequaquam curat: *Soli rectè participant Cœna Dominica, qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas, erraticas, apportant conscientias. Confitenda crimina sunt, sed cuilibet, qui si te vel ioco absoluerit, modò credideris,* l *absolutus es. Legere preces horarias non est Sacerdotum* m *sed Laicorum.* n *Christiani liberi sunt à statutis hominum.*

Satis superque lacunam istam commôsse videor. Iam finio. Nec verò putetis iniquiorem esse me, qui Lutheranos, & Zuinglianos promiscuè coarguerim. Nam isti memores à quo proseminati sint,

inter

a *Serm. de Matri.*
b *de Vita coniugali.*
c *Assert. artic. 16.*
d *Li. de Votis monast.*
e *Charc. li. in Censorē suum.*
f *Luth. ser. de pis. pe.*
g *Asser. 32.*
h *li. de ser. arbi.*
i *Serm. de Mose & li. de Capt. Babyl.*
k *Idem in fine eiusdē cap. de Eucharist.*
l *Idem in assert. art. 12. & 13.*
m *Idem de Capt. Babyl. cap. de ordin.*
n *Ibid. c. de Bapt.*

inter se *fratres*[a] *& amici* volunt esse, adeoq; grauem interpretantur iniuriam, cùm in vlla re præter vnam discriminantur.

Equidem non sum tanti, vt vel mediocrem locum mihi sumam in selectis Theologis, qui hodiè bellum hæresibus indixêre: sed hoc scio, quantuluscunque sum periclitari me non posse, dum Christi gratia fultus aduersum talia commenta, tàm inuisa, tàm insulsa, tàm bruta cœlo terraque iuuantibus, præliabor.

NONA RATIO.

SOPHISMATA.

SCitum est *inter cæcos luscum regnare posse.* Apud rudes valet sæpè fucata disputatio, quam Schola Philosophorũ exsibilat. Multa peccat aduersarius in hoc genere: sed *quatuor fallaciis* plerunque consuitur, quas in Academia malim, quàm in triuio retexêre.

Primum vitiũ *Schiamachia* est, quæ auras & vmbras magno conatu diuerberat. *Schiamachia.* Hoc pacto: Contra cœlibes iuratos & votos in castimoniam, quòd nuptiæ bonæ *1. Cor. 7.* sint, virginitas melior: afferuntur scripturę loquentes honorificè de coniugio. Quem feriunt? contra meritum hominis Christiani, tinctum Christi sanguine, alioqui nullum, promuntur testimonia, quibus iubemur, nec naturæ, nec legi, sed sanguini

Christi fidere. Quem refellunt? In eos qui colunt cœlites, vt famulos Christi maximè gratiosos, citantur integrę pagellæ, quę vetant colere multos Deos. Vbinã sunt? Huiusmodi argumentis, quæ apud Hæreticos infinita reperio, nobis esse detrimento non poterunt, vobis esse fastidio poterunt.

Logomachia. Aliud vitium *Logomachia* est, quæ sensa deserens, loquaciter cum verbo litigat. *Inuenias mihi missam*, inquiunt, *aut purgatorium in scripturis.* Quid ergo? Trinitas, Homoousios, persona, nusquam sunt in Bibliis, quia voces istæ non sunt? Affine est huic peccato, literarum aucupiũ, quum neglecta consuetudine & mẽte loquentium, quæ vita vocabuli est, aduersus elementa contenditur. Nempe sic aiunt: *Presbyter nihil est nisi senior. Sacramentum, quoduis mysterium.*

1 par. quæst. 13. art. 2. ad 2. argum. Cæterùm acutè sanctus *Thomas*, vt omnia, *in vocibus*, inquit, *videndum, non tam ex quo, quàm ad quid sumantur.*

Homonymia. Tertium *Homonymia est*, longè, latéque patens. Vt: *Quorsum ordo Sacerdotum, cùm Ioannes omnes nos vocauerit sacerdotes.* Etiam hoc addidit: *Regnabimus super terram.* *Apoc. 5.* Quorsum ergò Reges? Item, *Propheta celebrat ieiunium spiritale, hoc est, ab inueteratis criminibus abstinentiam.* *Isaia 58. & 6* *Valeat ergò ciborum delectus, & dierum præscriptio.* Siccinè? Igitur insanierunt Moyses, Dauid, Helias, Baptistes, Apostoli, qui biduo, triduo,

triduo, vel hebdomadis inediam terminârunt, quæ quidem, vt à crimine, debebat esse perpetua. Hoc quale sit iam vidistis. propero.

Quarum his adiicitur *circulatio*. In hunc modum: Da mihi notas, inquam, Ecclesiæ. *Verbum Dei & purissima Sacramenta.* Hæccine sunt apud vos? *Quis dubitet?* Ego verò pernego. *Consule verbum Dei.* Iam consului, minusque vobis, quàm ante faueo, *Ah, tamen planum est.* Proba mihi. *Quia nos ne latum quidem vnguem discedimus à verbo Dei.* Vbi est acumen tuum? semperne capies pro argumento, illud ipsum quod ponitur in quæstione? Quoties hoc iam inculco? Non tu euigilas? Num faces admouendæ sunt? Dico, à te perperam exponi verbum Dei: testes habeo quindecim ætates: sta sententiæ, non meæ, non tuæ, sed harum omnium. *Stabo sententiæ verbi Dei: Spiritus vbi vult, spirat.* Eccum, quos gyros, quas rotas fabricat? Hic nugator, tot verborum atque sophismatum architectus, nescio cui formidolosus esse queat, molestus erit fortassè. Molestiam vestra prudentia subleuabit, formidinem res eripuit. *Circulatio.* *Ioan. 3. v. 8.*

DECIMA RATIO.

OMNE GENVS TESTIVM.

HAEc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent per eam. Quis enim, quamuis *Esa. 35. v. 8.*

uis hebes in plebecula, dummodo salutis cupidus parumper attenderit, semitam Ecclesiæ tam egregiè complanatam, non videat, non teneat, vepres & cautes & auia detestatus? Erunt hęc etiam rudibus explorata, sicut Isaias vaticinatus est, vobis igitur, si voletis, exploratissima.

Theatrum vniuersitatis rerum ponamus ob oculos: quicquid est vspiam peragremus: omnia nobis argumentum suppeditant. Eamus in cœlum: Rosas [a] & Lilia contemplemur: purpuratos nempe Martyrio, candidatos Innocentia. Romanos, inquam, Pontifices [b] tres & triginta continenter occisos: Pastores terris omnibus, qui suum pro Christi nomine sanguinem oppignorârunt: Greges fidelium, qui Pastorum vestigiis institêre: Sanctos omnes cœlites, qui turbæ hominum, puritate & sanctimonia præluxêre. Nostros hic vixisse, nostros hinc emigrasse reperias. noster fuit, vt paucula delibemus, ille martyrii sitietissimus *Ignatius* [c], *qui in rebus Ecclesiæ neminem, ne regem quidem* [d] *æquauit Episcopo, qui traditiones quasdam Apostolicas, quarum testis ipse fuerat, ne dilaberentur,* [e] *scripto mandauit.* Noster Anachorita *Telesphorus*, qui *ieiunium Quadragesimæ* [f] *sancitum ab Apostolis obseruari seuerius iussit.* Noster *Irenæus* [g], qui à successione Cathedraque Romana fidem Apostolicam declarauit. Noster *Victor Pontifex*, qui Asiam edicto [h] coërcuit vniuersam;

Cœlites.
[a] *Aug. ser. 37. de Sanctis.*
[b] *Dam. in Vit. Pont. Rom.*
[c] *Hier. in cat script.*
[d] *Ign. ep. ad Smyr.*
[e] *Euf. lib. 3. cap 30.*
[f] *Dam. in Vit. Telesp. to. 1 con. de conf. d. 4.*
[g] *Lib. 3. c. 3.*
[h] *Eufeb. 5. hist. c. 24.*

ſam: quod cum aliquibus, atq; etiam huic Irenæo viſo ſacratiſſimo videretur aſperius, nemo tamen attenuauit, vt exoticam poteſtatem. Noſter *Polycarpus*, qui ſuper quæſtione [a] Paſchatis Romam abiit, cuius ambuſtas reliquias, Smyrna collegit, anniuerſario die rituque legitimo, ſuum Epiſcopum venerata. Noſtri *Cornelius* & *Cyprianus*, aureum par martyrum, ambo magni preſules, ſed maior ille, qui [b] Romanus Africanum errorem reſciderat, hic nobilitatus obſeruantia, qua maiorem eſt proſecutus amiciſſimum ſui. Noſter *Sixtus*, cui ad aram ſolennibus ſacris operanti, miniſtrârunt è [c] Clero ſeptem viri. Noſter *Laurentius* huius archidiaconus [d], quem aduerſarii de ſuis faſtis eiiciunt, quem ante mille ducentos annos vir conſularis [e] *Prudentius* ſic orauit.

Quæ ſit poteſtas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Hos inter ô Chriſti decus,
Audi & Poetam ruſticum,
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem ſua.
Audi benignus ſupplicem
Chriſti, reum Prudentium.

Noſtræ virgines illæ perbeatæ, [f] *Cæcilia, Agatha, Anaſtaſia, Barbara, Agnes, Lucia, Dorothea, Catharina,* quæ decretam pudicitiam

[a] *Euſeb. 4. hiſt. 13. & 14. Suidas*

[b] *Euſeb 7. hiſt. 2. interp. Ruff.*

[c] *Prudent. in hymno de S. Laurent.*

[d] *Vide Auguſt. ſer. 1. de S. Laur. Amb. lib. 2. off. c. 28. Leo ſer. in die S. Laur.*

[e] *Prud. in hym. de S. Laurent.*

[f] *Metaphr. Amb. ſer. 90 to. 3. & lib. 1. de Virg. Ado. Tre. in marty.*

tiam aduerſus & hominum & Dæmonum tyrannidem firmauerunt. Noſtra *Helena*, [a] quam dominicæ crucis inuentio celebrauit. Noſtra *Monica*, [b] quæ moriens orari & ſacrificari pro ſe mortua ad altare Chriſti religioſiſſimè flagitauit. Noſtra *Paula*, [c] q̃ ex vrbano Palatio & opimis prædiis in ſpeluncam Bethleemiticam tantis itineribus peregrina cucurrit, vt ad Chriſti vagientis cunabula deliteſceret. Noſtri *Paulus*, [d] *Hilarion*, *Antonius*, [e] ſeniculi ſolitarii. Noſter Satyrus, Ambroſii germanus frater, [f] qui tremendã illam hoſtiam circum ſe geſtans in orario, naufragus inſiliit in Oceanum, & fide pleniſſimus enatauit. Noſtri [g] *Nicolaus* & [h] *Martinus* Epiſcopi, exerciti vigiliis, paludati ciliciis, ieiunio paſti. Noſter *Benedictus*, [i] tot monachorum pater. Chiliadas iſtas decennio non exequerer. Sed nec illos repeto quos in Eccleſiæ Doctoribus ante poſueram. Memor ſum breuitatis meæ, petat iſta qui volet non ſolùm ex abundanti veterũ hiſtoria, ſed multò etiam magis ex grauiſſimis auctoribus qui penè ſinguli ſanctos ſingulos memoriæ [k] reliquerunt. Renunciet mihi de Chriſtianis illis antiquiſſimis & beatiſſimis, qui autumet, vtri' doctrinæ fuerint, Catholicæ an Lutheranę. Teſtor Dei ſoliũ, & illud tribunal ad quod ſtabo rationem harum & dicti facti redditurus, aut nullũ cœlum eſſe, aut noſtrorum eſſe, illud execramur, hoc ergò deſigimus.

Nunc

[a] *Euſeb. 8. hiſt. 7. Ruff. lib. 1. cap. 8.*
[b] *Ex Aug. lib. 9. conf. cap. 7. & ſeq. ad 13.*
[c] *Hieron. 27. epiſt. ad Euſto.*
[d] *Hieron. in Catal.*
[e] *Athanaſ. in vita eius*
[f] *Ambr. in orat. ſu. de Satyro.*
[g] *Ioan. Diacon.*
[h] *Seu Sulp. Metaphr.*
[i] *Gre. lib. 2. dial.*
[k] *Vide 6. Tom. Surij de vit. San.*
Vide 12. tom. Sur.

Nunc è contrario si libet, inspiciamus in *Tartara*. Cremantur incendio sempiterno: qui? Iudæi. quam Ecclesiam auersati? nostram. qui? Ethnici, quam Ecclesiam crudelissimè persequuti? nostram. qui? Turci, quæ templa demoliti? nostra. qui? Hæretici, cuius Ecclesiæ perduelles? nostræ. Quæ enim Ecclesia præter nostram, omnib. inferorum [a] portis se opposuit. *Damnati.* *[a] Matth. 16. v. 18.*

Cùm pulsis Hebræis, [b] Christiani succrescerent Hierosolymis, Deum immortalem, qui concursus hominũ ad loca [c] sacra fuit, quæ vrbis Religio, quæ sepulchri, quæ præsepii, quæ crucis, quæ monumentorum omniũ quibus velut exuuiis mariti Ecclesia Sponsa delectatur? Hinc manauit in nos Iudæorũ odium, ferum & implacabile. Queruntur etiam nunc, maiores nostros maioribus suis exitio fuisse. A Simone Mago & Lutheranis nullum ictum acceperunt. *Iudæi.* *[b] Euseb 4. hist. 5.* *[c] Hiero. in epist. Pau. & in epi. ad Marc. & passim in epist.*

In Ethnicis violentissimi fuêre, qui toto Imperio, trecentis añis, per interualla temporum, ærumnosissima Christianis supplicia machinati sunt. Quibus? patribus & filiis nostræ fidei. Cognoscite vocẽ Tyranni, qui S. Laurentium torruit in craticula. *Ethnici.* *Leo serm. de S. Laur.*

Hunc esse vestris Orgiis
Moremq; & artem proditum est?
Hanc disciplinam fœderis,
Libent vt auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt,
Fumare sacrum sanguinem,

Prud. in hym de S. Laur.

Auro-

Auroque, nocturnis sacris,
Adstare fixos cereos.
Tunc cura summa est fratribus,
(Vt sermo testatur loquax)
Offerre, fundis venditis,
Sestertiorum millia.
Addicta auorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit
Sanctis, egens, parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros: malis
Suadendo quos præstigiis
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu.
Hos poscit vsus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Vt dedita stipendiis
Ducem iuuet pecunia.
Sic dogma vestrum est, audio,
Suum quibusque reddito,
En Cæsar agnoscit suum
Numisma, nummis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da: nempe iustum postulo.
Ni fallor, haud vllam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit.

Præcepta

Præcepta sed verbis dedit
Inanis à marsupio.
Implete dictorum fidem,
Quæ vos per orbem venditis
Nummos libenter reddite,
Estote verbis diuites.

Quis videtur? In quos furit? Cuius Ecclesiæ sacra, lychnos, ritus, ornamenta cõuellit? Cui patellas aureas, & argenteos calices, & sumptuosa donaria, & opulentam gazam inuidet? profectò *Lutherizat*. Quod enim aliud velum suo latrocinio nostri *Nemrodes* obtenderunt, cùm depecularentur Ecclesias, & Christi patrimonium dissiparent? Contra verò magnus ille *Constantinus*, Christomastigon terror, quam Ecclesiam tranquillauit? Illam, cui *Pontifex* [a] *Syluester præfuit*, quẽ in Soracte latitantem accersiit, vt eius opera nostro baptismate tingeretur. Quibus auspiciis victor: [b] *signo crucis*. Qua matre gloriosus? Helena. Quibus se patribus adiunxit? Nicenis. Cuiusmodi? vt *Syluestro*, vt *Marco*, vt *Iulio*, vt *Athanasio*, vt *Nicolao*. Cuius se precibus commendauit? [c] Antonii. Quam sellam postulauit in [d] Synodo? vltimam. O quanto regalior hac sede, quàm qui Regis titulum non debitum ambiêrunt? singula narrare longum est. Sed ex his duobus, altero nobis infestissimo, altero nobis amicissimo, licebit singula coniicere, quæ sunt horum similima. Etenim,

Gen. 10. & 9.

a *Dam. in Syluest.* *Zonaras.* *Niceph. lib. 7. cap. 21.* *Cedrenus.*
b *Euseb. li. 2. de vita Constan. c. 7. 8. 9.* *Sozom. lib. 1. ca. 90.*
c *Athanas. in vita S. Anton.*
d *Theod. li. 1. hist. c. 7.*

vt nostrorũ illa fuit Epitasis turbulenta, sic nostrorum hæc euasit diuina Catastrophe.

Turci. Turcica videamus. a *Mahometes* & *Sergius* monachus Apostata, in profundo barathro iacent vlulantes, & suis & posterorum sceleribus onusti. Hæc portentosa, & effetata bellua, *Saraceni, Turci*, nisi à nostris ordinibus b militiæ sacræ nisi à nostris principibus & populis accisa fuisset ac repressa, per *Lutherum* quidem (*cui gratias hoc nomine Solymannus Turcus literis egisse dicitur*) & per Lutheranos regulos (quibus Turcorum progressio lætabilis existimatur) hæc inquam: Erynnis furiosa & exitiosa mortalibus, totam iam depopularetur, & vastaret Europam, neque indiligentiùs altaria & signa crucis, quam ipse Caluinus euerteret. Ergo nostri hostes illi sunt proprii, vtpote nostrorum industria, à Christianorum iugulis repulsi.

a Zonaras. b Vide Volater. Iouium Aemil. li. 8. Blond. lib. 9. dec. 2.

Hæretici. Despectemus in Hæreticos, feces & folles, & alimenta Gehennæ. Primus occurrit *Simon Magus*: Quid ille? Eripiebat homini liberam voluntatem: c solam fidem d percrepabat. Mox *Nouatianus*: Quis? Antipapa Cornelio Põtifici Romano e hostis Sacramentorum pœnitentiæ & f Chrismatis. Deinde *Manes Persa*: Hic docebat Baptismum salutẽ non g conferre. Post *Aerius Arrianus*: preces h damnabat pro mortuis, confundebat Episcopis Sacerdotes. Hinc *Ætius* solã i & ipse fidẽ personabat:

c Clem. lib. 2. recogn. d Iren. lib. 1. cap. 2. e Cyp. epist. ad iubaian. & lib. 4. epist. 2. f Theodor. de fab hær. g August. hæret. 46. h Epiphan. hær 75.

bat: cognominatus a Atheos, non minùs quàm Lucianus. Sequitur *Vigilantius*, b qui sanctos orari nō ferebat: ac *Iouinianus*, c qui virginitatē & nuptias æquiparabat: denique colluuies vniuersa, *Macedonius*, *Pelagius*, *Nestorius*, *Eutyches*, *Monothelitæ*, *Iconomachi*, cæteri, quibus Lutherū & Caluinum posteritas aggregabit. Quid isti? Omnes mali corui, eodem ouo geniti, ab Ecclesiæ nostræ præsulibus desciuerunt, ab illis euicti & exinaniti sunt.

a *Socr. lib. 2. cap. 28*
b *Hiero. in Vigil.*
c *August. hær. 82.*
d *Hiero. in Iouin.*

Deseramus Auernum, reddamur terris. Quocunque me oculis & cogitatione conuertero, siue Patriarchas intueor & sedes Apostolicas: siue Antistites cæterarū gentiū: siue laudatos Principes, Reges, Cæsares: siue Christianorū cuiusque Nationis initia: siue vllum iudiciū vetustatis aut lumen rationis, aut honestatis decus: nostræ fidei seruiunt, & suffragantur omnia. *Terra.*

Testis Romana successio d *in qua semper Ecclesia* (vt cum Augustino loquar) *Apostolicæ Cathedræ viguit principatus*: Testes illæ reliquæ Sedes Apostolicæ, in quas hoc nomen insigniter conuenit, quod ab ipsis Apostolis e horumue auditoribus exædificatæ sunt.

Sedes Apostolica Epi. 162.
e *August.*
f *Vide Tir. de præsc. Aug. li. 2. de Doct. Chr. cap 8.*

Testes vbiuis gentium pastores loco dissiti, religione nostra concordes *Ignatius & Chrysostomus* Antiochiæ: *Petrus, Alexander, Athanasius, Theophilus*, Alexandriæ: *Macarius & Cyrillus*, Hierosolymis:

Dissunctissima terra.
Hiero. in cat script. Eccl. & alis.

Proclus Constantinopoli: *Gregorius* & *Basilius* in Cappadocia: *Thaumaturgus* in Ponto: Smyrnæ *Polycarpus*: *Iustinus* Athenis: *Dionysius* Corinthi: *Gregorius* Nissæ: *Methodius* Tyri: *Ephreemus* in Syria: *Cyprianus, Optatus, Augustinus* in Africa: *Epiphanius* in Cypro: *Andreas* Cretæ: *Ambrosius, Paulinus, Gaudentius, Prosper, Faustinus, Vigilius* in Italia: *Ireneus, Martinus, Hilarius, Eucherius, Gregorius, Saluianus,* in Gallia: *Vincentius, Orosius, Hildefonsus, Leander, Isidorus* in Hispania: in Britannia, *Fugatius, Damianus, Iustus, Mellitus, Beda.* Denique ne ambitiosus videar in nominibus, quæcunque vel opera vel fragmenta supersunt eorum, qui disiunctissimis terris Euangelium seuerunt, omnia nobis vnam fidem exhibent, quam hodie Catholici profitemur. Christe, quid causæ tibi afferam, quo minùs me de tuis extermines, si tot luminibus Ecclesiæ, tenebricosos homulos, paucos, indoctos, dissectos, improbos, antetulero?

Principes. Testes item Principes, Reges, Cæsares, horumque Respublicæ, quorum & ipsorum pietas, & ditionum populi, & pacis bellique disciplina se penitùs in hac nostra doctrina Catholica fundauerunt. Hic ego quos ab Oriente *Theodosios*, quos ab Occidente *Carolos*, quos *Edouardos* ex Anglia, *Ludouicos* è Gallia, *Hermingildos* ex Hispania, *Henricos* è Saxonia, *VVenceslaos* è Boëmia,

Vide 12. Tomi Surii.

è Boëmia, *Leopoldos* ex Auſtria, *Stephanos* ex Hungaria, *Ioſaphatos* ex India, quos orbe toto dynaſtas atque toparchas poſſim arceſſere: qui exemplo, qui armis, qui legibus, qui ſollicitudine, qui ſumptu noſtram Eccleſiam nutriêrunt? Sic enim præcinuit Iſaias: *Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Audi *Eliſabetha*, Regina potentiſſima: tibi tantus propheta canit, te tuas partes edocet. Narro tibi: *Caluinum* & hos principes vnum cœlum capere non poteſt. His ergò te Principibus adiunge, dignam maioribus, dignam ingenio, dignam literis, dignam laudibus, dignam fortuna tua. Solum hoc de te molior ego, & moliar, quicquid de me fiet, cui tamquam hoſti capitis tui, toties iam iſti patibulum ominantur. Salue bona crux. Veniet, Eliſabetha, dies ille. ille dies, qui tibi liquidò commonſtrabit, vtri te dilexerint, Societas IESV, an Lutheri progenies. Pergo.

Iſaia 49. v. 23.

Apoſtrophe ad Reginam.

Teſtes iam omnes oræ plagæq; mundi, quibus Euangelica tuba poſt Chriſtum natum inſonuit. Parumne hoc fuit, Idolis ora claudere, Dei regnum gentibus importare? Chriſtum Lutherus, Catholici Chriſtum loquimur. Num diuiſus eſt Chriſtus? minimè. Aut nos, aut ille falſum Chriſtum loquimur. Quid ergò? Dicam. Chriſtus ille ſit, & illorum ſit, quo *Dagon* inuecto ceruices fregerit. Noſter Chriſtus

Nationes ad Chriſtũ traducta.

1. Cor. 1. v. 13.

1. Reg. 5. v. 4

opera nostrorum vti voluit, cùm *Ioues*, *Mercurios*, *Dianas*, *Phœbades*, & illam noctem seculorum atram, Erebumque tristem, è tot populorum cordibus relegaret. Non est otium longinqua perquirere: Finitima tantùm atque domestica speculemur. *Hiberni ex patricio*, *Scoti ex Palladio*, *Angli ex Augustino*, Romæ sacratis, Roma missis, Romam venerantibus, fidem aut nullam, aut certè nostram, id est, Catholicam insuxerunt Res aperta. Curro.

1. Reg. 5. & 4.

Cumulus testium.

Testes Academiæ, testes legum tabulæ, testes vernaculi mores hominum, testes electio Cæsarum, & inauguratio, testes Regum ritus & inunctio, testes equitum ordines ipsæque Chlamydes, testes fenestræ, testes nummi, testes vrbanæ portæ, domusque ciuicæ, testes auorum fructus & vita, testes res omnes & reculæ, nullam in orbe religionem nisi nostram, imis vnquam radicibus insedisse.

Quæ mihi cùm suppeterent, & certè sic afficerent meditantem, vt his omnibus nuncium remittere Christianis, & consociari cum perditissimis quibusque, videretur insolentis insaniæ: non diffiteor, animatus sum & incensus ad conflictum, in quo nisi sancti de cœlo deturbentur & superbus Lucifer cœlum recuperet, cadere nunquã potero. Quo mihi sit æquior *Charcus*, qui me tam immaniter concerpit, si hanc

hanc animulam peccatricem quam tanto Christus emit, viæ tutæ, viæ certæ, viæ regiæ, malui credere, quàm *Caluini* ſcopulis dumetiſue ſuſpendere.

CONCLVSIO CAMPIANI.

HAbetis à me *florentes Academici*, hoc munuſculum, contextum operis in itinere ſubciſiuis. Animus fuit & purgare me vobis de arrogantia, & ſatisfacere de fiducia, & interim dum ab aduerſariis vna mecum ad ſcholas inuitemini, quædam apponere deguſtanda. Si æquum, ſi tutum, ſi honeſtum ducitis, haberi *Lutherum*, aut *Caluinum*, Canonem Scripturæ, Mentem ſancti Spiritus, Normam Eccleſiæ, Conciliorum Patrumque Pædagogum, omnium denique teſtium & ſeculorum Deum, nihil eſt quod ſperem, vobis lectoribus vel auditoribus: ſin eſtis ii, quos apud animũ formaui meum, Philoſophi, oculati, amatores veri, ſimplicitatis, modeſtiæ: hoſtes temeritatis, nugarum, ſophiſmatum, facilè diem in aprico videbitis, qui dieculam anguſta rima diſpicitis. Dicam liberè, quod meus in vos amor, & veſtrum periculum, & rei magnitudo poſtulat. Non hoc neſcit Diabolus, vos iſtam lucem, ſi quando cœperitis oculos attollere, conſpecturos. Cuius enim ſtuporis fuerit, antiquitati Chriſtianæ *Hanmeros* & *Charcos* anteponere?

 Sed

Illecebra Lutherana.

Sed sunt quædam *illecebra Lutherana*, quibus suum ille regnum amplificat, quibus ille tendiculis hamatus, multos iam vestri ordinis inescauit. Quænam? *Aurum, gloria, delicia, veneres.* Contemnite. Quid enim aliud ista sunt, nisi *terrarum ilia, canorus aër, popina vermium, bella sterquilinia?* spernite. Christus diues est, qui vos alet: Rex est, qui ornabit: Lautus est, qui satiabit: speciosus est, qui felicitatum omnium cumulos largietur. Huic vos adscribite militanti, vt cum eo triumphos, verè doctissimi, vereq; clarissimi reportetis. Valete. Cosmopoli.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM.

A.

Am-

Anathe-

Anti-

Aposto-

Authori-

Commu-

Conti-

Credere

Deum

Diss.n-

Hære-

HÆRETICI HVIVS TEMPORIS.

Semper

Hierony-

I.

Impietas

Iudam

Legem

M.

Magistri

Mira-

N.

Obedi-

Oratio-

Patrum

Pauli

tanquam

Prædi-

rum

Sapientia

In

Societas

T.

Vaga-

V.

Vincen-

Zeno

Z.

LAVS DEO OPTIMO MAXIMO, VIRGINIQVE MATRI MARIÆ.

FINIS.

ERRATA PRÆCIPVA.

Pag. 1 in Marg. linea 7. lege comm c 24 p. 6. l 14. futura. p. 7. l. 27. enim p. 8 l 1. ἀγνεῶν. p 9. l 9. Sectatores p. 11. l. 20. aliā. p. 16. l. 4. annorum. p. 28. l. 16. ἀλγηδόσιν. p. 34 l. 2?. interpretandus. p 36. l. 7. ne quaerite & p 41. l. 2. sororum. p. 42. l 26. Vicini. p. 44. l. 25. adde, partis. p. 54. in Marg. χρησ-φυγετα. p. 97. l. 14. adde, istas. p. 104 l. 4. adde, ipsorum. p 105. l. 7. illum igneum. p 136. l. 13. adde post deprehenduntur: pleriq; nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbi fide extorres, quasi sibi late vagantur. p. 144. l. 4. desierat. p. 154. l. 6. adde post Ecclesia, honorem p. 203. l 3. attende. p. 207. l. 20. Diri. p. 221. l 38. adde, illustrat. p. 244. l. 13. pro 5. lege S. p. 245. l. 4 post consubstant. adde, sed tamen minorem patre filium. Ibid l 11. post peccato, adde, sucs. Ibid. l. 13. adde, Donatista p. 246. l. 3. extincta. p. 264 l. 34. post Iudicabit, adde, lector. p 273. l. 31. dele vel: & pro quadam, lege quodam p. 279. l 21. librauit. p. 280. l. 9. prooemium. Ibidem. l. 11. Genes. 22. p. 290. l 28. vniuersè. & l 30. praedicabitur. p. 292. l. 26. Vno p 305. l. 23. pro nulla, lege, multa. 316. l. 11 pro vti, lege vbi. p. 324. l. 4. & 5 lege, quod tamen vi ipsim scribere audeant. p 332 l. 5. Comparant haereses p. 336. l. 27. pro obsitus, potes legere obsita p 365. l. 19. querebantur. & l. 21. libros p. 368. pro Rauenna *lege rauim. & l. 19 eat pro erat. p 386. l 28 queritur p 395. l. 16. sunt, pro sint. p 407. l. 13. quid te hoc. p. 503. l. 14. pro Deo vlli vsquam colant, sed & multi. p. 605. infra in marg. quam.*

Caetera prudens aequusq; Lector *per se corriget.*

IVSTI BARONII

VETERACASTRENSIS

SS. TH. ET I. V. D. ILL^mo. ARCH^po. Moguntino à consilijs.

PRO PRÆSCRIPTIONIBVS SVIS ADVERSVS IOHAN. RAInoldum AngloCaluinianum

VINDICIÆ.

AD ILL^um ET REV^um D. BERNHARD. PAVLINVM S. D. N. Datarium.

Apocal. 2. 4. 5.

Habeo aduersum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem: Venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.

ILL^mo ET REV^mo

D. BERNHARDINO PAVLINO S^i. D^i. N^i. CLEmentis VIII. Pont. Max. Datario

IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS. S.

DIV est quod tibi debere incipio, ILL^me & REV^me DOMINE. At quanto diutius debeo, tanto minus persoluo. Malo inquis augurio. Fateor: Sed quanto melius est, profiteri debitum, quam negare, tanto præclarius cum vtroque nostrum nunc agi existimabis. Coram in me humanus ac liberalis extitisti: absens humanior ac liberalior. Nec illud in me solum, sed propè totam gentem nostram, quæ prisco more frequenter in Vrbe hospes, suauitate tua & munificentia ita delinita est, vt passim hic inter Principum aulæ nomen tuum vt benignum Italię sidus prædicent, atq; vt verbo dicam, planè tanquam alterum LVCVLLVM, de quo hæc* Plutarchus. *Græcos quosdam per dies aliquot magnificè tractarat. Cumq; illi se mirari dicerent, quod tantum impendiorum sua causa faceret: Non nihil inquit ô hospites vestra causa, sed maxima pars Luculli gratia.* Hanc illi laudis

*In Apoph. Rom.

& glo-

& gloriæ mercedem tibi, Ampl[me] Pauline. Quid ego, pluries etiam verbo, literis, factis à te cohonestatus? Fidem testor, ni iam dudum de ἀχαριστίας crimine scrupulus mihi subiit. Cui eximendo cum par tamen facultas nondum suppeteret, Ecce hoc tenui munusculo purgare moram volui, non liberare fidem. Munusculo inquam Polemico, quod vt † *Mitia poma castaneaq; nuces* Virgiliano illi Tityro præcipuæ, ita nobis limitaneis hic militibus aduersus fidei barbaros, vt quisque potest, excubantibus, facilè princeps & palmarium est. Accipe igitur per Deum serena fronte munerandi voluntatem: & quemadmodum † *Lycurgus minimi sumptus sacrificia Lacedæmone constituisse dicitur, quo Deos Immortales honorandi semper in promptu esset copia*: ita tuam quoq; tuique similium maiestatem vel maximè decere existima, non tam magna largiri, quàm parua benignè alacriterq; vicissim accipere. Vale. Moguntiæ. Nonis Februar. M. DCV.

† *Ecloga* 1.

† *Plutarch. in Apoph. Lacon.*

CÆ-

CÆSAR BARONIVS SORANVS S.R. E. CARD. ILLVSTRISSIMO D. IOANNI ADAMO, ARCHIEPISCOPO & ELECTORI MOGUNTINO S. P. D.

QVi Moguntia Romam venit *Iustus Caluinus*, idem modo reuertitur Roma Moguntiam *Iustus Baronius*. Quem enim Ecclesia Catholica accepit in sinum, ego in familiam meam libẽter suscepi, cum etiã iure spiritualis cognationis, Virtute Sacramenti CONFIRMATIONIS, quod consecutus est à Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTE Papa VIII. eundem genui mihi filium, & vt spero, non degenerem leonis catulum, qui iam exeruit vngues in eos, qui ipsum in cauea impietatis detinuere captiuum. Hunc igitur his decoratum à nobis insignibus iam antea filium tuum, ouemq; pascui tui, rogo iterum atq; iterum vti pater benignus amplectere, & vigilantissimus pastor enutri, vti patronus

nus foue, protectorq; defende, suscepturus ego in me cuncta in ipsum collata officia & beneficia, quo nomine Reuerendissimæ Dominat. Vestræ deuinctus perpetuo permanebo. Qui & pro Episcopali munificentia erga eius familiam ipso absente abundè satis exhibita, plurimas gratias ago. Vale, Romæ. 15. Calend, Octob, Anno Domini M. D. C II.

I L-

ILL^me ET REV^me

D. CÆSARI BARONIO SORANO, S.R.E. CARdinali, S. Sedis Apostolicæ Bibliothecario

IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS S.P.D.

EGo omni officio ac potius pietate erga te cæteris satis facio omnibus, mihi ipsi nunquam satisfacio. Tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum (pergo cum [a] *Cicerone* Vestrate te alloqui, CARDINALIS AMPL^me) vt quoniam tu nisi perfecta re omni, id est omnibus pristini erroris mei lineamentis erasis, meq; ipso auspicacioris tibi cognominis fœdere associato, de me non conquiesti: ego quia non parem tibi gratiam referre possum, vitam mihi esse acerbam putem. Quamobrem mihi sacer erit perpetuo [b] Calendarum ille Septembrium dies, cum mane mecum & cum fratre in *Lateranum* profectus, Pontifice Maximo (quæ singularis eius erga nos humanitas fuit) è *Quirinali* eodem aduentante, primumq; solenniter sacris ad animi etiam nostri alimoniam operante, postea neglecta dudum hære-

a 1. Famil. Epist. 1 ad P. Lentul.

b Anni M.DCII.

ticis initiationibus *Sanctissimi* [c] *Chrismatis signacula* frontibus nostris imprimente, tu quæ Sacramenti istius Solennitas est, mihi patrini loco adstare, mecumq; spiritualem illam cognationē inire, quæ verò tua longè maxima bonitas, hoc mysticæ cognationis Vinculum, immortali cognominis tui arrha obsignare dignatus es. Quam ego tuam longè Illustrissimi Principis erga me imum terræ filium longè prolixissimam humanitatem, quibus verbis efferam, quibus laudibus prædicem, penes balbutiem meam non reperio. Equidem æmulatus videris patrem [d] Euangelicum, qui vt filium lacerum pannosumq; ad se postliminio redeuntem, quam primum eiectis centonibus *noua stola indui*, & *annulo nouo ornari*, & *calceamentis nouis muniri* iussit: ita tu pertæsus in me familiaq; Sanctæ Ecclesiæ proselytis turpissimi *Caluiniani nominis* Exuuias, constitutis iam ex voto reliquis, nō satis nos nouo ornari cognomine habuisti, sed quo in omnibus mensura amoris tui largiter reduntaret, tuo etiam proprio ornasti, tuo proprio beasti, tuo proprio collocupletasti: infelice illo CALVINO longe [e] *vltra Sauromatas & glacialem Oceanum* relegato. Quam rem etsi molestè quidam, vt audio, quidam etiam inuidè & acerbè ferunt, mea tamen pluris ratio facti, quam hominum malignitas interesse debet.

c S. Leo serm. 4. de Natiuit. Dni. cap. 4.

d Luc. 15. 22.

e Iuuenal. Satyr. 2.

Pri-

Primum enim quis vel leuiter juris prudens istud non habet perspectissimum [f] *nomina* ad recognoscendum singulos imposita, & [g] *mutabilia* esse, & liberrimæ inter homines liberos Electionis? Statuentibus sic duobus famosissimis Diocletiano & Maximiniano Impp. *Sicut* [h] inquiunt, *in initio nominis, cognominis, prænominis, recognoscendi singulos impositio libera est priuatis: Ita eorum mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaq; nomen, vel prænomen, siue cognomen, sine aliqua fraude licito Iure, si liber es, secundum ea quæ sæpe statuta sunt, minimè prohiberis, nullo ex hoc præiudicio futuro.* SI LIBER ES, inquiunt. Nam Seruorum alia ratio, qui vt in [i] Iure pessimo loco sunt, ita nomen non in sua, sed in Dominorum potestate constitutum habent: cuius rei mox indicia aliquot apparebunt. Deinde FRAVDEM quoque abesse volunt. [k] Dolo enim malo se ipsum adoptans, aut nouum sibi nomen imponens, pœnam *legis Corneliæ* incurrit quemadmodum. [l] *Seruus ille quasi Fabiæ filius esset, ex Ceioni Commodi filia Palatina domo vindicata, iubente Pertinace flagellis cæsus, Domino redditus est*: Et [m] *Herophilus Equarius medicus C. Marium septies consulem, auum sibi vindicans, decreto Cæsaris extra Italiam relegatus est*: deniq; [n] *alius quidam clarissimæ Octauiæ Augusti sororis vtero se genitum fingens, Imperio Augusti remo*

f l. 1. C. de mutat. nominis & §. Si quis in nomine. Instit. de Legat.
g Vlp. l. 4. C. de Legat.
h l. 1. C. de mutat. nomin. Adde Boss. cap. 40. de mutat. nom. Pet. Gregor. lib. 36. synt. cap. 4.
i l. 107 & 146. & 209. & 211. ff. de Reg. Iur.
k l. falsi nominis. 13 ff. ad l. Cornel. Paul. lib. 5. sent. tit. 25. ad l. Corn. §. si quis sibi.
l Capitolin.
m Val. Max lib. 9. cap. 16.
n Val. Max. Ibid.

publica triremis affixus est. At liberorum hominum bona fide vel sibi, vel seruis suis, aut libertis, aut filiis adoptiuis, aut hæredibus, aut ciuibus à se factis nomen immutantium, tam cõferta sunt Romanæ Historiæ exempla, vt quibus seligendis potissimum inhæream, ægrè mecum constituam. *Aulus*[o] *Vitellius* (prima siquidem recensio Imperatorum esto) Germanici cognomen sibi delatum, cupidè recepit, Augusti distulit, Cæsaris in perpetuum recusauit. *Seuerus Afer*, vt Populo Romano placeret, cognomen Pertinacis accepit.[p] *Julianus* vt militibus voluptuosis satisfaceret, Commodi nomine vsus est.[q] Tandem & *Commodus* loco sui nominis, & pro Marci filio, Herculem Iouis filium se nominari voluit, depositoq; cultu Romanorum Principũ pellem Leonis substituit, ac clauam manu gestauit, demumq; se mille gladiatorum victorem appellari iussit. Quam rem quoque Ausonius in Tetrastichis tetigit.

o Sueton. in Vitell. cap. 8.

p Herodian. lib. 2.

q Herodian. lib. 2.

COMMODVS *insequitur pugnis maculosus arenæ,*
Threcidico Princeps bella movens gladio.
Eliso tandem persoluens gutture pœnas
Criminibus, fassus matris adulterium.

De seruis seruitutem adhuc seruientibus[r] memoriæ proditum est, prænomen Domini gestare solitos: quod & *Lucipores, Marcipores, Publipores, Quinctipores*: id est, Lucii,

r Carol. Sigon. lib. de nomin. Rom. Polit. Ms. cap. 8.

Lucii, Marci, Publii, & [s] Quincti pueri te statum faciunt. De libertis appellationem Patroni imitātibus, exemplo sunt [t] *M.Tullius Tiro*, & [u] *M.T. Laurea*, Ciceronis Liberti duo, nec nō [x] *Liui° Andronicus* Poëta, quem à Marco Liuio Salinatore, cuius filios erudierat, libertate donatum Eusebius in Chronicis author est: denique vt multos præteream, *Eutychides* Attici seruus; de quo sic [y] Cicero: *De Eutychide gratum est, q vetere pranomine, nouo nomine T. erit Cacilius, vt est ex me & te iunctus Dionysius Marcus Pomponius.* Iā adoptiuos [z] Dion author est, Omnia illorum nomina ferre consueuisse, quorum in familiam transissent, gentilitio nomine suo retento quidem, sed aliqua tamen ex parte commutato, & plerunque in ANVS terminato: vt in exemplis *P. Cornelii Scipionis Æmiliani*, & L. *Manlii Acidini Fuluiani*, & *P. Licinii Crassi*, & *Q. Cacilii Q. F. Pomponiani Attici*, & *M. Terentii M.F. Liciniani Varronis Luculli*, aliorumq; plurium manifestum est. De Ciuitate donatis eundē morem prodit antiquitas. Sic enim [a] Cicero: *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo ciuitatem à Cæsare impetrauit, qua in re ego interfui. Itaq; nunc* P. *Cornelius vocatur.* Item [b] Cæsar. *Commodissimum visum est*, M. *Valerium Procillum C. Valerii Caburi filium* cuius

s Quintil. lib. 1. cap. 7.
t Cic. 16. Fam. passim.
Euseb. in Chron. Olymp. 193.
u Plin. lib. 31. cap. 6. & 15.
x Gell. 17. cap. vlt.
y lib. 4. ad Attic. Epist. 14.
z lib. 40. 46. & 58. Adde Manut. comm. in lib. 1. Epist. Cic. ad Marc. Brut. Epist. 1. & com. in lib. 2. Cic. ad Q. Fratr. Epist. 1.
a lib. 3. fam. Epist. 36.
b lib. 1. de bello Gallico

cuius pater à C. Valerio Flacco ciuitate donatus erat, mittere. Proſtremò & hæredibus teſtamento ſæpe noua nomina impoſita[c] leges multæ docent, multaq; exempla. Liuia enim cum Dolabellam ex parte hæredem inſtituiſſet, nomen mutare iuſſit. Qua de re ſic [d] Cicero ad ſuum Atticum. *Dolabellã video Liuiæ Teſtamento cũ duobus cohæredibus eſſe in triente, ſed iuberi mutare nomẽ. eſt πολιτικὸν σκέμμα, rectũ ne ſit nobili adoleſcenti mutare nomen mulieris teſtamento ſed id φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν, cum ſciemus, quantum quaſi ſit in trientis triente.* Sic [e] Baſilius quoque *M. Satrium* ſororis filium cum feciſſet hæredem, nomen ſuum ferre voluit: nec non Octauius *Tiberium* ex parte dimidia & ſextante, & *Liuiam* ex parte tertia hæredes inſtituens, eandem illis ferendi nominis ſui conditionem impoſuit. Quod[f] Ouidius fata Auguſti canens hiſce verſibus prædicat.

——————— Inq; futuri
Temporis æterni venturorumq; nepotum
Proſpiciens, prolem ſancta de coniuge natam,
Ferre ſimul nomenq; ſuum curaſq; iubebit.

ATque hæc ex vſu priſcæ illius laudatiſſimæque Romanorum Reipub. inſtituto noſtro ſufficere poterant. Sed & ipſa hiſtoria ſacra, receptusque Chriſtianorum

c l. ſed etſi & l. facta §. ſi ſub nomine ff. ad Trebel.
d lib. 7. ad Attic Epiſt. 8.
e Cic. 3. offic.
f lib. 15. Metam. Adde Briſſon. lib. 7. de Formul.

norum mos, maiora nobis aptioraque exemplorum præsidia subministrant. Ipso enim sacrorum Codicum in limine quid? Nonne[g] *Abram*[h] fidelium pater[i] abiecto idolorum cultu, susceptaque Veri Dei religione[k] Abraham vocatus est? Et[l] *Sarai* vxor eius[m] Sara? Et[n] *Ioseph*, Sapnathopaneas? &[o] *Daniel*, Balthasar? & *Ananias*, Sidrach? & *Misael*, Misach? & *Azarias*, Abdenego? Et[p] *Simon* Apostolorum Princeps, Petrus? &[q] *Iohannes Iacobusq;* fratres, Boanerges? &[r] *Saulus*, Paulus? & fideles denique omnes[s] *discipulorum* nomen Antiochiæ, nonne cum voce Christianorum permutarunt? Quam rem sic pulchrè suis rationibus illustratam exposuit[t] S. Athanasius. *Omnes* inquit *qui credebant in Domino nostro Iesu Christo, non Christiani, sed discipuli tantum modo vocabantur. Et quia multi nouorum dogmatum auctores extiterunt, doctrinæ obuiantes Apostolicæ, omnes sectatores suos, discipulos nominabant, nec vlla erat nominis discretio inter veros falsosq; discipulos, siue Christi, siue Dosithei, siue Iudæ cuiusdam, siue Iohannis sectatores, qui se quasi Ecclesiæ fatebantur, quin potius vno discipulorum nomine ferebantur. Tunc Apostoli conuenientes Antiochiæ, sicut horum (Lucæ*[v] *narrante) Acta testantur, omnes discipulos vno nomine, id est* Christianos *appellant, discernentes à communi* discipulorum *vocabulo, & vt diuini per Isa-*

g Gen. 11. v. 26. 27. 29. Gen. 12. v. 1. 4. 6. 7.
h Rom. 4. v. 11. 12. 16. 17. Gen. 17. 5. Luc. 19. v. 9.
i Gen. 11. 31. & 12. 7. 8. & 13. 18. Ios 24. 2.
k Gen. 17. 5.
l Gen. 11. v. 29. 30. 31.
m Gen. 17. 15.
n Gen. 41. 45.
o Daniel 1. 17.
p Matth. 10. 2. & 16. 18.
q Marc. 3. 17.
r Act. 13. v. 9. 13. 16. Origen. præf. Com. in Epist. Rom.
s Act. 11. 26. & 26. 28.
t Athanas. in disput. cont. Arium.
v Act. 11. 26. & 26. 28.

Isaiam Oraculi sermo compleretur, quo ait: seruientibus mihi vocabitur nomen nouum. *Hanc ergo ab Apostolis traditam de nouis vtendis nominibus formam Ecclesia tenens contra diuersos hæreticos (vt sanæ fidei ratio postulat) diuersas edidit nominum nouitates.* Quæ postrema S. Athanasii verba, quasi publicam & receptam hanc mutandorum in Ecclesia nominum consuetudinem fuisse docent: quod & [x] Eusebius testatur, cum scribit. *Christianos olim pro nominibus Idolorum, quæ ipsis fuerant à parentibus imposita, noua sibi nomina alicuius prophetæ, Eliæ, Ieremiæ, Isaiæ, Samuelis, Danielis,* &c. *adsciuisse.* Idque plerunque Sacramentis (vti verisimile est) interuenientibus. Sic enim in Baptismo [y] *Adrias & Paulina* à B. Stephano Episcopo noua nomina Neonis & Mariæ acceperunt. Sic in Chrismatis Sacramento (ne ego primus id tentasse videar) [z] *Hermenigildus,* Hermenigildi Regis filius, ex hæretico Catholicus factus, Iohannes vocatus est. Et [a] *Voicechus,* vel vt alii legunt, *VVentius* in Baptismo dictus, Pragensis Episcopus à S. Adelberto primo Archiepiscopo Magdeburgensi, sacro Chrismate inunctus, Adelberti nomen traxit. Denique *Carolus IV. Imp.* primum Wenceslaus dictus, idem

x Euseb. lib. 8. cap. 20. 21.

y Baron. Tom. 2. Annal 259. §. 11.

z Greg. Turon. lib 5. cap 8. 3.

a Baron. Tom. 10. Ann. An. 980. § 1. Adde notas ad SS. Martyr. Abundii, Abundantii & c Passiones Romæ excus. An. 84. f. 133.

Imperatorium nomen Parisiis cum Sacro Balsamo recepit. Quæ tanta tantorum Principum exempla (Pontificum enim Romanorum, multorumque religiosorum receptissimum in hoc genere zelum in præsens omitto) hoc vno à me distant, quod illi propria etiam nomina, firmius scilicet impacta, ego solum cognomentum, idque odiosissimum ac turpissimi hæresiarchæ sono maculosissimum refigendum atque abolendum putaui. Quod potissimum defensionis meæ caput nunc sequitur, vt paucis etiam pro instituti breuitate perstringam.

Scribunt [b] probati authores, tanta cura veteres nominum δυσφημίαν vitasse, vt ne *Epidamni* quidem aut *Maleuenti* nomina ferrent, quin ea tandem in Dirrachii & Beneuenti appellationes commutarent: Ominis scilicet causa, vt à [c] veteribus traditum est, ne eo locorum profecturis ipso nomine triste quid portendi videretur. Scribit etiam [d] Plinius, Publicis lustris *nomina* victimas ducentium *prospera* electa fuisse. Et in publicorum vectigalium locatione *lacum Lucrinum* propter Lucri sonum nomini inhærentem primum locatum fuisse, Festus

[b] Suet. in Augusto cap. 92. Al. de Brisson. lib. 1. de formul.

[c] Plin. lib. 3. cap. 11. & 23. Põp. Mela. lib. 11. cap. 1. Plaut. Menæchmi Act. II. scen. 1. Dion. lib. 41.

[d] Plin. lib. 28. Cap. 2.

Festus tradit his verbis: *Lacus Lucrinus in Vectigalibus publicis primus locatur fruendus, Ominis boni gratia, vt in delectu Censuue primi nominantur Valerius, Saluius, Statorius.* Qualibus nominibus dubio procul fuerunt milites, quos [e] Tacitus in Capitolii dedicatione adhibitos fuisse scribit. *Ingressi* inquit *milites, quibus fausta nomina, felicibus ramis.* Sed maiori adhuc cura hæreticorum nominum δυσφημίαν Christianos in Ecclesia euitare consueuisse, argumento est, quod ea ex *Diptychis* etiam delerent, nec memoria quidem viuere paterentur, qui vnanimes in Ecclesia Dei viuere noluissent. Qua de re [f]. *Anastasium Papam* audiamus, de nomine Acacii abolendo ad Anastasium Orientis Imp. sic scribentem. *Legatione fungimur pro Christo: ne eos propter offensionem vel scandalum patiamini publicè nominari, quorum merita vel actus illum Iudicem latere non possunt, in cuius iam sunt iudicio constituti.* Et infra. *Precamur Clementiam vestram, vt specialiter nomen taceatur* Acacii, *& quod multis ex causis scandalum vel offendiculum Ecclesiæ concitauit, speciali appellatione taceatur, cum sicut diximus in generalitate sacerdotum vniuscuiusque meritum illum iudicem latere non possit, qui nouit quid cuique tribuendum sit pro æstimata dispensatione meritorum, cui soli cogitationes quoque manifesta*

e Tacit. lib. 20.

f Epist. de nomine Acac. abolend.

nifesta sunt. Digna SummoPontifice vox, & planè ad amussim illam Apostoli: [g] *Ab omni specie mala abstinete vos*: & iterum [h] *Fornicatio & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* O quanta mali species, Hæresiarcharum laruas in fidelium cœtu circumferre! quanta [i] fornicatio, religiosæ mentis nisum ab vnica Christi sponsa Ecclesia ad fœdissima allophylorum prostibula conuertere! Quorum mentionem vt in [k] *Acacij*, [l] *Macedonij*, [m] *Euphemij*, [n] *Flauitæ*, *Anastasii Imperatoris*, [o] *Zenonis*, [p] aliorumq; cœlestis pudicitiæ contemeratorum nominibus damnatis abolere antiquitas voluit: Ita quis neget hodie pari iure impurissimorum fornicatorum, *Lutheri, Caluini, Zuinglij, Bezæ, Serueti, Gentilis, Melancthonis*, &c. Cognomenta tanquam putrida sterquilinia, non è sacris tantum tabulis, ab vsu & foribus Ecclesiæ, sed è labijs etiam ac sermone hominum eliminanda? Quis enim ex omni antiquitate hæreticus sceleratiora hisce beluis aut fecit, aut facere potuit? *Insurrexerunt* [q] *aduersus testamenta Dei*: tabulas fœderis consciderunt: fidei puritatem coinquinarunt, vnitatis vestem diruperunt, religionis medullam in pulueres ac cineres conuerterunt: *Caluinus* inprimis, qui tanquam Colophon impietatis, horrendo Prædestinationis commento [r] omnibus di-

g 1. Thess. 5. 22.
h Ephes. 5. 3.
i Deut. 31. 16 Esaia 1. 21. Ierem. 3. & 1. 23.
Hieron. Epist. ad Ruf.
k Baron. To. 6. Ann. An. 497. § 8.
l Ibid. An. 515 § 50.
m Ibid.
n Ibid. An. 489. § 3.
o Ibid. An. 518. § 25.
p Ibid.
q Psal. 54. 22. & ibid. August.
r Calu. li. 3. Instit. cap. 21. & 22.

uinæ bonitatis, veritatis, misericordiæ, iustitiæ insignibus erasis, Busiridem quendam aut Phalaridem aut his etiam crudeliorem Satanam pro Deo nobis substituit. Et tu tamen postulare audes hæretice, huius ego sacrum vt nomen in Ecclesia pro monili geram, cuiusque omnem memoriam sempiterna obliuione damnaui, illi sempiternum memoriæ asylum in capite meo constitutam? Longè aliter [s] Psaltes. *Deleantur* inquit *de libro viuentium, & cum* IVSTIS *non scribantur.* Aliter pia olim Ecclesia, impio Anastasio in loco sancto sepulto: [t] *Tollantur* inquit *ossa Manichæorum.* Aliter denique omnes hodie Christiani Catholici, qui ad *Caluini* nomen non secus ac tristissimi cacodæmonis, aut perfidissimi Ischariotis mentionem nauseant, expuunt & efferuescunt. Horum ne igitur ego stomachum perpetuo fomento alerem? hunc tam capitalem Dei bonorumque omniumque hostem quotidiana nominis repetitione venerarer? Absit: nihil irreligiosius. Quin quemadmodum [u] *Agnus* ille *in monte Zion, filius hominis, amictus podere, & procinctus ad mamillas Zona aurea*, vincentibus promittit *manna absconditum & calculum candidum*, & *in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit*, vt scilicet *qui status conuersionem consecuti sunt, cognomine quo-*

s Psal. 68. 29.

t Baron. To. 6. Ann. an. 518. §. 25.

u Apoca. 1. 13. & 2. 17.

que

que mutato fulgeant, vt verbis [x] Imperatoris nostri vtar: Ita ego Catholicæ matri reconciliatus, atque omni hæretica lue expurgatus, quo ne minima quidem pristini erroris vestigia superessent, grato libentique animo nouo me cognomine imbui passus sum: sine vlla vel Dei vel parentum meorum ignominia: quos vt etiamnum transplantatus libenter agnosco, omnique diuini & humani Iuris veneratione totus prosequor: ita errorem eorum constanter damno, mentemque illis à Deo saniorem omnibus animi votis precor & opto.

x *In ff. de rat. & method. Iuris Doct. ad Antecess.*

Habes *Cardinalis Illustrissime*, quæ mihi hoc tempore de nominis à te mihi facta consonantia (sic Anastasius Papa ad Anastasium Orientis Imper. indigitat.) scribere libuit & licuit. Vnum forte id restat, vt quia te ipso [y] authore Antiochia [z] teste, quæ nouo nomine *Theopolis* dicta, Nestorianis blasphemijs inquinata, Cosrois Persæ præda effecta est, parum interest, nouum nomen sine nouis moribus induere: Tibi tanti mihi beneficij authori, nō solum omnes debitissimas grates, verum etiā (quod facio) omnia illa iura Iurē, quib⁹ me tanto ὁμωνυμίας vinculo tibi reddidisti obstrictū. Inter q̄ illud facilè

y *Baron. To. 7. Ann an. 528 § 23.*
z *Euagr. lib. 4. ca. 6.*

cile princeps & palmarium, vt auſpicatiſſimum BARONIANVM cognomen, virtutibus dignitatibuſque tuis tantoperè nobilitatũ, omni fide, pietate, conſtantia, doctrina, induſtria, aliorumque Catholicorum ornamentorum decore, quantum poſſum, excolam & quod vnicè cupio, viuus mortuuſque cohoneſtem. Vale, *Mæcenas Ampliſſ.* meque ſemel in clientum, atque adeò etiam familiæ tuæ numerum cooptatum, quæſo nunquam iſto albo excidi patere: quin indies firmius inſculpe, fortius tuere atque acrius hortare, quo maiores luculentioreſque honori tuo ſemper è ſtudijs meis fructus enaſcantur. Moguntiæ. Idibus Februar. M.DCV.

IVSTI

IVSTI BARONII

VETERACASTRENSIS PRO PRÆSCRIPTIONIBVS SVIS ADVERSVS IOHAN. RAINOLDVM Anglo-Caluinianum *VINDICIÆ.*

CAPVT I.

Causa & modus scribendi, cum excusatione diuturni hactenus silentij.

PERVENIT iam pridem ad manus meas, *Rainolde*, [a] Thesium quarundam tuarum *De Sacra Scriptura & Ecclesia* vetus renouatum Hexaplū: Apologiæ etiam cuiusdam tuæ aduersum me magnosque illos Catholicæ fidei signiferos, *Baronium*, *Bellarminum*, *Stapletonū*, *Martinum*, (quos tu nescio quomodo tam impari mihi iugo, [b] *olores* scilicet *anseri* ad copulasti) recens conferruminatum Auctarium. Cui si miraris tanto tempore neminem nostrum quicquam vel Antitheseon vel Antapologiæ reposuisse, satisfaci-

[a] Edid. Harnou. Gul. Anto. An. M.DCIII. mense Septemb.

[b] Virg. Ecl. 9.

am tibi hoc libello, si prius tecum questus fuero, qui tam malè, turpiter & inaniter operam tuam in argumentis tam longè à pietate remotis consumere non reformides. Nam si tu, quanto ingenio, studio, laboreque videri cupis, tanto iudicio ac pietate fores, nunquam profectò ex Anglia Romam contra criminosa tela eiacularere, sed pro Roma Sanctisque Patribus [c] *quos inter Apostolicæ Cathedræ semper viguit principatus*, more maiorum tuorum, [d] *Augustini, Melliti, Paulini, Iusti, Ruffiniani, Theodori, Wilfridi, Putta, Leutherij, Winfridi, Bedæ, Waldensis, Mori, Roffensis*, aliorumque recentiorum Dei seruorum & [e] Martyrum, quibus nihil antiquius fuit, quàm Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ vel sanguine suo litare, peruigil alacerque dimicares. Neq; existimare possum, quamobrem non horum potius te similem esse malis, quàm inanium illorum follium *Wicleui, wesseli, Cranmeri, Buceri, Martyris, Haddoni, Iuelli, Humfredi, Fulconis, Foxi, whitakeri*, &c. quibus vna virtus calumniandi, vna messis deprædandi, vna gloria contradicendi fuit. Sed ita miser prophanæ hæreseos amore effascinatus es, vt vel in medio [f] morborum æstu à pestilentibus libris conferruminandis non cesses: nuncque [g] *Idololatriæ* crimen Romanæ Ecclesiæ mendaciter impingas: nunc inno-

c August. Epist. 162.

d Baron. To. 8. an. 596 §. 10. & ann. 625. §. 7. & ann. 672 §. 4. Beda lib. 1. *Gest. Angl. c. 23. & 29. & li. 4. c. 5.*

e Concert. Eccl. Catho. in Angl. Bozius lib. 12. de signis Eccl. c. 22.

f Rain. præfat. lib. de Idol. Rom. Eccl. & præfat. in thes. 6. de S. scriptur. & Eccles. p. 13 & Apol. Thes. §. 27. p. 234

innocentissimos viros (quorum vtinam tibi Sanctissimam videre vitam contingat!) [h] errorum, mendaciorum, nugarum, Sycophantiarum, fraudum, ambitionis, auaritiæ, sexcentarumque huiusmodi culparum malitiosè insimules: nunc denique tam prodigiosas & absurdas THESES tueare, vt verè [i] θέσιν defendisse putandus sis. Habet [k] postremus liber tuus, vt de cæteris taceam, capita huiusmodi tam horribilia sex, vt si septimum adiecisses, verè dixerim, Septicipitem illam bestiam esse, quæ in [l] Apocalypsi è *mari ascendens, super capita scripta gerit nomina blasphemiæ.* Ita [m] passim impia Paradoxa loqueris & [n] *niuem atram Anaxagoræ.* Interim tamen mera tibi *μαvνία* prodere videris: & [o] *Dares Entellum* prouocas; neque vnum *Entellum*, quod præfidentiæ ostendendæ satis fuisset, sed binos, ternos, quaternos, quos vt fascem vulgarium hostium vna tibi manu conterendum proponis. Misi ad quosdam eorum Scorpioné tuum, vt quanto veneno distentam caudam gereret, quosq; aculeos vibraret, ipsi corã inspicerent, & si ita videretur conficerent. Tacuerunt hactenus, & quasi [p] *oleo* mansuetudinis suæ macerarunt bestiolam; maiori certè prudentia & laude, quàm si maiestatis suæ obliti, cũ quouis temere Theologastro

h passim in Thesib. & in Apolog.

i Arist. 1. Top. cap. 9. θέσισ ἐστὶν ὑπόληψις παράδοξος ὑπό λη-ψις.

k Thes. 6. de S. script. & Eccl.

l Apoc. 13. 1.

m Thesi in primis 3. 4. 5. 6.

n Cic. 4. Acad.

o Virg. 5. Aeneid. Hieron. Epist. 91. ad August.

p Plin. li. 11. cap. 25.

gastro in *Eridos* campis se committerent, gloriamque magis ipsi, quam sibi decus pararent. Sciunt enim hac puerili iactantia plerosque hæreticorum esse, vt [q] virorum illustrium captatis certaminibus, virtute magis aliena quàm sua è tenebris ad gloriosum nomen emergere nitantur. Itaque vt [r] *Alexander* olim ludis Olympijs stadium currere volebat, sed cum regibus: ita & hi palæstram hanc literariam non nisi cum paribus aut spe aliqua dignis decorè ingrediuntur.

q Hieron. Epist 91. ad August.

r Plut. in Apoph.

Ego cum mortuo *Stapletono* & *Martino* me solum ex inferiori classe superesse viderem, cui belli huius societas denunciata fuisset, diu equidem mecum deliberaui, vtrũ me ad rebellandum accingerem. Ac primum sanè, vt nihil te celem, [s] *Byzantiorum* more, *qui olim aduersus Philippum omissa finium tutela intra munitiones oppidi se receperunt, assecutiq; sunt, vt Philippus obsidionalis mora impatiens recederet,* ipse quoq; tacendo dissimulandoq́; hoc bello defungi statueram. Non sanè inertia aut causæ diffidentia, vt tu forte interpretabere: sed quod paulatim huic studiorum generi nuncium mittere, meq́; foro ac subsellijs dare cogerer, vbi iure respondendo, litibus dirimendis, præmijs pænisq; æqua lance distribuẽdis haud minori mihi pietate defungi videor, quàm si magno stridore hanc altercationis

s Front. lib. 1. cap. 3.

onis ſerram tecum & cum alijs quibuſdam obtrectatoribus meis ſingulis nundinis reciprocem. Acceſſit altera ratio, quod non ſolum ea cauſa, de qua nobis litem moues, ad nauſeam à diuerſis ita tractata ac pertractata eſt, vt ſi quid amplius de ea commentari aggrederer, *Iliada poſt Homerum* ſcribere, atque otio literiſq; turpiter abuti viderer: verum multo magis, quod deſperato emendandi tui fructu, noui litigij ſementis ante oculos appareret, quam fugere potius quam captare ſapientis foret. Ita enim faſtus ac ſuperciliora illa αὐθάδεια plerorũque veſtrum mentes obſedit, vt quamuis [t] *veris vincamini*, oblatretis tamen pertinaciter, & ne ſuccubuiſſe videamini, *litem* de lite continuè nectatis. Quem multorum animorum morbum pulchrè notans *Phocylides*: ἔρις inquit, ἔριν ἀντιφυτεύει: *lis litẽ ſerit*. Et *Oppianus*:

t Terent. Phorm. act. 3. ſcen. 2.

—— Αἰεὶ ἀπειρήτων νόος ἀνδρῶν
Δύσμαχος, οὐδ᾽ ἐθέλουσι καὶ ἀτρεκέεσσι
πιθέσθαι.

—— *Semper imperitorũ hominum animus*
Refractarius, neq; vincentibus cedere volunt.

QVid ergo? inquam. Si vel *prolixa Iliade* cum hoc Britanno contentionis funẽ traxero, quęq; ille clariſſima negat, operoſo molimine aſtruam: quæ ille falſiſſima aſtruit, operoſo molimine deſtruam, nullũ

alium vigiliarum mearum fructum asportabo, quam vt ego quidem scribendo defatiger, ille autem quasi *suffuso oleo*, aut tanquam *irritata Baccha* maiori indies bile excandescat, & qua leuitate Sanctorum Patrũ authoritatem conculcauit, eodem fastu rationes meas exsibilet ac pessundet. Quis enim credat, qui doctissimorum ac sanctissimorum Patrum maiestate non ducitur, mea vel vllius sapientissimi hodiè hominis acumine permotum iri? quemadmodum verè ac sapienter Pontifex Maxim. CLEMENS VIII. nuper in vrbe inter cæteros mihi sermones respondebat. Postremo absterrebat & illud, quod tu, *Rainolde*, strophas tuas tam verboso carmine redargui postulas, vt [v] *integrum Thesium tuarum contextum* responsioni aduersæ inseri velis. Quod κατασκευῆς genus quanquam nõ ipse magnopere improbem, meq; [x] aliàs in tempore secutum meminerim: nunc tamen eum diligentiæ gradum assequi non valeo. Neq; ita desipio, vt bonas horas *Spartæ ornãdæ* debitas, lutulentis hæreticorum sterquilinijs funditus funditusq; reuoluendis impendã.

[v] *Rainold. præf. Thes. de S. script. & Eccl. Et in proto. Apol. earũdem Thes. p. 201.*

[x] *In Pseudosub. Wit.*

Sic igitur in hoc silentio iam alterum annum persto. Cum ecce Typographo consiliũ subit innouandarũ *Præscriptionum* mearum, meq; monet, si quid pro earũ defensione adiecturus sim, nunc opportunũ quã maximè fore. Ego aliquantisper prioribus causis

causis in hęrens, hactenus tamen cessi, quaten⁹ prouocatio tua atq; infirmorum scandalū permouebat. Prouocatio tua, qui cętera imprudens, hoc callidus, quod imitatus duos summos belli duces (quorū [y] alter *bello ciuili, cum exercitū veteranum haberet, hostiū autem tyronē esse sciret, acie semper decertare studuit*: [z] alter *in Siciliā cum classe missus, cum exercitum in ordines redigeret, eos precipuè seligendos putauit, qui sub M. Marcello multos annos meruerāt, summamq; scientiā rei militaris habere existimabantur*) è quinis illis quos initio tanquā *Ilium* quoddā oppugnādos susceperas, me omniū infirmissimum[a] nominatim tibi colluctatorē deposcis, atq; in arenam prouocas, occento Æsopico illo: *ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα, Ecce Rhod⁹, ecce saltus*. Verum ô [b] *Pyrgopolinices* (liceat scōma in [c] authorē retorquere) nolim aut viribus tuis arrogātius confidas, aut meis despecti⁹ diffidas. Nosti illud[d] Liuij, *Bella non impetu, sed perseuerantia gerenda*. Et ꝙ [e] Hieronym⁹ Augustino quondam abiectauit, *Bos lassus fortius figit pedem*: id ego in contrariū commutatum hoc modo haud perperā effabor: *Bos iuuencus crebrius arietat, ac celerius pedē refert*. Taceo causę bonitatem, q̄ à nobis, taceo diuini præsidij munimētum, de quo verissimè[f] Xenophon: *Scitis victoriā in bello neque multitudine, neq; fortitudine parari: sed vestri Deorū auxilio freti fortiorib⁹ animis hostes*

inua-

y C. Cæsar. apud Front. lib. 1 cap 3.

z P. Scip apud Plut. in Scip.

a Apol. thes. § 48 p 467

b Plaut. in milit glor.

c Rain præfat thes. p. 8.

d Liu. li. 4.

e Hieron. Epist. 91. ad August.

f Xenoph. li. 3. de Cyri. pæd.

inuaserint, vt plurimum ab aduersarijs non sustinentur. Et hoc honoratior testis [g] Augustinus: *Donabit* inquit *certanti victoriã, qui certandi dedit audaciã. Non ergo nos hostium turba, non bellantium forma, non quasi fulgens vitrea terreat armatura. Goliam magnum, robustum, armis terribilẽ, ingẽtiq; turba munitũ, Dauid solus, paruus atq; inermis vno lapidis ictu prostrauit, totaq; allophylorũ castra turbauit, atq; fugauit.* Quãobrem vt ad prima redeã, si paria prouocatori reponere liberet, Imò si paria mihi studia tractare liceret, quã primũ regererem illud Græcanicum: Δόρυ κηρύκειον, *Hasta caduceum:* aut illud alterum [h] poeticum:

g *Aug. cont. 5. haeres. in prin.*

h *Hom.* ἰλιάδ. x.

Ο᾽υ μέν μοι φεύγοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ
πήξεις
Α᾽λλ᾽ ἰθὺσ μεμαῶτι διὰ ςήθεσσιν
ἔλασσον.

Non quidem fugienti mihi dorso hastam infiges,
Sed ex aduerso ruenti per pectora adige.

VErum desino γιγαντιᾶν: ad simpliciores venio, quorum fateor consideratio non parum mihi momenti ad hanc opellam contulit. Isti enim vbi veritati deesse vindices vident, mendacio applaudunt [i] *doliq; fabricatoribus Epeis* sexcentas laudes cantant: pijs verò Christianis, silentio iniurias dissimulantibus, diffidentiæ aut metus conui-

i *Virg. 2. Aeneid.*

conuitio insultant, tantumq; non[k] Ouidianam illam *Arachnen* occinunt. *k Ouid. l. Metam.*

Quid mihi tunc animi misera fuit? anne quod agna,
Si qua lupos audit circum stabula alta frementes?
Aut lepori? qui vepre latens hostilia cernit
Ora canū, nullos audet dare corpore motus.
Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus,
Caeruleaq; cadunt toto de corpore guttæ.

HIs igitur, vt dixi, ex causis aliquantulū de pristino tacendi consilio remittés, arripui librū tuum *Rainolde*: consignatisq; celeriter ijs, q̄ in *Præscriptiones* meas σποράδην dixeras, hunc defensionis clypeum confeci, ne aut planè fungū opinarere, qui nullo iniuriæ sensu afficeretur, aut [l] *Ranam Seriphiam*, cui omnis loquendi respōdendiq; facultas præcisa esset. De cæteris in cęteros iactatis, securus fui. Quid enim plus mea aut veritatis interest, pro ijs respondere tibi, quam tua aut Synagogæ tuæ refert, pro *Luthero, Caluino, Beza, Danæo, Foxo, Vrsino*, &c. respondere mihi, quos non paucorum à me criminum alligatos inuenies. Et tamen omni asseueratione affirmo tibi, nisi ordinarijs occupationibus tam variè distractus fuissem, hunc ipsum plenariæ vindicationis laborem nequaquàm fuisse subterfugiturum. *l Plin. li. 8. cap. 58.*

CAPVT II.

Primus Rainoldi locus excutitur, vbi de mea in Catholica fide immota constantia.

PRIMVM igitur, vt à Dedicatione tua ordiar, *Rainolde:* Archiepiſcopo Cantuarienſi cauſas reddens,cur omiſſa Sanderiani libri *de Schiſmate Anglicano* confutatione(ꝙ tu ſacrum opus nunquā nec acie obtundes,nec nomine obliterabis) ad hāc repetitam Theſeon tuarū lectionem tanquā [a] *ab amphora adurceolū* deſilieris, primum morbū excuſas,deinde exēplo [b] Auguſtiniani *Firmi* ſingularē cuiuſpiā è Papiſtica ſcilicet ſeductione reuocādi fructū.Qui ne obſcurū eſſet, vbi terrarū degeret, ſubiuncto paulopoſt auito nomine meo,ſatis euidēter oſtendis, te machinis tuis ad fidē meā labefactandā,eāq; cardinib⁹ ſuis dimouendā collimaſſe Quod vbi poſtea in DAVIDIS quoque PAREI,quondā Præceptoris mei, [c] *Panegyrico inueni*, qui hanc edendi eius rationē non poſtremā ſibi fuiſſe profitetur:profectò vt potui, oppidò riſi, dixiq; illis, qui mihi aſtabant: En ſolicitos mei Academicos, Anglos, Germanos, notos, ignotos. Scilicet horum opera è portu ego nunc Catholico abſtrahar, quemq; tot calūniæ, tot ærumnæ,tot inſumpti labores ab hac mente dimouere non potuerunt, nūc manipu-lus

a *Horat. in art. Poët.*
b *Poſſid. de Vit. Auguſt. cap. 15.*
c *Orat. de Stroph. Iſu. et. & de conſenſ. orth antiq. &c.*

lus aliquot Thesiũ, confictæ aliquot in Iesuitas Strophæ, de gradu constantiæ deturbabunt. O parum emunctæ naris homines! [d] *quid exierunt in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Fallentur. Ἄκμων μέγιστος οὐ φοβεῖται ψόφους: *incus maxima nõ metuit strepitus*, Et [e] *quemadmodũ statua sua basi, ita vir bonus proposito suo firmiter innititur.* Id est quod à *C. Mæuio* Augusti Centurione didici: qui vt captus & ab *Antonio* interrogat⁹, quid de se statui iuberet, *Iugulari me* inquit, *iube, quia nec salutis beneficio, nec mortis supplicio adducar, vt aut Cæsaris miles esse desinam, aut tuus esse incipiam:* Ita ego cum S. Cypriano iã dudum [f] statui, *Graues viros, & semel super fidei petram solida stabilitate fundatos non solum non aura leui, sed neq; vento, nec turbine,* nec morte ipsa cõmoueri, *ne animus dubius & incertus varijs opinionibus velut quibusdam ventorũ incursantiũ flatibus frequenter agitetur, & à proposito suo cum quadam leuitatis reprehensione mutetur.* Age igitur *Rainolde*, age *Paree*, [g] *Isthmũ* potius *perfodere* conamini, quam me vel latum pilum de sententia dimouere. Abominor ac despuo, quicquid non Catholicum est, quicquid non Romanum. Detestor etiam subinde aurei illius temporis iacturã, quod in futilissimi ac malitiosissimi *Caluini* scholis deperdidi. Neq; id [h] *Democrito* tãtum aut [i] *Theophrasto* authoribus, qui rectè

d Matth 11. 8.

e Socrat. apud. Stob. serm. 1. de Prud.

f Li. 1. Epi. 10. ex Epist. Cypr 52. ad Anton.

g Plin. li. 4 cap. 4.

h Plutar. in vit. Anton.

i Laert. li. 5.

Τὸν

τὸν χρόνον πολυτελέστατον ἀνάλωμα censuerunt, verum multo magis, quod doleã, flore iuuentutis Diabolo consecrato, seram demam ætatem Domino Deo mihi consecrandam superesse. Sed quia benefaciendi tamen voluntas contemnenda non est *Rainolde*, ingratissimus sim, ni parem tibi ἀμοιβαδὸν gratiam referre studeam, teq; omnibus virib⁹ è calamitosissimis hæreseon turbinibus ac procellis in hunc tranquillum Ecclesiæ portum traducere, rapere, impellere annitar. Nã quod tu contraria me via [i] *è domo veteri in nouam* reuocare studes, vide quàm præposterè agas, quàm turpiter *Augustini* & *Firmi* exemplo abutare. Nam vt ille hunc à Manichæorum iugo ad Catholicã fraternitatem traducere sategit, ita tu me à Catholica vnitate ad Manichæorũ posteros immani scelere reuocare non dubitas. Sto etenim ego, vbi *Augustinus* stabat, iaces tu, vbi *Firmus* iacebat. Nisi igitur Augustino teste abuti velis, age non reuoces Augustinum ad Firmum, sanum ad ęgrũ: sed tu Firme (ah nimiũ infirme) ad meas Augustini omniumq; sanorũ partes concede, vbi omnia illa pietatis præsidia & fomẽta, quibus religiosa mẽs capi atq; ali potest: [k] *miraculis cõciliata authoritas: authoritate merita fides: fide cõ racta multitudo: multitudine obtẽta vetustas: vetustate roborata religio:*

[i] Cic. eadem l. A

[k] August. de vtil. credend. c. 14.

ligio quàm non solum hæreticorum ineptissima nouitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error violenter aduersans aliqua vnquam ex parte conuellet.

PAREVM quod attinet, nunc non vacat Orationi eius insistere. Illud addam, cum tam leui brachio rem transcurrat, videri plusculum *Heidelbergensium* suorum calumniæ inhærere: qui vt *Festus* παράδοξον Pauli concionem admiratus, [l] *Insanis* inquit *Paule, multa te litera ad insaniam conuertunt:* & [m] *Michol* Dauidem ante arcam præ gaudio saltitantem, vt stultum derisit, ac *despexit in corde suo*: ita illi cum primo περιβάσεως meæ nuncio attoniti, certam insperati casus rationem non assequerentur, mentis eum vitio ac melancholiæ potius quàm pietati adscribere maluerunt. Quod vbi ego fando postea pcepi, cachinno refutans putidum mendacium, En inquam collegis, Catholicum vobis Melancholicum, quem mentis error pristinam retinere fidem non sinit. Date quæso [n] *candidas copiosiores*, & nigrore depulso, videbitis quid fiet. Redibit vias suas. Scilicet: consilia tam ardua melancholiæ mandantur. Quis vnquam mecum hunc hospitem vidit? Aut si est qui viderit, prodeat in publicum, testetur: testem ego quam primum apertissimi mendacii coarguam. Sanè [o] Aristoteles

l Act. 26. 24.
m 2. Reg. 6. 16.
n Plin. lib. 20. cap. 7.
o Problem. sect. 30.

omnes ingeniosos melancholicos esse testatur, & qui in animis præsagiens aliquid atque diuinum habeant. Sed *ego me* cum [p] Cicerone *hac lege tardiorem esse, haud molestè fero, facileque perspicio, istos Graculos, quem nos furorem, ipsos μελαγχολίαν vocare.* [q] *Quasi verò atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia grauiore, vel timore, vel dolore moueatur, quo genere Athamantem, Alcmaeonem, Aiacem, Orestem furere dicimus. At qui ita affectus est, cum Dominum esse rerum suarum, vetant* [r] XII. *Tabulæ.* Quod cum in me diuino munere secus sit (meæ vtiq; potestatis sum non alienæ) quî commentum ipsorum constabit, exiisse me de potestate mentis, [s] *cui regnum totius animi a natura tributum est.* Nisi fortè insaniores me putant omnes, quotquot hic corruptam mentem meam violentis remediis non reprimunt. Sed nimirum sicuti [t] *stulta mundi elegit Deus, vt confunderet sapientes, & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus:* Ita nos sane [u] *stulti simus propter Christum*, ne diuinæ sapientiæ expertes reperiamur. [x] *Tanto enim quisq; intus amplius stultior fit, quanto conatur exterius sapiens videri.*

p lib. 1. de diuinat.

q Cicer. 3. Tuscul.

r Vlp. l. 3. §. 1. C. de Curat. furios. L. 27. §. fin. autem C. de Episc. audient.

s Cic. 3. Tuscul.

t 1. Cor. 1. 23. 25.

u 1. Cor. 4. 10.

x S. Greg. lib. 27. Moral.

CAP.

CAPVT III.

Secundus Rainoldi locus excutitur, vbi de eius in Baronium & Bellarminum conuiciis.

SED ad te reuertor *Rainolde*, qui in eadem Epistola tua, vt & in Epilogo Apologetico conuicia mihi exprobras: præmissoque insigni in Catholicos conuicio (quos *Sanctissimo Domino suo Apostolicam imò Apostolica maiorem potestatem tribuere* blateras) in hunc modum scribis. *Cum Theses istæ non modo sub prælo essent, sed & excusæ propemodum, certe ante comitia nostra mense Iulio, quemadmodum sperabam prorsus excudendæ, mihi hoc Londini agenti, ostendebatur liber Iusti* Baronii *Veteracastrensis* (hoc enim mihi nomen esse præfixæ te Epistolæ docebunt) *ad vernas huius anni nundinas excusus, in quo proscindor conuiciis, quod Bellarmini Baroniiq; vitia patefecerim*, & *ex eisdem improbantur, quæ de quorundam Pontificum Romanorum erroribus secunda Thesi adieceram.* Hic vt iactantiã celeritatis tuæ præteream (qui vt [a] *Iulius Cæsar* olim *Pharnace Pontico* primo accessu superato, superbulè amicis scripsit: *Veni, Vidi, Vici*, Ita tu sub primum libri mei aspectum, subq; ipsam currentis præli velocitatem, mihi punctim cæsimque vulnera inflixisse videri vis, securus eius:

[a] Plut. in Apoph.

b Ariſtph. in Pace.

[b]Ἡ κώδων ἀκαλανθὶς ἐπειγομένη τυφλὰ τίκτει.

Cæca parit properato acalanthis tinnula nixu.)

HÆc inquam vt omnia prætermittam *Rainolde*, ſi tu conuitia vocas iuſtam ſeriamque de malè feriatorum in ſuos Dei Antiſtites ſannis ac ludibriis querelam: ſi vitia, ſtrenuam indefeſſamque auitæ religionis ac ſacerdotalis innocentiæ defenſionem: fateor & me ſtrenuum in te conuitiatorem fuiſſe, & te multa illuſtria *Bellarmini* ac *Baronii* vitia pateſeciſſe. Sunt enim profectò hæc non minus vobis grandia cenſenda vitia, quàm ſi lepores aut lupi canibus pernicitatem, veſpertiliones ſoli lumen, ranæ ac ſerpentes ciconiæ ingluuiem vitio vertere conentur. Neque ego ſemel fateor hoc te conuitio verberaui, quod in ſanctam Dei familiam, in ſtrenuiſſimos Chriſti milites tam impotenti ira debacchere, quæque ab illis rectiſſimè ſcripta fuerunt, quaſi [c]*Sepia atramento* malignitatis tuæ obliterare conere: nec quicquam habeas prius, quam columnam authoritatis Eccleſiaſticæ, ſuper quam omnis pax & trãquillitas orbis fundata eſt, inſano argutiarum tuarũ ſtylo ſubruere. Qua in re quod parum pietati tribuas, nihil miror: quod parum prudentiæ ciuili, vel maxime. [d] *Vt enim*

c Plin. lib. 9. cap. 29.

d Plut. in Moral.

enim annosas arbores, q̃ iã latè sparsere radices, difficilimum & periculosissimum est, reuellere loco atque alio transplantare: ita Rempub. vel Ecclesiam *longo tempore suis inueteratam institutis ad aliam* fidei *vitaque rationem traducere, citra maximos rerum motus non licet.* Iam quos tu [c] Pontificum Romanorum errores crepitas, nego aut eos veros esse, aut de iis vllam à me tibi dicam scriptam: teque adeò & criminis falsi, & iniuriæ, & calumniæ condemnare possem, si quod institutum vetat, in hoc argumentum digredi liberet: quod vt infra pluribus ostendam, nullo à me iure postulare potes.

c Iohan. XXII. & Honorii.

CAPVT IV.

Tertius Rainoldi locus excutitur, vbi de Baronii & Bellarmini apud Adolescentes Anglos profectu.

PERGO itaque tecum *Rainolde* ad proximum locum, vbi superioribus sic continuè subdis. *Instillauit enim Pontificium virus non Vteracastrensibus solum in Bauaria, sed nostratibus etiam permultis admiratio huiusce paris Cardinalium, inprimis Bellarmini*: Duplici errore, vno leui, grauissimo altero. Nam quod de Pontificio viro (sic [a] veteres vspiam loquebantur) garris, impia calumnia est, grauior etiam illa [b] Manichæa, qua *vinum* nobilissima Dei creatura, & quod ait [c] ille, Μυελὸς ἀνδρῶν, *medulla homi-*

a Lucret. lib. 2.
b August. lib. 2. de moribus Manich. cap. 13. 14. & 16.
c Homer. Odyss. β.

hominum, vt *fel diabolorum* insanissimè cō-spuebatur, Quod de Veteracastrensibus in Bauaria humanus error hospiti, nequaquā grauius exprobrādus. Tam longè verò *Veteracastrēses* mei Catti à* *Boijs* absunt, q̄ lōge *Hetrusci* à *Venetis*, *Nemetes* ab *Vbiis*, aut nisi fallor *Oxonieses* à *Londinēsibus*. Neq; omnes proh dolor hoc sacrum numen afflauit, sed ternos fortè aut quaternos, aut ad summū, quod sciam senos. Quos inter facile principe loco connumero nobilissimum virum *D. VVilhelmum à Posna*, Patruelem mihi dilectissimum, qui anno M. DLXXX. ad suscipiendā Polonicā profectionem diuinitus excitatus, eo in regno nō solum virtutū suarum merito multis honoribus auctus, verum etiam quod caput est, hæresi eierata catholicæ Ecclesiæ aggregatus, Romanā Apostolicam fidem ad extremum vsque vitæ spiritum serio constanterque professus est. Cæteri præter me & fratrem, & alios pauculos in vmbra mortis adhuc cæspitant, nec plus hoc nobile par Cardinalium mirantur, quàm vel *Rainoldus*, vel *Fulco*, vel alius Fulconiana mente imbutus Britannus. De me fateor libenter, plurimum momenti hosce principes correctioni meę attulisse, nec pudet hoc vsq; & vsque commemorare, vt quanto nunc dolore inuidia ringitur, tanto gaudio pia posteritas inundet, tantoque impensiorem optimę me-

* *Auent. lib. 2. Annal.* Bo. *orum.*

ritis

ritis gratiam retulisse videar. [d] *Est enim benignum, vt arbitror, & plenum ingenui pudoris*, imo plenum rectissimæ gratitudinis, *fateri libenter per quos profeceris:* in hoc præsertim sacro magisterio, cuius non vt cæterarum artium cum vita fructus euanescit, sed post vitam demum inter angelorum choros crescit, atque amplioribus indies augmentis dilatatur. Quod quia sincerissimis mecum animis tui Romæ & Rhemis Populares sentiunt, *Rainolde*, quorum illos non paucos ego nuper in vrbe pietate doctrinaq; præcellentes conspexi, & cum illis insignem Parisiensis *Sorbonæ* Doctorem, *D. VVilhelmum Persenum*, nominis tui, quantum intellexi, non plane ignarū; Velim (nisi volupe tibi sit, consulto oleum operamq; perdere) vlteriori deinceps *Seminariorum* solicitandorū labore supsedeas. Nunquā .n. quod tu machinaris consequere, vt vel minimam Baroniani aut Bellarminiani nominis nauseam in pectori bustá firmis excites. Lamentantur ac suspirant, aures etiam cum [e] D. *Polycarpo* obturant, quoties tuas in salutem suam insidias audiunt, quoties patriam rebellem suique tam immemorem nominis reminiscuntur, ad quod iam dudum venustè alludens [f] *S. Gregorius*, cum Romę adolescentes *Anglos* Venum expositos videret nō barbarorum trucem repræsentare aspectum, sed Ange-

d *Plin. praef. nat. hist. ad Vespas.*

e *Eusch. lib. 5. hist. Eccl. cap. 19.*

f *Ioan. Diacon. apud Baron. Tom. 8. An. 595. &. 78*

Angelicam, quæ coloribus fingi solet, imaginem, eosdem *Angelos* nominauit, censuitque emptos non vt alia mancipia tradendos glebis, sed inter Angelos collocandos, id est in monasteriis religiosis ad vitam angelicam excolendos. Ab hoc instituto (inquam) cum cogitant isti, quam longè degenerarit nunc Angelica Anglia sua, quàm turpiter cum [g] *Lucifero* illo qui *manè oriebatur*, è cœlo in cœnum prolapsa, pro veritate mendacium colat, pro castimonia voluptatem, pro pane vitæ siliquas porcorũ, imo [h] vacuam & inanem vmbram: similis Æsopico cani, *qui panem quidem reliquit, in vmbram autem huius impetum fecit*, & *perdidit escam:* tum demum palmis in cœlum extentis, cum [i] Propheta ingemunt & exclamant; *Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, duo mala fecit populus meus: dereliquerunt Dominum fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Sed nimirum vnica spes illa [k] præceptorem solatur & discipulos, *vt excisæ arboris rigatis radicibus sanguine Martyrum, rursus eadem fœcundiore germine pullulent.*

g Isai. 14. 12.

h Iren. lib. 2. cap. 12.

i Ierem. 2. 12.

k Baron. Tom. 8. An. 636 §. 26.

CAPVT V.

Quartus Rainoldi locus excutitur, vbi de Bellarmini apud ipsos hæreticos æstimatione.

SED de Anglis abundè. Supereſt vltimum Dedicationis tuæ Lemma, *Rainolde*, cui etiam breuiter ſatis faciendum eſt. *Certe* inquis *quam ineptè* [a] *Veteracaſtrenſis Bellarminum prædicet, tanquam pro fideli & orthodoxo Doctore ideò habendum, quia* [b] *VVitakerus &* [c] *Iunius, piæ memoriæ viri ornatiſſimi: laudarunt eius ingenium, iudicium, & induſtriam, oſtendet à me obiter aduerſus Baronium commemorata ſententia Oecumenicæ Synodi, anathema dicentis Origeni velut hæretico, cuius tamen ingenium iudicium, & induſtriam, à* [d] *Vincentio ſummè ac merito celebrari teſtatur* [e] *Veteracaſtrenſis.* Hic exclamare cogor *Rainolde* atque in faciem tibi dicere: Vbi fides tua? Vbi ſenſus? vbi intelligentia? Ego ne ſic argumētor? *Bellarminus* ipſorum hoſtium iudicio ingenio valet, diligentia valet, eruditione valet. Ergo Orthodoxus & fidelis Doctor habendus eſt? Heus Prætor: [f] cedò *Edictum de calumniatoribus.* Nunquam mihi in mēte huiuſmodi tam bruta ratiocinatio: quod teſtabitur primum [g] *PſeudoIubilæus* meus Wittenbergenſis, vbi multis exemplis, atque eiusdem inprimis Origenis oſtendo, eoſdem & doctos & hæreticos ſimul eſſe

a *Apolog. p. 103.*

b *Præfat. diſput. de S. Script. ad Guil. Cecil.*

c *Præf. notar. in Bell. controuerſ. 1.*

d *Vinc. Lirin. comm. adu. hæret. cap. 23.*

e *Præſcript. tract. 5. ad eum locum Vinc.*

f *ff. lib. 3. Tit. 6. de Calūniatorib.*

g *Pſeudo Iub. §. 7. p. 131. 134. 138.*

posse. Testabitur deinde ipse *Apologiæ* meæ contextus, vbi memor admonitionis [h] Augustinianæ: *Agendum prius cum hominibus, vt authores legendos non od[er]int, deinde vt ament*: amorem primum *Bellarmini* in animis legentium excitaturus, aut saltem deplorata illa vanissimorum præiudiciorum rudera amoliturus, hoste publicè atteſtante, mirificum eorum ingenium, exquisitâ doctrinam, multiplicem lectionem, Herculeum laborem & diligentiam in conspectum lectoris produco, indeq; hanc conclusionem elicio: [i] Talis ac tantus est scriptor *Bellarminus*, tantam apud suos etiam infensissimos hostes æstimationem meritus. Igitur nihil erit, quod ab eius lectione imperitorum te voculæ absterreant. Hæc mens mea; hæc ratiocinatio: nihil ego de fideli adhuc vel Orthodoxo Doctore: verum vt *ex Thaumante Irim, ex Iri amorem* nasci poëtæ voluerunt: ita ego amorem primum *Bellarmini* ex laudibus eius planto, ex amore ad lectionem induco: è lectione fidem & assensum mihi tacite persuadeo. Quod sic omnium sanorum iudicio faciendum *S. Augustinus* supra testatus est. *Nam si Virgilium odissemus* [k] inquit, *Imò si non eum priusquam intellectus esset, maiorum nostrorum commendatione diligeremus, nunquam nobis satisfieret, de illis*

h August. de Vtil. cred. cap. 6.

i Vide Apol. meam p.102.103. & seq.

k August. de Vtil. cred. cap. 6.

illis eius quæstionibus innumerabilibus, quibus Grãmatici agitari & perturbari solent, nec audiremus libẽter, q cũ eius laude illas expediret, sed ei faueremus, qui per eas illum errasse, ac delirasse conaretur ostendere. In fumos igitur abeat fumida tua *Rainolde* cauillatio: in fumos brutum anathema, quod per *Origenis* latus, in *Baronium* quoque ac *Bellarminum* detorquere conaris. Sunt hi Viri tanquam [l] *aquilæ* cælestes à diro isto fulmine immunes, nec tu *Iupiter* ille, qui huiusmodi spicula contorqueat. [m] *Ioab* es, qui in *Amasas multo iustiores & meliores te* adigis gladium linguæ maledicæ, teque in sanguine alienæ famæ volutatum splendidum fore speras. Qui nisi Circæo poculo ebrius esses, tibi potius quam cuiquam nostrum congruere intelligeres illam [n] *Elymæ BarIesu* formidabilem execrationem: *ô plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinens subuertere vias Domini rectas.* Nam quod [o] tu hoc diro schemate *Bellarminum* nostrum ac *Baronium*, innocentissimos Dei seruos, Augustinum scilicet & Hieronymum huius seculi affaris, heu mihi quàm blasphemus es! quàm horrendo te scelere alligas! tam sane horrendo, vt ego quidem hinc tanquam [p] ab ruituris *Cherinthi* balneis fugere, teque exitio quasi proximum relinquere solum

l Plin. lib. 10 cap. 3.

m 2. Reg. 3. 27. 2. Reg. 20. 9. 3. Reg. 2. 32.

n Act. 13. 10.

o In fine eiusdem Epist. Dedicat.

p Iren. lib. 3 cap. 4. Euseb. lib. 3. hist. cap. 28.

solum debeam, nisi aliqua emendationis tuæ ac diuinę misericordiæ spes adhuc proposita foret.

CAPVT VI.

Quintus Rainoldi locus excutitur, vbi de eius à Catholica fide defectione.

PROFERO igitur manum, & *à promulside* quod aiunt, *ad Cœnam*, id est ab Epistola tua ad Apologiam venio, *Rainolde*. vbi satis magno interuallo ad me denuo reuersus, hanc pedibus meis asciam illidis. [a] *Præsertim postquam Iustus* Baronius *Veteracastrensis, qui à regula lapsus est, vt loquitur*[b] *Tertullianus, & ab Orthodoxa fide ad Pontificis Romani partem transfugit,*[c] *professus est, se istorum*[d] *Bellarmini potissimum disputationibus, velut turri scilicet Dauidis, ex qua omnis armatura fortium & mille clypei pendent, dimotum de sententia pristina fuisse.* Lapsum me ab regula nunquam credo dicturum fuisse *Rainoldum*, si eam Apologiæ suę partē mihi lectum iri putasset, vbi ipse tristissimè suū ab regula catholica lapsū multis, sed obscuris verbis testatur. [e] *Quæ igitur vis nisi cæcitas & vanitas animi cogit hominem clausis, vt dicunt, oculis tanquam in alterū iacere, quod in eū qui iecerit, continuo redeat, eūque ictu reciproco affligat, intacto illo, quē vulnerare voluerat.* Sed audiamus σκλ: ρότητα lapsus ipsius μαλτικῶσ sic enunciatam. [f] *Exopto vt à*

[a] Apol. Thes. de S. Script. & Eccl. p. 203.
[b] Tert. de Præscrip. cap. 3.
[c] Lib. 1. Epist. 7. 8. 9.
[d] Ibid. Epist. 10.
[e] August. lib. 2. cont. Parmen. cap. 1.
[f] Apol. Thes. de S. Script. & Eccl. §. 27. p. 294. 295.

vt à iuuene Theses meas scriptas esse memineritis: sed ab eo iuuene, qui priorem suam cogitationem correxerat cum [g] *Elihu*, Dicebam prouecti ætate loquentur, & annosi notam facient sapientiam: profectò spiritus ille in mortali, & afflatus omnipotentis efficit eos intelligentes: Non magni sapiunt, nec senes intelligunt iudicium: ideoque dico, ausculta mihi; ostendam sententiam, meam ego quoque. *Nimirum sic à teneris informatus eram eorum disciplina, qui pro ratione corrupti seculi, quo viuebant*, Papismũ *suis instillabant, vt de veteribus mihi placeret Romanensium dogma, quale* [h] *Symmachi*: Seruanda est tot seculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui sequuti sunt feliciter suos. *Quum autem adoleuissem, piisq; nonnullorum familiarium moribus & monitis excitarer, vt quia* [i] *Petrus* quandam conuersationem à Patribus traditam Vanam *nominat, inquirerem diligentius, num mea talis foret; nec tam morarer illud*, [k] Audiuistis dictum esse antiquis, *quam quod Christus subijcit*, [l] at ego dico vobis: *partim auditione fidelium verbi ministrorum, partim Theologorum præstantium lectione traductus sum in* [m] *Ambrosii sententiam contra Symmachum, quæ Protestantium est*. Cœli mysterium doceat me Deus ipse qui condidit, non homo qui seipsum ignorauit.] *Dignũ patella operculum.* Scilicet hac tam tenui excusatiuncula

g *Iob 32. 7.*

h *Epist. lib. 10. Epist. 54 relat. ad Valent. Theod. & Arcad. Aug.*

i *1. Pet. 1. 18.*

k *Matth. 5. 21.*

l *Matth 5. 22.*

m *Epist. 11. ad Valent. Aug. aduers. relat. Symm.*

cula defenditur crimen omnium longè maximum, defectionis à Christo, à Sancta Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, [n] *quæ vsq; ad confessionem generis humani per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen authoritatis obtinuit. Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.* [o] Extra quam *qui agnum comedit, prophanus* vitaque cassus *est.* [p] Sicut enim *membrum à corpore præcisum viuere non potest, nec ramus arboris viridis esse: sic & omnes hæretici præcisi à corpore vnius Ecclesiæ, nec vitam Christi in se habere possunt, nec viriditatem gratiæ spiritualis, sed est Ecclesia eorum deserta.* At [q] Iob tamen *senes* quandoque *iudicium non intelligere* autumat: Et S. [r] Petrus *quandam conuersationem a Patribus traditam vanam* nominat: Et [s] Ambrosius *cœli mysteria non ab homine doceri* postulat, *qui se ipsum ignorauit, sed a Deo ipso qui condidit.* O mille clypeos & omnem armaturam fortium! (liceat iterum scomma in [t] authorem retorquere) Scilicet hinc sequitur, deficiendum esse ab Ecclesia Apostolica, & non *consulendos, audiendosue sacerdotes diuina domus:* quos [u] Dominus tam seuerè sub pœ-

n August. de Vtil. cred. cap. 17.
o Hieron. Epist. ad Damas.
p Chrysost. homil. 46. in 23. Matth.
q Iob. 32. 7.
r 1. Pet. 1. 18.
s Epist. 12. ad Valent. August. adv. relat. Symmach.
t Rainold. sic illudit Bellarm. Apolog. Thes. §. 42. pag. 571.
u Deut. 17. v. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

na etiam mortis audiri præcepit. Scilicet hinc sequitur non esse [x] *interrogandos patres* & maiores; non esse [y] *audiendam disciplinam patris, vel admittendam legem matris*: non esse *curandos* [z] *terminos antiquos à patribus positos*: non esse [a] *standum super vias & interrogandum de semitis antiquis*, neq; *ambulandum in iis*, multominus *legem* [b] *requirendam à labiis sacerdotis*, aut [c] *à senibus intellectum discendum*: aut [d] *Præpositis obediendum*: aut [e] *Ecclesiam* deniq; *audiendā* [f] *columnam & firmamentum veritatis*, quam [g] *qui non audierit*, Dominus *Ethnici & Publicani loco* habendum mandauit. Scilicet hæc vniuersa confestim sequuntur: quia [h] typus arrogantium *Elihu*, senum prudentiam præ se despiciendam putauit: & [i] S. *Petrus* Impias Iudæorum Δευτερώσεις damnauit: & [k] D. *Ambrosius* Gentili *Symmacho* gentilibus maiorum ritibus pugnanti, diuinam correctionem opposuit. Riderem si simplicitate ita delirare *Rainoldum* putarē. At quia malitia facit, & superba quadam argutia, stomachum mihi mouet, mereturque qui grauiori verbere plectatur. *Gregorius* saltem inspexisset, vidisset quāti sibi *Elihu* istius sapientia faciēda fuisset. [l] *Cuncta* (inquit ille in hunc locum Iobi) *q̄ ab Elihu per tumorem superbia proferūtur, cursim perstringenda sunt quàm attentius exponenda.* He-lin

x Deut 32. 7.
y Prov. 1 8. Prov. 6 20.
z Prov. 22. 28.
a Ierem. 6. 16.
b Malach. 2 7.
c Eccl. 1. 8. 11.
d Heb 3. 17.
e Matth. 18. 17.
f 1. Tim 3. 15
g Matth 18. 17.
h Gregor. lib 24 Moral. in 32. cap. Iobi.
i Hieron Epiph. Iren. locis infra notatis.
k Epist. 31. ad Val. August.
l D. Gregor. lib 24 Moral. in 32. cap. Iob. cap. 6.
Adde Iohann. Pinedam libro Iob. cap. 32. q. 4. II. comm...

liu quandiu pro ætatis suæ respectu tacuit, sapientior fuit. Cum verò in aliis ANNORVM MVLTITVDINEM *semetipsum præferens,* DESPICIT, *quam* PVERILITER DESIPIAT *ostendit. Nam contra eius sententiam & ætas prolixior loquitur, &* PER ANNORVM MVLTITVDINEM SAPIENTIA DOCETVR, *quia etsi longæuitas sensum non præbet, vsum tamen vehementer exercet.* De [m] D. Petro luculenter [n] *Irenæus* [o] *Epiphanius*, & [p] *Hieronymus* testantur, peruersas recentiorum seniorum *Akibam*, *Iuda*, *Asamonæorum*, *Sammai*, *Killel*, *Achiba* &c. Expositiones & traditiones, alias δευτερώσεισ dictas damnari: de quibus etiã hæc [q] IVSTINIANI nostri *Nouella* extat. *Quæ Deuterosis, quasi* SECVNDARIA TRADITIO *ab ipsis dicitur, in vniuersum interdicimus, vt quæ sacris libris comprehensa non sit, neq; desuper tradita per prophetas, sed excerpta quædam virorum contineat, qui terrena duntaxat loquuntur, nec quidquam diuini in se habent numinis.* At de sinceris Traditionibus, quid ibi? ne hilum quidem: neque ego nunc in eas stabiliendas excurro. Illud de *Ambrosio*, [r] *Ambrosius* ipse expedit. Refutans enim gentilium superstitionem, qui *pretiosa & grandia sonabant, veri effoeta defendebant qui in mortuis pecudibus Dei voces requirebant: qui bestiarum cruore respergebantur,* qui

[m] *1. Pet. 1. 18.*
[n] *Iren. lib. 4. cap. 25. & 26.*
[o] *Epip. in hæresi Ptolom.*
[p] *Hieron. in cap. 8. Isai & in cap. 3. Epist. ad Tit. & Epist. 151. ad Algas. quæst. 10.*
[q] *Iustin. Nouel. 146.*
[r] *Ambr. Epist. 31. ad Valēt. Imp. cont. Relat. Symmachi.*

qui *Deum loquebantur, & simulachra adorabant*: denique omnibus hisce sacrilegijs morem patrium prætexebant: *cæli* inquit, *mysterium doceat me Deus ipse qui condidit, non homo qui seipsum ignorauit. Cui magis de Deo quàm Deo credam? quomodo possum vobis credere, qui fatemini vos ignorare, quod colitis? Quod vos ignoratis, id nos Dei voce cognouimus. Et quod vos suspicionibus quæritis, nos ex ipsa sapientia Dei & veritate compertum habemus.* Quid hoc ad hunc nostrum Ecclesiasticæ authoritatis rhombum? An quia cœli mysteria ab Ethnicis maioribus discenda non sunt, ideo nec à Christianis? Et quia isti ignorant, ideò & hi? Longè longè *Mysorum* ac *Phrygum termini* disiuncti sunt. Alia *Bacchi*, alia *Christi* disciplina est. Neq; ab homine discit, qui ab Ecclesia discit: quia [s] *qui Ecclesiam audit, Christum audit*: & *qui Christum audit, audit eum, à quo missus est*, id est omnipotentem seculi conditorem: qui quoniam nos [t] *luteos* nouit & testaceos, [v] testaceis etiam nobiscum internuncijs agit: ac in primis [x] *testimonium perhibet Ecclesiæ suæ*; [y] In quam *quasi in depositarium diues plenissimè Apostoli contulerunt omnia quæ sunt veritatis, vti omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt & latrones. Propter quod oportet deuitare quidem illos, quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia*

s Luc. 10. 16. Cypr. Epist. 69.
t Psal. 102. 14.
v 2. Cor. 4.
x Chrysost. hom. 83. in Matth.
x August. de Vnit. Eccle. cap. 22.
y Iren. lib. 3. cap. 4.

ligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? Et si quibus *de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & re liquidum est! Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorũ, eorum qui in* CHRISTVM *credunt, sine charta & atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes.* Hæc D. Irenæus. Quibus consonat illud [z] Clementis Alexandrini: *Necesse est labi in maximis eos, qui res maximas aggrediuntur, nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint. Quomodo ergo si quis ex homine fiat bestia, similiter atque illi, qui circes venenis fuerant infecti: ita homo Dei esse & Domino fidelis esse desijt, qui aduersus Ecclesiasticam recalcitrauit traditionem, & in humanarum hæreseon desiluit opiniones.* Et vt alios Patres prætеream, qui confertim manu se mihi hic offerunt, vnus AMBROSIVS cui inniti videtur Britannus iste, factiosam expositionem hanc corrigit & præceptis maiorum pondus authoritatis

z. *Libr. 7. Stromat. c. 9*

maie-

attribuit. [a] *Seruemus* inquit, *præcepta maiorum, nec hereditaria signacula ausi rudis temeritate violemus:* Et alibi [b] *Nonnulli Christianorum existimantes, se diuinitatis præcepta religiosius obseruare, prætermissa deuotione Quadragesimæ, Quinquagesimam se facere mentiuntur, cum id neque diuinis literis iubeatur, neque* TRADITVM SIT AVCTORITATE MAIORVM. Et iterum. [c] *Non mediocris esse sapientiæ, diem celebritatis definire Paschalis, & scriptura diuina nos instruit, &* TRADITIO MAIORVM: *qui conuenientes ad Synodum Nicænam, etiam super ea celebritate collegere rationem.* Eat igitur nunc *Raynoldus & Ambrosio* authore traditionibus recalcitret, decreta maiorum respuat, magisterium Ecclesiæ derelinquat: vnum veritatis ducem scripturas sibi eligat: Scripturas inquam, si benè intelligas, vitæ, si malè, mortis officinam. [d] Nam *vt quis aquæ mixtum gypsum dans pro lacte, seducere potest per similitudinem coloris:* & [e] *quemadmodum Rex in bello victus atque fugatus ab alio rege si induat indumentum regis illius victoris, & in parte sua erigat signum simile signo regis illius, facile efficere potest, vt ille populus victoris schema sui regis aspiciens, & signum partis suæ, dum putat se ad proprium currere regem, in manus aduersarij sui incurrat: sic & Diabolus sub nomine* CHRISTI

a Ambros. de fide li. 3. cap. 7.
b Serm. 34. de quadrages.
c Epist. 83.
d Iren. li. 3. cont. Valen. cap. 19.
e S. Chrysost. hom. 48. in 24. Matth.

& Sanctarum Scripturarum *ministros suos subornat, vt volentes homines ire ad Christum, similitudine nominis tenebricati, ad Diabolum vadant.* Quod quam verum sit, vt innumeros alios prætercam, vnus *Rainoldus* testari potest, qui hoc gnomone perperam vsus, semetipsum turpissimè fefellit, atque ab regia salutis via in medias errorum Syrtes & scopulos, in medias Caluiniani exitij flammas præcipitauit. Vt rectissimè eum dicam [f] *lapsum cum Hermogene ab regula, turpiter ergo retrò excidisse*: me verò cum [g] *Augustino* atque orbe Catholico à [h] *Lesbio plumbo* ad rectissimam normæ Christianæ [i] *regulam* [k] peruenisse. In qua multa etiam sunt quæ cum eodem me iustissimè tenent. *Tenet sapientia*, quam indies hic esse magis magisque perspicio. *Tenet consensio populorum atque gentium. Tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem* CLEMENTIS VIII. PONTIFICIS OPT. MAX. *Episcopatum successio Sacerdotum: Tenet postremò ipsum* CATHOLICÆ *nomen, quod non sine causa inter multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.*

f *Tertul. de præscript. cap. 3.*
g *3. Confess. 11. & 6. 1.*
h *Arist. 5. moral.*
i *Leuit. 19. 35. Gal. 6. 16.*
k *August. cont. Epist. Manich. cap. 4.*

CA-

CAPVT VII.

Iterum de eodem Rainoldi loco, deque eius quibusdam in me conuitijs.

SED nunc tempus ad institutum reuertamur. Vbi ea accusationis pars superest, qua professus dicor, *me istorum, Bellarmini potissimum Disputationibus velut turri Dauidis, ex qua omnis armatura fortium & mille pendent Clypei, dimotum de sentẽtia pristina fuisse.* Quod verum esse, iam supra annui, neque in *Apologia* tacui, confirmaboq; deinceps, nõ solum dum anima spirabo mea, verùm &(quod [a] *Cicero* ab exilio reuocatus Senatui Romano pollicebatur) *cum mortuo monimenta tanti beneficij permanebunt.* Pręter enim illam communem fidem quæ omnibus debetur, singularem quandam gratitudinem [b] illis debere videmur, *quorum preceptis eruditi sumus.* Vt non omninò *Thaletem* illum *Milesium* improbem, qui à *Mandrayto Prienensi*, quem docuerat quanta esset solis magnitudo, stipulatus est, vt se solum tam præclari inuenti laudaret authorem. Nec moueor illo quadruplicato scommate tuo, *Rainolde*, cum me primum *cæcæ obedientiæ laudatorem* nominas, quod in proximum locum differo. Deinde *cæcum cum cæcis ducibus in foueam casurum*, quod deploratæ tuæ cæcitati asscribo, qui non

a Orat post red. in Senat.

b Cic. Epi. 1. ad Q. Frat.

magis ὀρθὴν ὁδὸν quàm *Hypsea* colores distinguere nosti. Tertiò itidem *Cacum*, qui [c] *Dauidis turrim* putem, quæ [d] *Iebusæorum* sit, quod mihi iterum ab affectibus excæcato iudice non magis quàm superiora persuaderi patiar. Postremò *debilem ac nullis viribus*, qui propria magis infirmitate, quã *Bellarmini* robore à sententia *Caluini* deiectus sim. Cui nihil nunc aliud repono, quàm appositum illud [e] S. Augustini. *Huiusmodi lautæ ac lepidæ similitudines, atq; huiusmodi reprehensiones, nonné in omnes qui aliquid docent aút discunt, à quouis aduersario effundi vrbanissimè & dicacissimè possunt?* Nonné enim & mihi promptum, idem telum in *Rainoldum* contorquere, cauillarique, non tam fortitudine ministrorum verbi ac Theologorum, quibus auditis lectisque à Catholica se fide abductum [f] profitetur, quàm propria imbecillitate atque ὀλιγοπιστίᾳ in Caluiniani erroris societatem transisse? Verum [g] *quis mediocriter sanus ignorat, siue ego hæc in illum, siue ille in me dicat, nisi prius probetur manifestissimis documentis*, vter nostrum firmus sit, vter infirmus, vter fortis vter imbecillus, *conuiciante magis leuitate, quàm conuincente veritate dici?*

c Cant. 4. 4.
d 1. Paral. 11. 5.
e De Vtil. cred. cap. 1.
f Apol. thes. §. 27. p. 225.
g August. de vnit. Eccles. cap. 5.

CA-

CAPVT VIII.

Sextus Rainoldi locus, vbi de quodam procaci eius in Bellarminum scommate.

MANVM igitur de tabula,& ad sequens scomma Dionysiacum: vbi semetipsum superans Rainoldus:[a] *Possiuiniano* inquit, *Baronij præiudicio cacatur Vetera castrēsis, qui armaturam fortium appellat, scuta & tela, vix Homericis ranis & muribus tuendis & sauciandis idonea*. Proh lepôré! vt festiuus atq; elegans est *Rainoldus* noster, & subitò quod aiunt *pyrrhicham saltat Camelus*. At heus tu. Si iuncea & arundinea Bellarmini nostri tela sunt, cur tantas passim inter vos strages edūt? Cur tot quotannis capita Romanæ Ecclesiæ subiugant? *Agesilaus* quondam interrogatus, quousq; fines Laconicę pertingerent: hastam vibrans, *quo vsque* inquit, *hac peruenit*. Pari modo ego passim felicibus auspicijs Romanā Ecclesiam resartā dixero, quo hasta hæc Bellarminianarū Disputationum peruenit. Quamobrem enim vos tam laboriosam ac difficilem in illis hebetandis operam locatis? Vos inquam tot Catilinarij cōiurati, *Danæus*, *Whitakerus*, *Rainoldus*, *Iunius*, *Pareus*, *Sibrana*, *Piscator*, & nescio qui huius factionis alij: qui totū iā decenniū & amplius leoni huic barbam vellicatis, nec dū tamen vnū illi pilum euelle-

a *Apol. thes. 838. p. 358.*

euellere potuistis. Nempe vestræ manus elumbes sunt, vestra tela plumbea, vestra omnis armatura βατραχομυομαχία Homerica digna. Vt si te cum manipularibus tuis nosse velis, *Dareten* illum Virgilianum cõtemplari debeas, cuius è fabula mihi nunc isti versus incidunt.

b Virg. 5. Aeneid.

[b] *Stat grauis Entellus, nisuq; immotus eodẽ,*
Corpore tela modo atq; oculis vigilantibus exit.

c Dares scilicet.

[c] *Ille velut celsam oppugnat qui molibus vrbem,*
Aut montana sedet circũ castella sub armis,
Nunc hos nunc illos aditus, omnemque pererrat.
Arte locum, & varijs assultibus irritus vrget.

Sed quis pugnæ exitus? quod prudentũ de audaculo *Darete* iudicium?

d Virg. Ibi.

[d] *Infelix, quæ tanta animũ dementia cepit?*
Non vires alias, conuersaq; numina sentis?
Cede Deo.

CAPVT IX.

Septimus Rainoldi locus dispungitur, vbi de eius φιλονεικία, quæuis dicta ad se rapientis, meq; ad peregrinas lites trahentis.

HABEMVS spicilegium conuitiorum *Rainoldi*, quæ ille in me σπορ... conie-

coniecit. Superſunt vltima conferta. Sub exitum enim *Apologiæ*, omnem iracundiæ ſuæ vim in me vnum conglobat, omnem Baronianæ ac Bellarminianæ cauſæ fabam in meo vnius capite cudit.[a] *Teſtis ſit* inquit, *iſte Bellarmini Baroniiq́ labor ad quæſtionem grauiſſimam de erroris in fide nunquam incurrendi priuilegio Papæ hæreticè arrogato, quàm verè*[b] *Veteracaſtrenſis, non ſolum eos nominet Doctores incomparabiles: ſed à nobis etiam crimina impudenter Eccleſiæ Romanæ impingi aſſeuerans, quod Honorium inter alios Pontifices erraſſe contendamus, ſubtexat*: *Contra quam iniuriam iam ſatis fortiter venere multi Catholici, & inter primos Bellarminus lib. 4. de Romano Pontif. cap. 18. & ſeqq. ad 15. vſq́.* O Rainolde! συκοφαντεῖσ δὶσ καὶ τρὶσ: non ſanè de laudatis Doctoribus noſtris, quos ego me nunquam ſatis laudaſſe putabo, quoſq; tot Eccleſiæ optem, quot *Darius* regno ſuo *Zopyros*, te interim cum *Atea* inſulſos *Caluini* hinnitus præ dulciſſimis hiſce *Aminys* admirante: ſed de te, de *Honorio*, de toto Pontificiæ immunitatis argumento, de quo non magis *Præſcriptiones* meæ meminerunt, quàm vel *Alexandri* Bucephali, vel *Sciluri* haſtiliũ, vel ſeptemplicis Clypei *Aiacis*. At tu tamen, quo liberiorem iactantiæ tuæ campum aperias, omnia hæc à me dicta, ſcripta, defenſa fuiſſe

a *Apol. theſ. 5. 48. p. 466.*

b *Præſcript. tract. 4. in argum. lib.*

c *Præſcript. tract. 3. in Anal. c. 2.*

comminisceris: falso vt ostendam, & mendaciter. Nam primum quod ais, me TIBI crimina impudenter Ecclesiæ Romanæ impacta exprobrare, Nego. Non tibi sed *Nouatoribus* exprobro, quorum tu vix millesima pars es. Tu autem superbulè vel regiam inter eos sedem affectans, vel φιλονεικῶσ litigandi materiam captans, instar *Bonasi* isti⁹ Hieronymiani quiduis in quosuis dictum ad te rapis, meq; propterea conserta manu in ius vocas. Falleris Rainolde.

d Hieron. Epist. 100. ad Bonas. [d] *Disposui nasum secare fœtentem, timeat, qui strumosus est. Volo cornicula detrahere garrienti: rancidulam se intelligat cornix. Nunquid vnus in vrbe Romana est, qui habeat truncas inhonesto vulnere nares? Nunquid solus* Bonasus Segestanus *caua verba, & in modum Vesicarum tumentia, buccis trutinatur inflatis? Dico quosdam scelere, periurio, falsitate ad dignitatem nescio quam peruenisse. quid ad te, qui te intelligis innocentem? Rideo aduocatum, qui patrono egeat: quadrante dignam eloquentiam nare subsanno. Quid ad te, qui disertus es? Volo in numarios inuehi sacerdotes: tu, qui diues non es, quid irasceris? Clausum cupio suis ignibus ardere Vulcanum: numquid hospes eius es, aut Vicinus, quod à delubris idoli niteris incendia submouere? Placet mihi de laruis, de bubone, de noctua, de Niliacis ridere portentis. Quid-*

quid

quid dictum fuerit, in te dictum putas: in quodcumque vitium styli mei mucro contorquetur, te clamitas designari: conserta manu in ius vocas, & satyricum scriptorem in prosa arguis. Sed pergo. Ais porro exprobratorum tibi criminum partem esse *Honorium*, quem erroneæ à te fidei accusatum, à *Bellarmino* defensum dixerim. Nego & hoc, & bis nego. Neq; *Honorij* in scheda mea vlla vmbra, neq; fidei minimus apiculus. Morum thema tracto, atq; *Augustini* vestigijs insistens, eos redarguo, qui improbioribus quorundam moribus Ecclesiæ detrahunt, ab eiusque communione descifcunt, *Donatistarum* in morem, qui suam olim defectionem non fidei, sed morum opprobrijs defendebant: morum inquam, id est traditionis diuinorum codicum, thurificationis, persecutionis. Quam [e] *tricipitem* ibi *bestiã* conficiens [f] *Augustinus*, nullum mihi de fide disputandi locum permittebat. Idq; ipsi te oculi tui docebunt, si vel per transennã inspicere librum volueris.

At [g] *Bellarminus* tamen, quem allego, septenis illis capitibus à fidei errorib⁹ Põtifices vindicat. Fateor: sed ita vt subinde etiam quasi secundario hanc nostram chordam tangat: vt [h] cum de *S. Petro* agit, gentes ad Iudaismum solicitãte. De *Marcellino*, metu mortis idolis sacrificante: [i] De *Liberio* & *Felice*, cum *Arianis* communicantibus,

e August. 1. Petil. c. 27. & 3. cont. Crescon. ca. 78.

f Lib. de Vnit. Eccl. cap. 2.

g Lib. 4. de Rom. Ponti. ca. 8 & seq. ad 15. vsq.

h Ibid. ca. 8.

i Ibid. ca. 9.

[k] Ruff. lib. 10 hist. c. 22. Theodor. li. 2 hist. c. 27.
[l] Bellar. ibi. cap. 10.
[m] Ibi. c. 12.
[n] Ibid. cap. 13. & 14.
[o] Cap. 23.

bus,& [k] *non tam secta diuersitate, quàm communionis & ordinationis conuenientia maculatis.* De [l] *Anastasio*, Photino & Acatio communicante: De *Vigilio* parum candidam Epistolam *Theodoræ* Imperatrici scribente: De [m] *Stephano* VI. & *Sergio* III. circa ordinationis praxin impingentibus: De *Syluestro* II. quem magum & Necromanten fuisse hæretici calumniantur. De [n] *Gregorio* denique VII. & *Iohanne* XXIII. quorum illum seditiosum, simoniacum, adulterum, atque omnium Pontificum pessimum, hũc verò itæ dissolutæ vitæ fuisse ferunt, vt neque vitam futuram neque carnis resurrectionem credidisse dicant. Quę omnia certè ad errores cõuersationis, nõ fidei aut prędicationis pertinent, sicut benè in [o] Præscriptionibus suis *Tertullianus* distinxit. At si de *Honorio* insultassem, vnum mihi XI. *Bellarmini* caput intendendũ fuisset. Quod quia neque animus neque occasio ferebat, vides *Rainolde*, extra chorum saltitare te, meque ridiculè eodem ab recta hac linea deuocare. Alia dies huic iudicio statuenda est. Nec tu parum iniquus es, qui ad alienam me litem ita obtorto collo trahis. Sunt sui cuique causæ limites, quos vltra citraq; nequit hæc disputandi rectitudo cõsistere. Tu verò an ita otio abundas, vt perstrictorum à me Symmistarum tuorum patrocinium suscipias? *Lutheri*, inquam, *Caluini*, *Be-*

zæ,

zæ, Vrsini, Hunnij, aliorumque reprehensionibus meis Iustissimis subiectorum? Non ais, quia extra tempus hæc sunt, extra causam, extra institutum meũ. Idem tibi de me responsum habe: & præterea illud quod de Lacone quodam milite refert *Plutarchus*. Qui cum in prælio exerta manu iam iam hosti gladium incussurus esset, & verò subito audiret receptui cani, ictum suspendit, interrogatusq; cur hosti quem necare potuisset, pepercisset, respondit: *quia melius est Imperatori parere, quàm interficere*. Plura non addo. Nec moror illum Rhodium saltum tuũ, quem ex *Mornæo* tuo mihi[p] præstitisti. *Non semper sunt Saturnalia*. Salta tu si ita[q] *Herodias* es; præstitutam tibi iam dudum à me *Rhodon*. Vbi inquis? in vniuerso illo *Præscriptionum* mearum dramate, vbi me non tibi hostem sisto, sed summos illos Christianæ fidei principes, *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Augustinum*; quorum argumentis longè grauissimis & numerosissimis aduersus angulares istas non solùm *Simonianorum*, *Basilidianorum*, *Nicolaitarum*, *Carpocratianorum*, *Cerinthianorum*, *Valentinianorum*, *Nouatianorum*, *Donatistarum*, verum etiam hodie, (par enim vtrobiq; ratio) *Lutheranorum*, *Caluinianorum*, *Puritanorum*, *Anabaptistarum*, Synagogulas vbi satisfeceris, ego quoq; de tuis in *Honorium* I. & *Iohannem* XXII. telis cogitare incipiam.

p Apol. thes. 48 p. 467.

q Matth. 14 6.

am,efficiamque, ne non par tibi præstitiſſe videar. Quanquam vix aberit, quin *ſubceſſiua* SCHOLÆ noſtræ, quas in *Caluini* familiam meditari incepimus, aliquā huius quoque laboris partem ſibi vindicaturæ ſint. Sed nihil dum certi habeo polliceri.

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

Multa cadunt inter calicē, ſupremaq; labra.

CAPVT X.

Octauus Rainoldi locus, vbi eum conuicij, blaſphemiæ & hæreſeos breuiter conuinco.

SEQVITVR octauus locus tuus *Rainolde*: vbi quod tu de conuicijs à me tibi exprobratis vel argutaris, vel tergiuerſaris, vt putidum breuiter perſtringo.[a] Ais *conuicium eſſe maledictum cum contumelia coniunctum, eaq; contumelia petulantius iactata*. Rectè: quis negat? Docuit iam dudum [b] *Cicero*, ad quem tu me ablegas. Docuit item [c] *Vlpianus* noſter ex *Labeone*, qui Edictum prætoris interpretatus: [*Qui aduerſus bonos mores conuicium cui feciſſ., cuiuſué opera factum eſſe dicetur, quo aduerſus bonos mores cōuiciū fieret: in eum iudicium dabo.*] conuicium ait iniuriam eſſe, diciq; vel à concitatione, vel à conuétu, hoc eſt à collatione vocum; quod cum in vnum complures voces conferun-

[a] Apol. theſ. 48. p. 468.

[b] Orat. pro M. Cælio.

[c] L. item apud Labeonem. 15. ff. de iniurijs.

feruntur, conuicium appelletur, quasi *conuocium*: idemque non tantum præsenti; verum absenti quoq; fieri posse, vt si quis ad domum tuam venerit, te absente, conuiciũ nihilominus factum esse dicatur. Sed quid hæc omnia ad te? Nonne tu petulanter & iniuriosè, seu vt tua differentia vtar, contumeliosè Pontificem, Cardinales, Ecclesiam, veritatem flagellasti? Negas, tuasque reprehẽsiones *firmis documentis munitas fuisse* ampullaris. Nego vicissim *ego* hoc, teq; ad librum tuum tanquam in rem præsentem voco: vbi (quod aiebat olim *Philippus*) vel cæco appareat, tam longè te à modestiæ orbita deflexisse, vt sine insigni impudentiæ nota negare id non possis. Vellem ad manum mihi esse IDOLOLATRIAM tuam pluribus id documentis ex templo demonstrarem. Sed verum testor, eiecta mihi iamdudum fuit oblatratrix hęc [d] *Agar*, nulli deinceps, vt putabam, in foro mihi vsui futura: nec reuoco, nisi grauiores me rationes commoueant. d Gen. 21. 14.

At tu argutus, eodem me crimine condemnas, meque enormiter conuiciatum tibi quiritaris, qui non solum opus tuum de Idololatria Romanæ Ecclesiæ nuncuparim *Blasphemum*, sed etiam te *Sectarium Hæreticum*, *Sanctorum in cœlis contemptorem*, *Manichæis* (*hominibus superbè deliran-*

lirantibus, carnalibus, loquacibus, Sacrilegè temereq; in orthodoxos inuectis) similem. Heu quid faciam! Quod me mare purgabit? iam video [e] prætorem in me tanquam manifestarium conuitiatorem iudicium dare. At heus tu *Rainolde*, ignosce: Macedo sum, *Scapham scapham voco, ligonem ligonem.* [f] *Et ab antiquis legibus, & à diuersis retrò principibus semper rusticitati consultum est, & in multis legum subtilitatibus stricta obseruatio eis remissa, quod ex ipsis rerum inuenimus documentis*, ait Imp. noster Iustinianus. Quid tu igitur in me seuerior esse cupis, præsertim vera, quamuis simplicius, dicentem? Nosti *Blasphemiam* [g] Theologis non contumeliam tantum in iniuriam creatoris iactatam significare: verum etiam [h] quemuis impium sermonem, obtrectationem & [i] calumniam in proximi famam vergentem. Nosti *Hæreticos* designari, [k] *qui sententiam suã quamuis falsam atq; peruersam pertinaci animositate defendunt*, [l] *correptiq; vt sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt.* Quandiu igitur tu non abieceris fidem tuam, quandiu non mutaueris mores, non correxeris stylum, nec ita cornuta facie in sacrarium Dei irruere desines: id est quandiu in personas, in res, in cæremonias sacras fulgurib⁹ verborum detonabis, quandiu à communione

e L. Item apud Labeonem. 15. ff. de iniuriis.
f L. 31. C. de testament.
g S. Thom. 2.2 q. 13. artic. 4.
h Matth. 9. 3 Marc. 2. 7. Luc. 5. 21.
i Matth. 15. 19.
k 24. q. 3. dixit.
l 24. q. 3. qui in Eccl.

Orbis terræ segregatus vnius Insulæ aut pronunciæ ἰσχυρογνώμονες sequere, quãdiu Sanctorum in cœlis cultui instar furibundi *Aiacis* obstrepes: quandiu denique præstantissimorum τῆς οἰκουμένης Pontificum ac Theologorum scitis tuum inane iudicium præpones: quin tu mihi blasphemus, sectarius, hæreticus, ἁγιομάχος, atque omni denique vilior alga sis, nunquam impetrabis. Præterea [m] *Actione Iudicati* te premo: Aio latam iam sententiam, teque cum sociis tuis omnium horum criminum multò ante quam vel tu, vel ego hunc solem viderimus, damnatum. Noli igitur iniuriam facere maioribus nostris, noli contumeliam irrogare Romano siue Imperio, siue Ecclesiæ Romanæ, id est Orbi Christiano, qui iisdẽ qbus illa regionibus continetur: vt quæ vel Comitiorum solennitate, vel Conciliorum grauitate in rebelles lata seuerissima iudicia sunt, tu contemnere præsumas, ac cum sesquilatronibus illis [n] *Donatistis* in iudicum personas irritatus stomachari. Non pficies *Rainolde*, non proficies. Feriet te hæc securis, [o] *Ius dicẽti nõ obtẽperantem*: nec obloquentem curabit magis, quam vel muscã aquila, vel leo papilionẽ. At quam primum eiecta mephiti tua huc transieris, eris mihi omnia. Admirabor ingenium tuum, laudabo doctrinam, prædi-

m ff. lib. 42. tit. 1. De re Iudicata. Confer. Aug. lib. 3. cont. Cresc. Gram. cap. 4. 5. 6. Nicol. Ser. lib. 3. Trihæres. cap. 20.

n August. de Vnit. Eccl. cap. 18.

o ff. lib. 1. tit 3.

cabo diligentiã & pietatem, quorũ omnium fructũ pdes, quãdiu aduersum hæc sancta Dei castra militabis. Neque aliud à me audies, quàm q[p] *Augustinus* Licentio discipulo ingeniũ malè collocãti, scripsit: *Ornari abs te Diabolus q̃rit. Si calicẽ aureũ inuenisses in terra, donares illum Ecclesiæ Dei. Accepisti à Deo ingeniũ spiritaliter aureũ, & ministras inde libidinibus* (erroribus) *& in illo Satanæ ppinas te ipsũ.* Abstrahe igitur quæso te insano seruitio, operã Christo loca: fidem Ecclesiæ, quæ vna est, quæ sancta est, quæ Catholica & Apostolica est, quæ denique operta non est, vt [q] *Lucerna Diogenis* quærenda sit. [r] Ipsa est Lucerna super candelabrum pòsita, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Et de illa dictum est. *Non potest Ciuitas abscondi super montem constituta. Sed* Caluinianis *velut operta est, qui audiunt tam lucida & manifesta testimonia quæ illam toto orbe demonstrant: & malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere. qui cum esset lapis præcisus de monte sine manibus, creuit, & factus est mons ingens, & impleuit vniuersam terram.*

p Epist. 39. ad Licent. quæ alias 42.

q Diog. Laert. lib. 6. in vit. Diog.

r August. de Vnit. Eccl. cap. 16. 2. cont. Cresco. Gram. 36.

CAPVT XI.

Nonus Rainoldi locus, vbi ob perstrictam credendi vtilitatem Manichæismi conuincitur.

SED hem: Manichęis etiam te similem dixi

Rainol-

Rainolde. Fateor, putoq; merito, nisi me fallunt, q̄ proximæ reprehēsioni tuæ oppositurus sū. Pergis .n. ac mihi iterū nigrum dētē infigis.[a] *Ipse fa es impie seditionis suggerit, cacam obedientiā*[b] *a me perstrictā*[c] *approbādo: & scholas ad Pharisaicā cæcorum ducū disciplinā à fide Christi cernetus, illuminātus, videre iubētis seducēdo.* Est hoc facilimum accusationis tuæ caput, in quo plus nō ago, q̄ vt cum *Augustino* te cōmittam. Ipse .n. est, qui q̄ tu *cæcam obedientiam* vocas, rectè *vtilitatem credendi* nuncupat, q̄ tu cum *Fausto* negas, orthodoxè cum sanctis fidelibus pbat, atq; integro libro astruit. Nega si vis: es: expedita pbatio. Quē .n. alium *Augustinus* libro suo scopum vel argumētum præfixit? * *Est mihi propositum* inqt, *vt probē tibi si possim, quod Manichæi sacrilegè ac temerè inuehantur in eos, qui Catholicæ fidei authoritatem sequentes, antequam illud verum quod pura mente conspicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, & illuminaturo præparantur Deo. Nosti enim Honorate, non aliam ob causam nos in tales homines incidisse, nisi quod se dicebant terribili authoritate separata, mira ac simplici ratione eos, qui se audire vellent, introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat annos ferè nouem spreta religione, quæ mihi puerulo à parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire, nisi q̄ nos super-*

a Apol. Thes. 5. 48. p 468.
b Rainol. ac Rom. Eccl. Idol. lib 2. cap 4.
c Præscrip. Tract. 4. integro.

* De Vtil. cred. cap. 1.

ſtitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent: ſe autem nullum premere ad fidem, niſi prius diſcuſſa & enodata veritate? Amplius: quid toto eo libro diſputat & probat, niſi [d] *credētem non ſonare in vitium*: nec [e] eſſe turpe in religione *credere anteq̄ ſcire*, [f] omnes homines aut ſtultos eſſe aut ſapientes: *ſtultis autem nihil vtilius atq; ſalubrius eſſe, quàm p̄ceptis obtemperare ſapientū*: [g] Ipſos etiā hæreticos à diſcipulis ſuis fidē poſtulare. Deniq; [h] *non eſſe deſperandum, ab ipſo Deo conſtitutam aliq̄ authoritatem, qua velut gradu certo innitentes attollamur in Deum*: *eamq; diſcendi rationem* [i] *perturbare velle atque peruertere, nihil aliud eſſe quam ad veram religionem* SACRILEGAM VIAM *quærere*? Præter hęc inquā tam clara ac manifeſta q̄d toto eo libro *Auguſtinus*? Et tu tamē eo miſſo mihi in capillos inuolas, ac ſanctorū *Seminariorū Romæ* & *Rhemis* diſciplinā ſcopticè irrides: nulla puto alia ex cauſa, quam ꝙ conuitiari volens, ſatius arbitrareris, [k] *Harpali* amicos quā *Philippum* male audire. Sed nos (crede mihi) cum hoc *Photione* etiā mori non refugimus, malumusq; cum ipſo male, quam tecum benè audire, quod [l] *Cicero* olim de *Platone* ac cæteris gregariis Philoſophis cenſuit. Sed abſit, vt ex hoc argumento q̄ſquā noſtrū malè audiat. Habem⁹ σύμφωνον Apoſtolū. [m] *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt: ſed potētia Deo ad deſtructionē munitio-*

d cap. 9.
e cap. 10.
f cap. 12. & 13.
g cap. 14.
h cap. 16.
i cap. 10.
k Plut. in Apoph.
l 1. Tuſcul.
m 2. cor. 10. v. 5. 6.

nitionum consilia destruentes, & omnẽ altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, ET IN CAPTIVITATEM REDIGENTES OMNEM INTELLECTVM IN OBSEQVIVM CHRISTI. Hic tu excute *Rainolde* omnes ingenii tui arculas, & respõde. Quid est in captiuitatẽ redigere omnẽ intellectũ in obsequiũ Christi? Nonne est cum [n] *Abrahamo* credere in spem contra spem? Nõne est clausis oculis videre, obturatis aurib⁹ audire, incrustata lingua gustare, obstupefactis manibus palpare, naribus obstructis olfacere: deniq; vt vno verbo dicã, cæca obediẽtia rebus non intellectis fidẽ adhibere? Quãobrem & [o] Apostolus fidẽ definiuit *argumentum non apparentiũ* Et [p] S. Petrus: *Nos* inqt, *credidimus & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei*: manifestè indicans, fidẽ intellectu priorem esse oportere. Itaq; ꝙ tu excipis, fidẽ Christi [q] cernere, [r] illuminare, [s] videre, iubere, quã futile & frigidum est. Sanè illuminat, sed creditanè an intellecta? Tu intelligi vis, nos credi etiam non intellectam, ita vt illuminatio tua nostram cæcitatem præsupponat. QVod nisi spõte doxosophia tua te eluscasses, vidisses ipse ex Paræenesi tua, quã [t] multò ante ex Apostolo ad nos direxeras. [u] *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt fiat sapiens.* Quæso te cogita, vtrum mitius sit in religione, stultum esse, an cæcũ? & tu tamen stultos laudas, cæcos da-

n Rom. 4. 18.
o Hebr. 11. 1.
p Iohan. 6. 69.
q Hebr. 4. 13.
r Iohan. 1. 9. Ephes. 1. 18.
s Marc. 4. 24. & 8. 15.
t Apol. Thes. §. 27. p. 296.
u 1. cor. 3. 18.

mnas. Pharisaica profectò sapiẽtia, [x] *excolans culicem, & deglutiens camelum.* At [y] *Pharisaeos* obiurgat Dominus, vt *caecos caecorũ duces.* Acumẽ. Quid tũ? An nõ *Manichaeos* simi les vobis mirificos rationum pollicitatores ex Christo obiurgat [z] *Augustinus*? Quasi verò bonarum rerum non passim turpissimi abusus reperiãtur: quasi non pseudoprophetae orthodoxorũ [a] *simiae* saluberrimis Ecclesiae institutis ac moribus ad lupanariũ suorũ fucum deploratè abutantur: scripturis, sacramentis, minis, promissionibus, excõmunicationibus, ac huiusmodi presidiis Ecclesiasticis compluribus, quorum tamen in orthodoxis vsum probamus, in illis abusum damnamus ac detestamur: non minus quã si filia obedientiam parentibus debitam lenonibus praestet, & ciuis fidem patriae iuratam truculento alicui locet tyranno. Itaque haec omnium regula prima est, vt matrem Ecclesiã rectè agnoscamus hac agnita facilè tempora videndi & caecutiendi, tempora sequendi & renitendi cuique apparebunt, nec periculum erit quo magis praepostero aliquo obsequio nos falli pertimescamus. Quibus sic constitutis, iudicent nũc omnes *Angliae* Academici, *Oxonienses, Cantabrigienses*, vter nostrum faces impiae seditionis Scholis inferre conatus sit. Egone, piã Deo, Ecclesiae, praeceptoribus debitam fidem & obedientiam Seminariis suadens? an *Rai-*

x Matth. 23. 24.
y Matth. 15. 14.
z Tot. Lib. de Vtil. cred. & lib. 1. de morib. Eccl. cath. cap. 2 & c.
a Cypr. E. pist. 73. ad Iubaian.

noldus, impiam illis rebellionem instillans, atq; ad excutiẽdam fidẽ, ad postulandas intempestiuè rationes contra commune omnium docentium scitum,[b] δεῖ τὸν μανθάνοντα πιστεύειν, adolescẽtum præferuidos animos exsuscitans. Quod quam pium facinus sit, intelligunt ii, qui actionem Iure proditam DE SERVO CORRVPTO intelligunt. *Qui Seruum* (edicit[c] Prætor) *Seruã, Alienum, Alienam recepisse, persuasisseue quid ei dicetur, dolo malo, quo eum, eam deteriorem faceret, in eum quanti ea res erit, in duplum iudicium dabo.* Sed præstat cum Theologo Euangelicis Edictis agere. Accipiat igitur à me *Rainoldus* hoc alterum.[d] *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt scandala veniant: veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Audi hæc *Rainolde*, & metue.

b *Arist. lib. 1. Elench.*

c *ff. lib. 11. tit. 3. l. 1.*

d *Matth. 18. 6. 7.*

CAPVT XII.

Decimus Rainoldi locus, vbi de ἀκυρολογίᾳ vocis, Heresis.

DEPVLIMVS cõuitiorũ actionẽ: depellamus & Nugarũ. Nã & hanc mihi intẽtans *Rainoldus* sic porro scribit.[a] *Ipse nugatoriè tanq̃ cõtra meã scilicet sententiam,* qui

a *Apol. Thes. 3. 48. p. 468.*

qui hæresin, voce hodie atrocius sonantẽ, tantò lenius olim sonuisse interdũ, vt Christiana fides à Constantino Catholica sanctissimaq; hæresis dicta sit, notauerã, [b] *ait: nomen hæreseos minus odiosum habitum olim quàm hodie: sed verba valere vsu, quem penes arbitriũ est, & vis, & norma loquendi,* Hic quid tu reprehendas *Rainolde*, non video. Carpo [c] *Lutherum*, q se diserte hæreticum esse professus est. Carpo etiã te, [d] qui obiectã tuis infamem hæreseos notam vix aliter purgas, quã quod Christiana etiã fides in [e] Actis Apostolicis *hæreseos* nomine indigitata sit: & quod *Constantinus Magnus* eãdem Catholicam Sanctissimãq; olim hæresin dixerit. Hoc inq̃ vt insufficiens tanto vulneri Emplastrum carpo, atq; vt monetas hodierno valore, ita voces hodierna significatione trutinandas moneo. Tu qd cõtra? Nugari me ais: atq; hoc infixo aculeo fugis, securus, qua ratione me nugatum inueniam. Ego verò voluissem, si minus ex sententia tua locutus fuissem, ostendisses comiter, nec [f] *mutum* mihi hunc *piscem* obiecisses. Censeo .n. adhuc, improbè atq; inconsideratè *hæreseos* notam siue à te, siue à *Luthero* tam leuiter abstersam, cum non solum hodie optimi quique, verum etiam olim spectatæ virtutis Eremita [g] *Agatho* tam dirum atque atrox id conuicium censuerit, vt cum quidam demissionis & patientiæ eius explorandæ causa varia illi

cri-

b *Præscript. Tract. 1. apal. cap. 5.*

c *Tom. 9 f. 120. 192. In conuiu. f. 234 317.*

d *Reinold. de R. E. Idolo. lib. 1. cap. 4.*

e *Act. 24. 14.*

f *Horat. in odis August. lib. 2. de Morib. Man cap 9.*

g *in Vitis Patrum. §. 11.*

crimina obiectarent, superbiam, libidinem, maledicentiam, tandem verò etiam hæresin: ad alia quidem omnia demissè annueret, quamuis ea essent falsissima: sed audito hæreseos nomine confestim occupando protestaretur: *Licet* inquiens *multis aliis peccatis obnoxius, tamen hæreticus penitus non sum. Absit hoc ab anima mea.* Causamq; interrogatus, in hæc inter alia verba respondit. *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Oportet igitur, vt cuncta aduersa cum humilitate sustineamus. Sermonem autem, quo me* hæreticum *dixistis, non potui sustinere, & valde abominatus sum*: *quia* hæresis separatio à Deo est. *Hæreticus enim separatur à Deo vino & vero, & coniungitur Diabolo, & angelis eius. Alienatus enim à Christo, iam non habet Deum, quem exoret pro peccatis suis, quia ex omni parte periit.* Hæc ille.

At Apostolus tamē & Constantinus Magn⁹ honestè hac voce vsi sunt? Audio: sed nū id satis? *Tyrāni* vox nōne olim honestissimè & magnificentissimè sonabat? *Virgilius.* [h] *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse* TYRANNI. [h] *7. Æneid.*

Tyranni (inquit Seruius) *græcè dixit, pro Regis. Nam apud eos* Tyranni & Regis *nulla discretio est, licet apud nos incubator Imperii* Tyrannus *dicatur.* Quid igitur? An statim *Rainolde,* quia Latinus Ænean sibi generū

 futu-

futurum, Tyrannum salutauit, tu quoq; IACOBVM Regem tuum (quem nõ nisi honoris causa nomino) hac salutatione excipies, teq; antiquitatis peritum ostentabis? Non ita insanies scio, quin absterrebere quã primum truculento atq; infausto nominis sono, q non minus ac putridum aliquod cadauer è principum virorum aspectu remouendum intelliges. Quin idẽ igitur de Hæresi facis, turpiori adhuc bestia. Aut si facis, quid cohortanti mihi recalcitras?

l Ouid. 5. Trist. 15.

l *Qui monet vt facias, q iã facis, ille monendo*
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

CAPVT XIII.

Vndecimus Rainoldi locus, vbi de eius in cultum Sanctorum triscurriis.

SED nondum tamen Nugarum absoluti sumus. Instat .n. a Accusator noster, atq; amplius vrget. *Nugatoriè rursum aduersus probationes, quibus Pontificii diuinum cultum Petro, Mariæ, panis crustulo deferre conuincũtur, & salutẽ à ligneis simulacris poscere, inficiationem sub veterum Catholicorum larua nudam ostentat: neq; nunc, inquiens, Petrum, aut Mariã, aut Panem pro Deo colimus, neq; alium Saluatorem quàm Christũ.* Dixi ego hæc *Rainolde*, & si parum est, iterum dico, eosq; qui vel in mentes, vel in verba, vel in gestus piorum iniurii, impietatẽ aliquã, vel idololatriã in Sanctorum inuocatione,

a Apol. Thes. §. 48. p. 469.

in re-

In rel'quiarum cultu, in imaginum veneratione Catholicis affingunt, cum omni sophistica sua ad extremos *Indos* aut *Garamātes* amando. Docuit .n. me Catholica mater, [b] alio cultu Deum pſequi, alio Sāctum: alio Creatorem, alio creaturam: alio *Christum*, alio *Petrum*: illum maiori atq; excellentiori, imò maximo atq; excellētiſſimo, cū ſumma voluntatis proſtratione atq; inclinatione, vt fontem ac principium omniū bonorum: hūc minori atq; humiliori, cū minore etiā voluntatis inclinatione, cum minoris excellentię apprehenſione, vt quę ſuperior quidem ſit humana, inferior tamen multo diuina, quæ nō à ſe originē ducat, ſed à Deo, non in ſe ſed in Deo claudatur. Hæc inquā dixi, atq; etiamnum dico, cum maximo in mendaces quorundā linguas ſtomacho, qui detorta catholicæ Eccleſiæ ſentenita, id eſt confuſis aut permixtis duobus diſtinctu facilimis cultuum generibus, neſcio quā nobis cōmentitiā Idololatriam impingūt: & q̄ ex ſecunda arcula Sanctis dependimus, vt monetam primæ arculæ malitioſiſſimè & falſiſſimè traducunt. Et tibi nugari videor *Rainolde*. Quāobrē? quia *aduerſus pbationes tuas*, id eſt, non diſſolutis argumentis tuis, quibus à te tam grandis ſcilicet culpæ conuicti ſumus, veterem tantum inficiationis crambem repono. O *Rainolde*, quam tu manifeſtè deliras! multa ſtolida & vana in li-

[b] *S. Bonauen. diſt. 9. q. Gle. lib. 3. ſentent. S. Tom. 2. 2. q. 130. art 3. Bellarm. de Beat. ſāct. cap. 14. &c.*

in libro tuo legi: τοῦ τὸ γὰρ ἐστιν ὑπερβολὴ μανίας: *istud verò est culmen omnis insaniæ* ait *Lipsius* noster suo *Diodoro*; Cogita quæso vbi sint ista verba mea, in quibus tu nunc Paratragœdias? *In margine* inquis. Vtrum igitur tibi *in margine* tempestiuũ videtur, alienorũ argumentorũ telam retexere? non capit locus eam diligentiã, nõ tempus, nõ occasio: nec vnquam auditum, gladiatores ex cauea in Diazomatum angustias auocatos. Sua cuiq; pugnæ arena est, sui curriculo limites, quos vltra certantium ardor protrahi non debet. Tu igitur perquam ineptus & ridiculus es, qui *extra oleas* ita me continuò voces; tu nimis fastuosus argutiarum tuarum æstimator: quas tanti facis, vt quemadmodum *Helena* omnium se amore dignam, ita tu illas nullius non dignas stylo æstimare audeas. Ne credas nimium blando amori.[c] *Fallunt quemq; sua scripta, & authorem prætereunt: atq; vt filii etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant.* Quid opus igitur, cohortibus tuis peculiarem aciem instruere? Tu ne is es, qui labanti *Caluini* Troiæ nouos muros, noua propugnacula, præsidia noua paras? Ne Suda.

c Ambros. lib 6. Epist. 40. ad Sabin.

———[d] *Si Pergama dextra*
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.

d Virgil. 2. Aeneid.

Hac inquam tam subdola, arguta ac

furiis

furiis omnibus incensa *Caluini, Zuuinglii, Martyris, Bezæ, Oecolampadii, Bullingeri, Buceri*: qui omnes Acherontis fontes adimum vsq; exhauserunt, & quicquid præsidii penes summos, imos tenebrarũ principes repositum fuit, in arenã produxerũt. Tibi quod relinquerent, parum aut nihil fuit. Aut si fuit (fac enim siue ingenii versutia, siue laborum contentione aliquid ab illis prætermissum à te inueniri posse) quid ad me? quid ad commilitones meos? putasne quemquam nostrum adeò infelicem esse, vt benè perspecta veritate, rectè ponderatis iis, quæ à Doctoribus nostris in maiores tuos iam pridem prodita sunt, in tuis illis Nouellis vel minimum sit hæsurus aut laboraturus? Caue putes: iam [e] *pedum visa est visa.* [f] *Rectum sui & curui iudex est.* Postremo vt ad intentatam Nugarum actionem reuertar, quid putas? etiamne nugor? maximè. Quamobrem? Quia tu *Latreias* & *Duleias* vocabula scrupulosissimè excutis, promiscuumq; eorũ vsum ex nescio q̃bus Lexicographis & Grammaticis demonstras: quod ego mihi mustaceũ solum ex libro tuo meminisse videor. Ineptiæ. Quasi verò quisquam nostrum id ignoret: quasi non ipse [g] *Bellarminus* idem diserte ꝓfessus sit. *Quamuis* inquit *ista vocabula λατρεία & δουλεία non sint propria diuino cultui:*

secun-

[e] Terent. Phorm.
[f] Arist. 1. de anim. con. text. 85.
[g] lib. 1. de Beatitud. Sanct. cap. 12.

secūdum primam ipsorum vocabulorum institutionem, tamen Schola Theologorum non sine causa excogitauit illam distinctionem de latria & dulia. Nam cum in re inueniatur manifesta distinctio, inter cultum Dei & Sanctorum; Oportebat etiam ad vitandam æquiuocationem inuenire distincta vocabula: Rectissimè. *Sic enim* [h] *Dialecticorum quoque verba nulla sunt publica: suis vtuntur. Et id quoq; commune omnium ferè artium, vt aut noua sint* rebus significandis *faciēda nomina, aut ex aliis trāsferēda.* Quod si Philosophi faciunt, qui in rebus minus arduis versantur, quanto id magis Theologis concedendum est, qui res à sensu remotissimas tractare coguntur. Videris igitur tu *Rainolde*, quam iniquam hic nobis λογομαχίαν intentes: videris quàm impium Diuis cœlitibus bellum. Quos dum conuenienti suo, & à [i] Deo promisso, & [k] à Sanctis semper exhibito honoris præmio (tu quomodocūque volueris voca: si non Duliæ, saltem piri aut pomi nomine modo de re cōstet) defraudare niteris: quid aliud facis, quàm nefādi illi quintæ lunæ filii, de quorū insanis & frustraneis conatibus παραβολικῶς [l] Poëta

> ——— *Tum partu terra nefando*
> *Cæumq; Iapetumq; creat sæuumq; Typhoëa,*
> *Et coniuratos cœlum rescindere fratres.*

h Cic. 1. Academ. quæst.

i 1. Reg. 2. 30. Ioan. 12. 26. Rom. 2. 10.

k Concil. Carth. 5. cap. 1. Concil. Gang. Can. 20. Basil. Mag. Orat. in 40. Mart. Gregor. Nyss. orat. in S. Theod. Mart. Ambros. serm. 6. August. lib. 20. cont. Faust. cap. 21. & lib. 8 de ciuit. 2.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.
Scilicet atq; Ossæ frondosum innoluere Olympum.
Ter pater extructos disiecit fulmine mõtes.

Heu heu *Rainolde*, quæ fulmina vibrabit in montes blaſphemiarum tuarum Omnipotens Dei filius, cui tu hic audacter *ſub Panis Cruſtulo* illudis! Quæ fulmina Beatorũ collegia, quorũ & Honori detrahis, & ſtatuis mendaciter oblatras! quis vnquam, qs oro te (quod tu hic tam cõfidenter effutis) à ligneis ſimulachris ſalutẽ poſcere aut expectare apud Catholicos inuetus eſt? Quis vſquam, modo mentis & rectæ fidei compos, ſacris imaginibus genua ſubmittẽs, nõ ex ea mẽte facit, quæ vulgarium illorũ, ſed ſanorum verſiculorũ præcepto continetur?

Hoc DEVS *eſt, quod imago docet, non eſt* DEVS *ipſa.*
Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa.

Nec moueor illis titiuillitiis tuis, quæ tu fortè iã in ore habes, vt ex libro tuo mihi regeras. Reſpõdeo ego ex cõmuni Eccleſię pfeſſione & doctrina: reſpõdeo ex quotidiana praxi, quã à vanis illis ſiniſterrimorũ figmentorũ calumniis tam puram & immunẽ eſſe ſcio, quam eſt *Rainoldus* cum [m] *Diodoro* illo Podagra & chiragra oppletiſſimus. Exempla habes cõtraria? Delinquentibus imputa, non prohibẽtibus. Argumenta? Expecta

[m] *Martial. lib. 1.*

ĉta: Calent iam *Neapoli* ſub incude doctiſſimæ Bellarminianarũ Diſputationũ *Vindiciæ*. Aduerſus quas ſi vel tu, vel alius tuarum partium dogmatiſtes quidquam memoratu dignum attuliſſe videbimini, ſolide ex imis fundamentis cõfutatũ reperietis. Interea ſi mora faſtidium pariat, cõmendo tibi intercalarem *Vaſquii* noſtri lectionẽ, cuius tres *de cultu adorationis* libri, ſi minus deſiderio tuo ſuppeditabunt, quod ego ſuperaddam, non habeo.

CAPVT XIV.

Duodecimus Rainoldi locus: vbi ἀδολεσχίας tertiæ ex lapſibus S. Petri confutatio.

QVID igitur? omnem hãc Nugatoriam hydram exſcidimus? Nondum. *Vnum capitulum* reſtat: de quo ſic [a] Rainoldus. *Et iterũ nugatoriè, poſtquã Magdeburgenſibus, quos peccata quindecim S. Petri cõmẽtos* [b] *aſſerit ſycophãta, dixiſſet me aſtipulari, de vno lapſu ex illis quindecim ſubiungit: Sed quid de toto negotio ſentiẽdũ ſit, qđq; olim SS. Patres Græci & Latini ſenſerint, præclarè ab Illuſtriſſimo Bellarmino noſtro explicatum eſt, libro primo de Romano Pontifice, capite viceſimo octauo. Loquens prorſus ſimilia, atque ſi* [c] *Tertullus Paulo, diluentio bictũ ſibi à Iudæis crimen ſeditionis reſponſione veriſſima,*

a Apol. Theſ. §. 48. p. 469. 470.
b Præſcript. tract. 1. cm. c. 23.
c Actor. 24. v. 1. 5. & 12.

ma: Neq; me in templo inuenerunt cum aliquo disserentem, aut coitionem turbæ facientem, neq; in synagogis, neq; in vrbe; neq; probare possunt ea de quibus nunc me accusant; regereret nihil aliud, nisi: quid de re tota sentiendum sit, quidq; Ierosolymis viri graues sentiant; præclarè ab Illustrissimo Anania nostro explicatum est, in afferendis illis quæ Paulo obiecimus. Nam vt Ananiæ assertionem Paulus, sic ego Bellarmini antè refutaueram: & lapsum, de quo agitur, a Magdeburgensibus meritò inter alios S. Petri quatuordecim recenseri docueram. Ehem *Baroni, Gordium nodum*! Hic constrictus teneris, nisi machæra tibi opem feras. Mortuas pecudes iactas, & iugulata dogmata. At ego te *Raynolde* nunquam tam internecinum disputatorem cognoram, qui omnia ad mortem vsq; conficeres: aërem tantum prisco commilitonum tuorum more verberare te putaram, nec vim illam vitalem sinceræ veritatis vnquam penetrare. Itaque quemadmodum [d] *Diogenes* sophistam motum esse negantem non aliter confutandum censuit, quàm vt exsurgeret, & inambulando res sensusq; cum verborum præstigijs committeret: ita nec mihi pro *Bellarmino nostro* (præsertim loco tam intempestiuo) vberiore disputatione opus esse existimaui, quàm vt lectorem ex vmbraculis tuis in ipsum fulgentis veritatis solem educerem, vbi ad conspici-

[d] *Laërt. li. 6.*

enda πρεστίσματα tua non magis luce mea indigeret, quam viator in meridie dispellendis nubeculis lucerna. Quod si verò omninò de *Xerxis* etiam apparatu aliquid te attulisse existimas, de quo memoriæ proditum est, non solum [e] *flumina ab exercitu eius siccata*, verum & [f] *mare navibus*, *& terram copiis pedestribus*, *& aërem sagittis redundasse*, *deniq; ipsum solem hastilibus* obscuratum fuisse: Age noli persicè exultare, designabitur Thermopilis nostris aliquis etiam *Leonidas*, qui hanc quoque Eclipsin veritatis Soli depellat. Me quod attinet: si omnes tibi nugari videntur, qui voce, vel scripto aliquod doctrinæ suæ caput aduersus ἑτεροδόξους asserunt, sisique causæ suæ nihil pensi habent, quid ab aduersa parte contra vel dudum vel recens prolatum sit: ah quàm nugaces efficies omnes professores ac concionatores tuos, qui quæ millies à nostris purgata, excusata, defensa fuerunt, identidem tamen pro lectione, pro concione repetunt, ac miseræ plebeculæ, immaturis adolescentibus vt *Delphica oracula* produt. Quàm nugacem teipsum, qui crambem *caca obedientiæ* tuæ aduersus tam fortes *S. Augustini* probationes [g] à me distributas iterú atque iterum coquis & recoquis: qui de verbo Dei, de Ecclesia inuisibili & prædestinata centies profligatas nugas & ineptias in

[e] Iustin. li. 2. histor.
[f] Aristid. Sophist.
[g] Anal. lib. August. de util. cred.

as in prima libri tui acie collocas, teq; præclarè munere professorio defunctum existimas. Ah noli tam iniquus esse, vt quem tu agis *Tertullum*, mihi exprobres: quàm tibi in synagoga laudi ducis causæ præsidenti am, mihi in Ecclesia vitio vertas, adeoque per [h] *trabem oculi tui festucam* meam mihi nitaris eruere. Non est hoc è re tua, non è veritate, non è iustitia. Rectius [i] Poeta.

h Matth. 7. 4.

i Horat. Satyr. 3.

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutũ,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?
Et [k] alibi.

k Horat. ibid.

Qui ne tuberibus proprijs offendat amicum
Postulat, ignoscat verrucis illius æquum est.

Sed nec dum tamen culpam aliquam agnoscimus aut deprecamur: quin subsidio accersimus etiam ea, quæ capite præcedenti exposita fuerunt. Sumat inde *Rainoldus* quæ hic amplius fortè desiderat. Nos ad Epilogum eius festinamus.

CAPVT XV.

Vltimus Rainoldi locus: vbi de affectata Patientiæ eius gloriola.

TANDEM igitur *Rainoldus* toto Apologemate suo abundè stomachatus, & gnauite cõuitiatus, quid sub exitum? Subitò quasi diuina virgula mutatus, lupum exuit, atq; ouilla pelle induta, simplicitatis, modestiæ ac tolerantiæ planè Christianæ

 laudem

a Apol.thes. §.48.p.470

laudem captat.[a] *Ego inquit, iniquorum contradictionem aduersus* IESVM CHRISTVM, *vt conuiciatorem, seditiosum, hæreticum, blasphemum recordatus, habebo cum Apostolis cur ei me conformẽ ita reddi gaudeam:*[b] *Non est discipulus supra doctorem, nec seruus supra Dominum suum. Sufficiat discipulo vt sit sicut Doctor ipsius, & vt seruus sit sicut Dominus ipsius. Si ipsum patrem familiâs Beelzebul vocarunt: quanto magis domesticos eius?* Scilicet huic iam laruæ Donatisticæ credemus, iam fidelis & orthodoxus nobis erit *Rainoldus*, qui tam miti & mansueto collo opprobria sustinet, atque iniurias perfert. Ast alij etiam ferrum & ignem, *Anabaptistæ* hodiè, *Donatistæ* olim. E quibus[c] *Parmenianus* tragicè querebatur, *quod eos Constantinus ad campum, id est ad supplicium duci iussisset.* Sed rectè *Augustinus: Prius* inquit, *probent se non esse hæreticos, vel Schismaticos, & tũ demũ de indignis pœnis suis liuidam emittant vocem, tum demum sese audeant, cum mali aliquid patiuntur, veritatis Martyres dicere. Alioqui si quisquis ab Imperatore, vel à iudicibus ab eo missis pœnas luit* (aut vt *Rainoldus* noster probra audire cogitur) *cõtinuò Martyr est, omnes carceres martyribus pleni sunt, omnes catenæ iudiciariæ martyres trahunt, in omnibus metallis martyres ærumnosi sunt, in omnes insulas martyres deportantur, in omnibus pœnalibus locis iuridico gladio martyres feriuntur,*

b Matth.10. 24.

c August. lib.1. cont. Epist. Parmen. cap.8.

riūtur, ad omnes bestias martyres surriguntur, aut iussionibus iudicum viui ignibus concremantur. Quamobrem causam discerne *Rainolde*, ob quam quidque patiare: si *ob*[d] *iustitiam*, bonus & sapiens es, sin ob malitiam & hæresin, bis miser & improbus: quēadmodum *Agesilaus* ille *Spartanorum* dux, conspecto quodam malefico constanter tormenta perpetiente, *quam valde* inquit, *malus hic homo est, qui inter res malas ac turpes tolerantiam perseuerantiamque ostentat.* Sapienter. Nā Theologis vndiquaq; consentientibus, [e] *Non ex passione certa iustitia, sed ex iustitia passio gloriosa est. Ideoq; Dominus, ne quisquam in hac re nebulas offunderet imperitis, & in suorum damnatione meritorum laudem quæreret martyrum, non generaliter ait:* Beati qui persecutionem patiuntur, *sed addidit magnam differentiam, qua vera à sacrilegio pietas secernatur. Ait enim*, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. *Nullo modo autem propter Iustitiam, qui Christi Ecclesiam diuiserunt, & cum ea quasi simulata iustitia conantur ante tempus à palea separari, ac frumenta eius falsis criminationibus insectātur, dum ipsi ab ea potius tanquam leuissima palea varijs rumorum flatibus separati sunt.* Sed in re manifesta pluribus verbis supersedeo.

d *Matth. 5. 10.*

e *August. l. 1. cont. Epi. Parm. ca. 9.*

CAPVT XVI.

Epilogus vindiciarum, cum cohortatione ad Iohann. Rainoldum.

HABES à me *Rainolde*, quæ mihi hoc tempore inuitante occaſione reſpondere tibi viſum eſt. Reſtat opellam vtrique noſtrum nauatam benignè interpretere, ac citra ſtomachi intemperiem legas. Si quid acerbius videbitur (quæ caui pauca eſſent) iuſto dolori imputa: ſi quid breuius, tempori: ſi quid longius, cautæ & neceſſitati. Non habet charitas modum, non habet ſalutis cura faſtidium. Tu verò ſi etiam recalcitras, & reſponſum paras, facito. Sed iam ante edico tibi, quod *Lipſius* noſter Dialogiſtæ ſuo edixit: *Alium tibi quære patrem.* non ſunt mihi ad hoc ſtadium ocioſæ horæ: nec ſi ſint, tam leuiter conſumendæ. Temporis vſura ſacra eſt, arcibus inuadendis occupanda, non muſcis captandis. Quod ſi verò acquieſcis, ac pares, gaudeo, teq; id vt facias[a] cohortatione tua fraternè commoneo: [b]*Noli fieri ſicut patres tui, aut fratres, qui receſſerunt à Domino Deo patrum ſuorum, & tradidit eos in interitum, vt ipſe cernis. Noli indurare ceruicem tuam, ſicut Patres* aut fratres *tui: Trade manus Domino, & veni ad Sanctuarium eius, quod ſanctificauit in æternum: ſerui Domino Deo Patrum ſuorum, & auertetur à te ira furoris eius.* Nã ſcis

[a] *Rainold. Apol. Theſ. §. 28. p. 297.*
[b] *2. Chron. 30. 7. 8.*

ſcis *Rainolde*, vnde [c] Eccleſia Anglicana exciderit: ſcis [d] *poſteriorem rem noſtram non eſſe, ſed omnibus priorem*, [e] *teque ipſum* cum maioribus tuis *in Catholicam primo doctrinam apud Romanenſem Eccleſiam crediſſe: vt ex ipſo ordine manifeſtetur*, non nos à vobis, ſed vos à nobis deſciuiſſe, [f] *idq; eſſe Dominicum & verum, quod ſit prius traditum: id autem extraneum & falſum, quod ſit poſterius immiſſum.* Quamobrem ſi ſapis, priorem ſtationem tuam repete, & [g] *priora opera fac.* [h] Si non ſapis, *nos tui curam geſſiſſe nõ pœnitebit: quia etſi cor tuum ad pacem non conuertitur, pax noſtra tamen ad nos reuertetur.*

c Apocal. 2. 5.
d Tertul. de Præſcript. cap 35.
e Ibid c. 30. 42.
f Ibid. c. 31.
g Apocal. 2. 5.
h August. lib. 3. cont. Petil. c. 58.

FINIS.

F 4 APPEN-

ANTITHESEON ALIQVOT CALVINIANARVM ET CATHOLICARVM: ex quibus fraus & malitia hæreticorum in corrumpendis ac detorquendis Ecclesiæ sententijs tanquam è speculo clarissimè elucet.

ANTITHESIS I.

PAPISTÆ *dicunt, in fidei disputationibus sacrosanctas Dei scripturas missas fieri oportere, vt authoritati hominum acquiescamus.* Caluin. initio Instru. aduers. Anabapt.

Imò Catholici, qui vobis Papistæ, dicunt, libros Propheticos & Apostolicos, in vero sensu expositos, esse certissimum Dei verbũ, & certam ac stabilem Regulam fidei. Concil. Trid. sess. 3. & 5. M. Canus libr. 2. de locis cap. 1. Bellarm. lib. 1. de verb. Dei cap. 1.

II.

Papistæ dicunt, Traditiones suas & ceremonias, etiam verbo Dei contrarias, pluris faciendas scripturis Propheticis & Apostolicis. Calu. in Antidot. Concil. Trid. & lib. 4. Institut. cap. 10. §. 9. 12. 15.

Imo Catholici, qui vobis Papistæ, dicunt, nullam Traditionem contra scripturas sacras admittendam. Bellarm. li. 4. de verb. Dei nõ scripto cap. 3. & lib. 2. de effect. Sacrament. cap. 30.

Papi-

III.

Papistæ dicunt, Dei oracula hominum (Pontificum Romanorum) censuræ subycienda, vt ideò rata sint, quia placuerint hominibus. Caluin. lib. 4. Instit. cap. 9. §. 14.

Imo Catholici, qui vobis Papistæ, dicunt, scripturam omnibus hominibus & concilijs anteponendam: nec egere eam Pontificis Max. approbatione, vt sit authentica, sed tantum vt innotescat eius authoritas hominibus. Bellar. lib. 2. de Concil. cap. 12.

IV.

Papistæ dicunt, Papã Ius habere nouas Religiones condendi, noua Sacramenta Instituendi, leges Christi & Apostolorum abrogandi, supra & contra Ius dispensandi: adeoq; extollunt eum supra omne quod dicitur, aut est numen: quod de Antichristo futurũ prædictum est. Caluin. & alij passim in 2. Thes. 2. v. 4.

Imò Catholici, qui vobis Papistæ, dicunt, Papam non Deum sed hominem mortalem, seruũ indignum Christi esse, qui nullas nouas Religiones contra Christum aut scripturas instituere, sed à Christo Institutas prosequi, tueri, & cõtra obloquentes interpretari debeat. Bellarm. li. 3. de Roman. Pontif. cap. 20. *Hinc illa in* IVRE CANONICO. *Papa non dispensat contra Euangelium.* c. cum quidam. 26. distinct. & c. sicut. dist. 14. *Nec contra decem Præcepta Decalogi.* d. c. sicut. *Nec contra Salutiferas Apostolorũ traditiones & articulos fidei* c. 1. dist.

 40. &

40. &c. aliorum 9. quæst. 3. & c. super eo, Ext. de Bigam. *Et sic nec contra Ius diuinum, vel Ius naturale, quod immutabile est, & dicitur in Canonib. id, quod in lege vel Euangelio cõtinetur.* c. humanũ dist. 1. & c. fin. dist. 9. *Ergo ex quo Deus quid ꝓhibet, nõ debet quis magis obedire superiori suo, quã Deo.* c. Iulian c. si Domin. c. qui resistit. 11. q. 3. *Quin imò nec Papæ est obtemperandum, quando ex eius mãdato secuturum est scandalum, vel peccatum.* Innocent. in c. inquisit. Ext. eodem. *Papa enim non habet authoritatem peccandi: ex consequente igitur eius authoritas non excusat.* c. 1. dist. 40.

V.

Papistæ dicunt, Præter vnum illum æternũ Deum Sanctos quoq; in cælis diuino cultu prosequendos, adeoq; horrendam Idololatriam committunt, Dei cultum creaturis tribuentes. Calu. lib. 3. Instit. cap. 2. §. 22.

Imò Catholici, qui vobis Papistæ, dicunt, vnum solum Deum λατρευτικῶς colendum, id est, tanquam summum æternũq; numen, summam & primam omnium rerum causam, vnicumq; omnium bonorum fontem. Sanctis autem Apostolis & Martyribus, tanquam exaltatis Dei amicis, fratribus & conseruis nostris Duliam exhibẽdam: id est talem honorem, qui animas Beatas & in gloria cœlesti constitutas decet. Itaq; quod eos inuocant, tantum de Intercessione ad Deum intelligendum: quemadmodum sine vlla vnius Mediatoris Christi in-

iuri ia

iuria etiam Christiani in hisce terris pro se inuicem ad Deum orant, & orare iubent rogantque. Bellar. lib. 1. de Sanctor. Beatitud. cap. 16. & seq.

VI.

Papistæ statuis & imaginibus honores Idololatricos exhibent: ante illas geniculantes, & preces fundentes. Calu. vbi supra.

Imo Catholici, qui vobis Papistæ, omnem Idololatriam execrantur, & in nouis regnis Indiæ *quantum possunt, abrogant. Statuis autem & imaginibus Sanctorum, quæ tantum ab Idolis distant, quantum Christus à Diabolo, etsi vt rerum sacrarum signis propter res signatas aliquem honorem meritò exhibent: non tamen ad illas, quas mortua ligna vel lapides benè norunt, orationes suas dirigunt, sed ad eos qui in cœlis sunt, idq; cum eo discrimine: quo supra diximus.* Bellar. ibid. & lib. 2. de Imagin. cap. 12. & seq.

VII.

Papistæ Christum planè in suis precibus obliterant: omne suum refugium ad Sanctos habent: in hymnis & Litanijs nunquam mentionem Christi faciunt, & cum semper orent sanctos mortuos, nunquam illis in precibus occurrit Christus. Calu. lib. 3. Instit. cap. 20. §. 21.

Imò Catholici, qui vobis Papistæ, dicũt, nullas Deo preces nisi in solius Christi nomine gratas esse. Itaq; Litanias suas semper in CHRISTI *nomine ordiuntur & claudunt: cum dicunt,*

Kyrie

Kyrie Eleiſon, CHRISTE Eleiſon, Pater de cœlis Deus, &c. *vel hoc modo*, Per Chriſtum Dominum noſtrum Amen. *Bellar.* libr. 1. de Sanctor. Beatitud. ca. 16. *Videantur etiam* libelli Precum Catholicarum.

VIII.

Papiſtæ vim peccati originalis negant, cūq; Pelagianis docent, Hominem ſolis naturæ viribus extra gratiam Dei ſe ad Deum cōuertere poſſe. Caluiniani & Lutherani paſſim, in omnibus libris & concionibus.

Imò Catholici, qui vobis Papiſtæ, Pelagianos vt hæreticos damnant, docent q; totum hominem corpore & anima per lapſum Adami in deterius mutatum Concil. Trid. ſeſſ. 4. *Idque peccatum nec per humanæ naturæ vires, nec per aliud remedium tolli, quàm per meritum vnius mediatoris. D. N.* IESV *Chriſti, &c.* Ibi. *Itaq; extra gratiam Dei præuenientem & excitantem cor hominis, nullum ſub ſole hominē proprys & naturalibus viribus vel myſteria Dei credere, vel boni aliquid & ſalutaris velle, vel Deum diligere, vel ad gratiam etiam recipiendam ſe præparare poſſe: Sed hæc omnia dona Dei eſſe, miſerentis & renouantis per Chriſtum naturam noſtram.* Bellar. lib. 6. de gratia & libero Arbitrio. ca. 2. 4. 5.

IX.

Papiſtæ liberum hominis arbitrium extollunt, gratiam Dei, & merita Chriſti deprimunt. ijdem paſſim.

Imò

Imò Catholici, qui vobis Papistæ, ita cū SS. Patribus Liberū Arbitrium astruunt, vt nullo modo gratiam Christi destruant: cum ante gratiam vim liberi arbitrij in homine sentiāt ligatam & impeditam: quæ nisi gratia Dei soluatur & expediatur, ad nullum bonum opus se exerere queat. Bellar. li. 6. de grat. & li. Arbitr. cap. 15. X.

Papistæ dicunt, hominē non fide in Christū, sed operibus suis iustificari. Itaq; mortem Christi abolent. iidem passim, &c.

Imò Catholici, qui vobis Papistæ, dicunt, Nullum vsquam hominem sine fide in Christum, & meritorum eius applicatione Iustificari aut saluari. Itaq; fidem Christi etiam fundamentum ac radicem Iustificationis nostræ vocant. Quod autem SOLA FIDE *hanc Iustificationem perfici negant, ipsius Apostoli vox est,* Iacob. 2. v. 24. Videtis quoniam ex operib⁹ Iustificatur homo, & non ex fide tantum. *Nec tamen opera ista, quæ ad Iustificationem nostri concurrere docent, aut fidem in Christū, aut Christi merita tollunt, sed stabiliunt potius & illustrant. Primum quia opera meritoria non sunt, nisi ex fide procedant. Deinde quia nec fides, nec opera bona in nobis sine merito Christi isthac nobis Impetrantis & donantis esse possunt. Tandem quia ipsa operum merces apud Deum gratuita est, ratione paternæ ipsius promissionis scilicet: atq; iterū vi vnius meriti Christi nobis obtingit. Nihil enim merita*

nostra

nostra apud Deum mererentur, nisi hoc meritũ CHRISTVS *mortis suæ merito apud Deum meruisset.* Bellarm. lib. 1. de Iustificat. cap. 19. & passim.

XI.

Papistæ ex Sacramentis Idola faciunt, quæ sua vi, ex opere operato vt loquuntur, gratiam conferant, etiam citra fidem suscipientis. Caluin. li. 4. Instit. cap. 14. §. 14. *Et* in Antidot. Concil. Trident. sess. 7. Can. 5. & 6.

Imò Catholici, qui vobis Papistæ, dicunt, infideles seu incredulos in Sacramentis sibi obicem ponere, nec fructus Sacramentorum fieri participes, cum sine fide impossibile sit Deo placere Heb. 11. v. 6. *Operationem autem Sacramentorum asscribunt non operi operantis, id est, dignitati & pietati ministri, qui* Donatisticus *error est, sed operi operato, id est, Actioni ipsi Sacramētali, cui vim & ἐνέργειαν tribuit, non natura Elementi, nec fides suscipientis aut conferentis, verum ipsa primæua Christi Institutio, cui effectum negare, magnæ insaniæ fuerit: Præsertim in homine idoneè disposito, cui omnino fidem inesse volumus.* Bellarm. li. 1. de effect. Sacram. cap. 1.

XII.

Papistæ in suis Sacramentis pluris faciunt suas ceremonias, gesticulationes, sal, Chrisma, sputum, cereos, quam ipsa substantialia à Christo instituta Elementa. Calu. Antid. Concil. Trident. sess. 7. Can. 13. & libr. 4. Instit. cap. 19. §. 11.

Imò

Imo Catholici, qui vobis Papistæ, dicunt, externas istas ceremonias & solennitates neutiquam effectum Sacramenti augere vel minuere, sed ornatus & Religionis tantum causa institutas. Itaq; & Sacramentum sine his in necessitate sufficere; has autem sine Sacramento neutiquam sufficere. Lombard. libr. 4. Sent. dist. 6. Bellarm. lib. 1. de Sacram. cap. 4.

XIII.

Papistæ septem Sacramenta frequentant, cũ duo tantum à Christo sint instituta, Baptismus & cœna Domini. Calu. lib. 4. Instit. cap. 18. § 19. & 20. *aut tria, Baptism⁹, Cœna, & Ordinatio.* Calu. lib. 4. Instit. cap. 19. §. 31.

Imò Catholici, qui vobis Papistæ, dicunt, Nullum Sacramentum frequentandum, quod non à Christo institutum constet, qui solus sit author Sacramentorum. Concil. Trid. sess. 7. Can. 1. Bell. lib. 1. de Sacram. in genere cap. 23. *Itaq; quod septem Sacramenta credunt & frequentant, inde est, quod vniuersa septem à Christo instituta docent & confirmant.* Bellar. li. 2. de Effect. Sacram. cap. 23. & 24.

XIV.

Papistæ Missæ sacrificium excogitarunt, in quo quotidie CHRISTVM *iterum crucifigunt, semel peractum* CHRISTI *sacrificium abnegant: frustulum panis pro* DEO *colunt,*

colunt, adeo q; execrandam Idololatriam committunt. Catechef. Palat. quæft. 80 Calu. li. 4. Inftit. cap. 18. §. 1. & feq. Rainol. de Idolol. R. Eccl. lib. 2. cap. 6. §. 6. *Et* Apol. Thef. de S. Script. & Eccleſ. §. 48. p. 469.

Imò Catholici, qui vobis Papiſtæ, Miſſæ Sacrificium ab ipſo Chriſto Inſtitutum, ab Apoſtolis & vniuerſa Eccleſia frequentatum, non ad abnegationem, ſed ad quotidianam crucis Chriſti memoriam adhuc frequentant: idq; ſine ſanguinis effuſione: cum ſit non Aaronicum *ſed* Melchiſedechianũ *ſacrificium, nec Chriſtus amplius moriatur, aut crucifigatur. Cæterum cum vigore infallibilis Dei promiſſionis ipſum Chriſtum in Sacramento præſentem credant, eaque fide ſacram Hoſtiam venerentur, nemo niſi impius, & qui Chriſtum Idolum credat, Idololatriam eos cõmittere dicet.* Bellar. lib. 1. de Miſſa cap. 25. & alij paſſim.

Plures huiuſmodi ANTITHESES *ex omnibus fere doctrinæ Catholicæ capitibus afferre promptum foret. Sed hæc demonſtrandæ hæreticorũ ſiue imperitiæ ſiue malitiæ in præſens ſufficiant. Tu* LECTOR *ſi ſapis, μέμνησο ἀπιστεῖν, & Catholicam fidem, non à mendacibus hæreticorum linguis, ſed à probatis Catholicorum libris & profeſſionibus pete.*

Laus Deo Virginiq; Matri Mariæ.